





2
3
35


















CAROLꝰ V.
FERDI NANDVS I.
Concordia servat
Discordia frangit
ANIMA HISTORIARVM
huius temporis
In Caroli V & Ferdinandi I. Imperio
expreſsa.
I.G. Rudolphi del.
Matthæus Küsel f.

ANIMA
HISTORIAE
HUJUS TEMPORIS IN IUNCTO
CAROLI V.
ET
FERDINANDI I.
FRATRUM IMPERIO, REPRÆSENTATA,

PER

R. P. IACOBUM MASENIUM è SOC. IESU.

Quæ complectitur

Regnorum, Rerump. & Religionum diversarum ortus, progressusq́, ac miras tam Politicæ, quàm Ecclesiasticæ disciplinæ mutationes, earumq́, per Comitia Imp., Synodosque Cleri, Regum fœdera, & Leges novas fundamenta.





COLONIAE AGRIPPINÆ.
Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM Bibliopolæ Colon.
ANNO M. DC. LXXII.

Diodorus Siculus in Procœmio Vitæ Philippi & Alexandri M.

Nihil utilius, jucundiusque cogitari poteſt, quàm in humanæ vitæ Theatro, quod hiſtoria partibus omnibus mirè inſtructum habet, ſedentem, periculis aliorum, ſine ſuo periculo, cautum ſapientemque fieri.

DEDI-

REVERENDISSIMO ac CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

Episcopo Paderbornensi, Coadjutori Monasteriensi, S.R.I. Principi & Comiti Pyrmontano, &c. Domino suo Clementissimo.



Istoriam Tuis demissè oculis exhibeo, *Celsissime Princeps*, honoris observantiæque Tibi jam pridem à me debitæ testem ac monumentum. Dignissimus enim omnium nostrûm veneratione & amore es, si doctrinam virtuti junctam amemus in Viro Principe. Et quid ni amemus, in auro gemmam, in cœlo Solem, in mundo diem? *Licet virtus*, ait Romanæ eloquentiæ Princeps, *à natura quosdam impetus sumat, tamen perficienda doctrina est. Et si ad naturam accesserit eruditio, singulare quid existere solet.* Cicero pro Archia. Nemo igitur mihi indignabitur, si de *Tua Celsitudine* liberè pronuntiem: singularis es. Ingenium Tibi natura excelsum dedit, igniculosque laudabilis gloriæ nihil humile abjectumque aspirantes. Addidisti his liberalium disciplinarum plusquam vulgarem culturam, exquisitum historiarum antiquitatisque reconditæ studium, linguarum, Philosophiæ, Canonum profanorum, sacrorumque peritiam, ac quidquid denique humanæ divinæque eruditionis palmam obtinet, ad hanc in literatorum palæstra, non ultima certandi gloria, animum manumque extendisti. An fortè ex Sapientum Coryphæo Platone cognoveras, quod *magna ingenia, nisi rectè instituta literis fuerint, quæ mores emolliunt, tantò deteriora evadant, quantò in illis majores igniculi extiterint?* Plato 6. de rep. Ideoque non minori vitiorum odio, quàm bonæ institutionis

amore flagrasti? Ingenium natura, igniculos acuebat cupiditas, virtutum juxta scelerumque irritamenta. Ornasti sapientiâ ingenium, cupiditatem ad honesta eruditione exacuisti, quæque ad ignominiam flecti poterant, immortali laude extulisti. Et quis hunc in Te studiorum ardorem, nisi honestatis inimicus poterit accusare? Nunquid jam tum præsaga in Te mens aliquem sibi Principatum despondit, adhuc privatæ nobilitatis septis finibusque circumscripta? Patere liberam ex me vocem: ambitiosus fuisti, jam tum in Romanis eruditorum subselliis Principem captasti & occupasti locum laudemque, verè Princeps priusquàm suffragiis Paderani Cleri votisque Alexandri Pontificis legerêris. Et ille Tibi literatorum Principatus ad hunc Episcopalem nobilissimus gradus fuit. Prisco more Persarum, ut apud Vopiscum in Tacito est, & præsenti Sinarum, qui doctissimos quosque ad gubernationem populorum ex Academiis deligunt, ad Paderanam Cathedrã Mitramq; ascendisti. Animo priùs, quàm corpore, ad summa quæque honorum penetrasti. *Longè,* ait Philosophorum Antesignanus suis in Rhetoricis, *pulchrius est, magisque regium, benè constituto esse animo, quàm corpus principali cultu ornatum habere.* Et Alphonsi Arragonum præstantissimi Regis, apud Panormitanum, libera & digna Sapiente Rege professio est: *Malle se privatum vivere cum eruditione, quàm in principatu sine illa.* Vnde, inter regia sua insignia, apertum librum, præ sceptro coronisque, habuit. Et quo, obsecro, nomine Princeps subditis anteferendus sit, nisi qui ductor instructorque reliquorum futurus est, animi dotibus atque inprimis eruditione excellat? *Qui doctrina tincti non sunt Principes, hos,* vetus Scriptor Plutarchus, *statuis colossisque haud multum dissimiles arguit, honesta foris cultos specie, intus lapidibus ac terrâ refertos.* Nihil in homine immortale præter animum, quo neglecto, quid habet æstimandum? Quid ad rem publicam boni allaturus est Princeps, quî nihil præter vulgarem à natura animam corpusque, quibus reliquis mortalibus par est, moderandam attulerit? Pestis reip. fuit Tyrannus Licinius, qui, Eutropio teste, profiteri ausus est, *Pestem Reip. esse literas:* Aptior qui porcis regendis præficeretur, quàm hominibus. Decus verò ornamentumque Europæ nostræ, inprimisque Paderbornæ cœlitus ad fidem illustratæ Magnus ille quondam Carolus fuit, cujus ut armorum excellens gloria, ita & literarum erat. Domi ille in Gymnasio Musarum, foris in arena Martis eminebat. Oden ille non tantùm ad Lyram Apollinis, sed & Bellonæ tubam aptare norat, & cum Romanorum primo Cæsare & altero etiam Imperatore Augusto eandem capulo

manum calamoque commodare. Historiarum tanta audiendi voluptas, ut inter epulas etiam mensarumque apparatum, illarum lectionē, ceu condimentum optimum, adhiberet, animumq; non minus, quàm corpus pasceret. Hoc ipsum, quem hic præsentem exhibeo, Austriacū Heroem Carolum sedulâ imitatione consectatum exemplum fuisse accepimus, & oblectamenta palati majori haustæ inter cibos lectionis voluptate temperasse, non eruditionis tantùm, sed & virtutis emolumento.

Curæ Tibi esse, *Princeps inclyte*, historiarum, quæ studiosè evolvas, cum eximiis hisce Principibus, monumenta, nemo Tuorum nescit, quisquis honestissimas in Te occupationes arbitratur. Jam dudum ad illarum noscendarum desideria capacissimam mentem Tuam explicabas, nec unius Te patrii soli tantum antiquitates veterumque gesta, ac Majorum imagines, rerumque administratarum series, aut recentiorum gentis tuæ facinora per diversos scriptores hominumque memoriam sparsa distinebant; sed ad vicinas quoque regiones, earumque fastos, & factorum exempla cupiditatem sciendi extendebas, ut experti Trevirensium Annales sunt, qui in secretis etiamnum scriniis abditi Te latere non potuerunt; quin hos partim typo, partim calamo exaratos, ad pastum aviditatis Tuæ extraheres, & ceu melligera apis succum hinc decerperes speratæ eruditionis. Neque hac Tibi indulgentiâ factū satis, desiderasti Europæ totius bono publico hæc Antiquitatum recondita, Annalium secreta depromi, quo argumento illustres à Te literæ, & ad persuadendum appositæ efficacesque prodiêre, quæ, cùm ad aliorum incitamenta jungerentur, denique Eminentissimum Trevirorum Principem impulêre, ut publici hæc esse juris permitteret. Debet igitur singulari quoque *Tuæ Celsitudinis* desiderio universus non solum Trevirorum, sed & Christianorum populus, quidquid ex historia illa nostra ad se commodorum promanârit. Jam si Te memorem non solum inter Lectores historicorum, verùm & illarum rerum, quæ priscæ vetustatis eruditionem sapiunt, minimè vulgares scriptores reperiri. Vidimus nuper *Monumenta Paderbornensia ex historia Romana, Francica, Saxonica*, ex antiquitatis tenebris, velut ex caliginosa specu in lucem eruta, metricisque culta inscriptionibus, tam exquisito Romani eloquii nitore, ut hæc licet Tuo ingenio ductæ fuerint; Veterum esse aurei seculi Poetarum videantur, & cum iisdem obsoletæ antiquitatis Monumentis, priscam unà Romanorum eloquentiam excitasse nobis videaris. Adjecisti Commētarii lectissimi Notas, quo non solùm

Paderani agri loca, illustribus signata quondam Heroum vestigiis, factisque; sed reconditum quoque mentis Tuæ ex instructissimo historicorum apparatu thesaurum aperuisti. Ita illustrare hæc non poteras (quæ cultissimi ingenii Tui indoles est) quin magis illustrarêre, & dum eximia Majorum prosequeris Monumenta, de Te nobilius posteris exponendum relinqueres. Sed prælibationem hanc solâ, velut ex Paderanæ historiæ promulside hausisse videmur, quandoquidem & lautior Annalium apparatus, & harum etiam prælusionum nova opulentiorque instructio, velificante, celebratæ eruditionis viro, Doctore *Rottendorffio*, sub manibus est, jamque parte aliqua sui, figuris scitè ornata, lucubrationibus aucta, aliisq; Ferdinandei ingenii argumentis locupletata, à cœlo typoq; emersit. Quæ qui viderit, suoq; æstimarit merito, næ, ille historiarum Tibi haud vulgarem mecum peritiam, suo repentè suffragio, adstruet, dignamq; Te viro Principe in iis consectari sapientiam lubens profitebitur. Ecquod enim Principis studium, vel ad utilitatem majus, vel ad voluptatem honestius poterit reperiri? Hoc ad præstantissima quæq; virtutum excitaris decora, & turpissimorũ quorumq; scelerum in Te concilias horrorem. Historia, velut in speculo, & illarum Tibi pulchritudinem ac præmia, & horum fœditatem pænasq; non una imagine factorum eventuũq; proponit. Hinc Claudianus disertissimus Vates sic affatur Honorium Imperatorẽ Consulemq;

Tu quæ mox imitere legas, nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas,
Perfidiam damnas? Metii satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
Mors impensa bonum? Decios imitare ruentes.
Vel solus quid fortis agas, te ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutii te flamma docebit, &c.

Hæc si quis Poetæ minus credat, dabo Maximum optimumq; Imperatorem Basilium, hac filium institutione, ad dignam Principibus vitam formantem *Per historias veteres ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quod alii cum labore collegerunt, atq; illic hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes & rerum in ea conversiones, mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, &, ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. Quorum illa fugias, ne in divinæ justitiæ manus incidas; hæc amplectaris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Illa sunt, *Celsissime Princeps*, quæ jam dudum Tibi ante perspicaces animi oculos habuisse proposita videris, cùm in Alexandri

Institut. Basilii ad filiũ c. 56.

Roma-

Romani Pontificis conſpectu,& familiari amore,quo intimus ipſi, atque à cubiculis quotidianus aderas,eademq; cum ipſo ſtudiorum communione fruebaris,quibus nunc ad poeſios delicias, nunc ad hiſtoriarum memoriam,velut quoddam graviorum occupationum diverticulum ac lenimentum,illum pro more ſolitum divertere, & ipſe ego, ingenium quondam Legati Apoſtolici,tum Monaſterii Weſtphalorum, tum Aquis Carolinis expertus,multâ conſuetudine didici. Quando& mihi hic idem ſtudiorum ardor gratiam apud eundem Fabium Chiſiũ eruditionis non minùs,quàm eruditorum amantem,cõciliabant. Quo tempore & hunc Meum Carolum non ſine illius conſilio & approbatione hiſce ſcripturum lineamentis adumbravi;ut eundem tantò nunc libentius, cum in illius nequeam, in chariſſimi ipſius alumni, hoc eſt, *Celſitudinis Tuæ* ſinum transferam, quem tantâ in aulâ ipſius æſtimatione, cùm modeſtiæ, tum aliarum virtutum doctrinæq; cultu eminuiſſe, à fide dignis, eademq; ex aula prodeuntibus accepi, ut ſiquem amicè ad laudabile exemplar inſtructum vellet:(des verbo veniam, cedatque in Te verecundia tantillum veritati] *En*, inquit, *Ferdinandum meum, hunc in moribus ſtudiisq; tuis imitare. Hic Germanus vos Italos inſtruit*. Hæc ex ore tanti Pontificis prolata, ſiquod alicui orationi pondus inſit, pro illuſtri teſtimonio ſunt accipienda. Jam quantus in illo fuerit hiſtoriarũ amor,& frequenti earum, cujus teſtis ſum, lectione, & ſcriptione etiam præſentium tum, ſeu belli, ſeu pacis rerum, quas ſub primam manè vigiliam collectas mente ſe, mihi aſſerebat, ad calamum dictare ſolitum, facilè arbitrabimur. Et optarem repertos eſſe, qui hæc ab inſtructiſſimo ejus ſeculi teſte profecta, memoriæ poſteritatis non ſubduxiſſent. Te igitur, *inclyte Princeps*, quis ab illo ſole radios collegiſſe, tãquam aptiſſimum ad hos excipiendum ſpeculum, neget? Bibliotheca patuit orbis totius in Vaticano celeberrima, ubi Tibi ex floribus hiſtoriarum lectiſſimis ſuccum legere optimum licuit: & neq; animum, neq; conſiliũ neq; tempus defuiſſe, compertum eſt. Teſtantur præluſiones illę commentationum Tuarum, quibus ſi Annalium Paderanæ Diœceſios opus acceſſerit, cui Tuam aliorumq; eruditorum operam commodas, tum demum, quanta utilitate ac gloria hiſtoriis Te impenderis, conſtabit æternitati.

At fortè dum hæc agis, quæ cetera ſunt boni Principis Antiſtitisq; munia neglectius exequeris. Falluntur, has quicunque ſibi, vel de *Tua Celſitudine*, vel de quocunq; alio hiſtoriarum amanti Principe cogitationes fingunt. Expendant illam, quæ in Te eſt religionis per univer-

ſam Diœceſin, & alendæ, & promovendæ curam, non uſitatis tantùm Paſtorum miniſteriis acquieſcentem, ſed operis extra ordinem, uſumque conſuetum adhibitis, ubicunq; deficere comperta eſt, inſtaurantem: conſiderent vigilantem ubiq; Principis oculum, ut ſuus Eccleſiæ honor, politiæ æquitas, tranquillitas toti conſtet reip. ut in foro juſtitia in templis pietas, in Clero ſacrorū amor, in populo obſervantia vigeat.

Et quorum hęc conſilio atq; inſtitutione potiſſimum agantur, ſiquis neſciat, dicam audenter, quod fortè nonnemo miretur, non vivorum magis, quàm mortuorum. Imitatur credo, Alphonſum, ſupra quoque laudatum à nobis Arragoniæ Regem, qui optimos ſuorum Conſiliariorum dicebat eſſe mortuos, ut qui ſine adulatione, ſine invidia, ſine trepidatione, ſine corruptione ſententiam pronuntiarent. Nimirùm ex relictis à ſe ſcriptorum, præſertim hiſtoriæ, in omnē ſeſe caſum explicātis, monumentis, maximo huic Regi incorrupta conſilia depromebant.

Sed librorum amantes, fortaſſe quis dicet, plerumq; oſores armorū ſunt. Principē verò adverſus hoſtes, patriis ſæpè bonis imminentes, fortem adferre animum, manumq; neceſſe eſt, quàm ſtylus magis ferreus quàm plumeus inſtruat. Verùm ego Eccleſiaſticum Principem, pacis magis, quàm bellorum amantem laudavero. Si tamen pax citra armorū uſum obtineri nequeat, juſta illum defenſio purgabit, atq; ex nullius inſtitutione promptiora hauriet, vel belli rectè ordinandi, vel fortiter exequendi conſilia animosq;, quam bellorum diverſorum expoſitrice hiſtoriâ. Hic tam ex aliorum exemplis rectè adminiſtrare, quàm ex offenſionibus errores cavere docebitur. Hic aliorū cavere inſidias, ſuasque cautè diſcet inſtruere, intuebitur prudenter declinatum hoſtem, aut fortiter repreſſū, cœptas malè aut bené obſidiones, & fortiter diſjectas, pacem reperiet in bello inſidioſam, & in pace bellum. Stratagemata tam adornare ipſe diſcet propria, quam vitare aliena. Verbo dicā, hiſtoria ſchola militiæ eſt. Quod tot tantisq; exemplis conſtat, ut qui adverſum pugnaverit, is vel rationem, vel pudorem amiſiſſe videatur. Palladem Veteres ſtudiorum habuere præſidem, neq; aliam ob cauſā finxere armatam, quàm quod ſcitè arma prudenterq; juxta ac fortiter tractare doceret. Alexander magnus Achillem, atq; Agamemnonem Hectoremq;, fortiſſimos Græcorum Duces, ſibi ad ſtrenuè bellandum inſtructores ex Homero delegerat, neq; illum tot inter expeditiones facilè de manibus elabi paſſus eſt. C. Julius Cæſar, tantus bello vir, noſtrisq; inprimis Treviris olim metuendus, Alexandri fortitudinem æmulatus, nihil ſegniter aggreſſus eſt. Selimus Turcarum Imperator, ce-

terà literarum hoſtis, Cæſaris rebus geſtis, ad quæq; audẽda excitatus, Aſiæ minoris, Africæq; magnam partem Turcarum imperio addidit. Ipſe, quem profero, Carolus tantis gloriæ inter bellandum exarſit ignibus, quos ex Ludovici XI Galliarum Regis geſtis per Cominæum vulgatis excepit, tam avido hiſtoriarum noſcendarum animo, ut quod ſupra memini & lubens recolo, nec inter epulas quidem ac pocula, harũ guſtum ſitimq; prælectarum amitteret. Jam verò ſuamet in hiſtoria, tot conſiliis librata, tot ad bellum pacemq; apparatibus inſtructa, tot evẽtibus ſuſpenſa, tot prœliis jactata, tot conatibus vel fortunata, vel irrita, tot regnorum & rerumpub. mutationibus obnoxia, tot in politicis & religione caſibus variata, quis neget ampliſſimum inſtruendi per exẽpla Principis campum aperiri, cum non ſolum præteritarũ nobis ejus ſeculi rerum imaginem oculis ingerat, ſed præſentium quoq; in imperio ac rebuspub. tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus mutationum fundamenta originemq; exponat? Unde hanc *Animam hiſtoriæ aliquot ſeculorum* appellare non ſum veritus, quòd ſine fundamentis res geſtas cognoſcere, ſit corpus ſine anima poſſidere. Quocirca & illam ejuſmodi offerre manibus Principis, ac ſub illius protectionis favoriſque umbra prodire in lucem volui, qui eam benevolo vultu complexuq; accepturus videretur, neque poſt congreſſum primum, ſubitariamq; luſtrationem ſuis in ſcriniis, inter Veterum ſcruta, repoſiturus.

Verùm ſunt, qui Principem ſuo nimium ingenio atq; eruditione nolint fidere, ne aliorum aſpernetur prudentum conſilia, nitatur ſuis. Experientiam rerum ajunt magiſtram eſſe optimam; hiſtoricos plura ſpeculari mala, quam corrigere, laudare bona, quàm imitari, audiendo magis, quàm legendo Principes ad probatam Reip. adminiſtrationem proficere. Non diffitebor quædam ex his rectè, quædam tamen & perperam enuntiari. Nemo prudentum Hiſtoricorum docebit Principem à Sapientum conſiliis deflectere, ſuo nimium judicio innitentem: oſtendet potiùs exemplis quamplurimis tales in rerum gubernatione offendiſſe. At, quis negabit rectius perſpicacem, variosque rerum eventus hiſtoricorum lectione complectentem animo judicem, & pericula & commoda æſtimaturum, quàm qui hæc ignorabit? Ipſos inter ſe diſſidentes quandoq; conſultores, quis cõciliabit, niſi qui ipſorummet noverit ſuis rationibus ponderare conſilia? Quid ſi, aut adulatione, aut auro, vel æmulatione in perverſum acti ſenſum, cupiditate magis, quàm æquitate cauſæ rapiantur; quis hic ab ignorante Principe benè conſultum ſperet exitum? Demus verò talibus ejuſmodi, qualem Te facimus, *Ferdinande*, Principem, illuſtri mente, præcipuos honeſti & æqui articulos pervidentem, repentè omnes in officio cauſarum arbitros habiturus eſt; verebuntur, ſi non iniquitatem, certè Principem; argumenta proment, quæ ſuos minimè autores confundant. Cavebunt, ne in hiſtoriam Paderbornenſem erubeſcendo aliquando

titulo producantur. Quid? quod sub instructissimo ab omni doctrinæ supellectile primo Præside, nemo facilè nisi probè instructus exercitatusque in literis in hoc consiliorum theatrum sit proditurus. Obtinuisti igitur hoc Tuo, *optime Princeps*, studio, ut indocti Te ultrò iniquiq; fugiant, æqui eruditiq; viri consectentur, idq; non pœnis aut in alios expenso labore; sed capacissimi ingenii Tui culturâ, quam ut solem non ferunt noctuæ, ita imperiti non possunt intueri.

Sed valetudinis minus firmæ Principem, nonnulli judicant ad alias magis corporis, quàm animi exercitationes traducendum, ne tantum illi subtrahatur virium, quantum illi eruditionis accedit. Mira res, & me in studiis, jam quinque & sexaginta annos natum ab adolescentia versatum memini, pluresq; jam Tecum in aula possides viros, ævo & literis graves, & *Theodorum* laudatissimum Tuâ, ante Te in Cathedra censes avum senio ac honestissimis artibus conspicuum, nihil his ex vita ac valetudine credibile est literarias hasce exercitationes sustulisse, fortè etiam adjecisse ætati, cum moderata prudensq; languentium animorũ per amica studia exercitatio in corpus vigorem trãsfundat, dum abstergit tædia, quæ ab otio; & languores, qui à corpore fatigato in ipsum sese animum transfundunt. Duo maximi Arragonum Reges Alphonsus ac Ferdinandus, ille ex Q. Curtii, hic T. Livii præstantium historicorum lectione amissam se hausisse sanitatem professi sunt. Et illius quidem has voces Panormitanus in vita recitat: *Valeat Avicenna & Hippocrates, vivat Curtius, cui debeo sanitatem* Ferdinando, opinor, excellentissimo Regi, *Princeps doctissime*, tuum non modo nomen, sed & studia sociare perges, tantò etiam faciliùs, quod Archiatrum, quem Tecum habes peritissimum *Rottendorfium*, ad has lucubrationes Tuas impulsorem magis videam, quàm seductorem.

Hac porrò & ego fiducia erectus, Carolum hunc meum, suo præsertim Ferdinando Fratre in Germaniæ administratione stipatum, pluribus *Tuæ Celsitudini* nominibus provocatus demissa obsequendi voluntate defero. Antiquæ me benevolentiæ sæpius exploratæ traxit humanitas, impensus deinde omnibus literarum amatoribus singularis favor, inclinatus in Austriacæ domus felicitatem magnitudinemq; animus, neq; solius Herois Caroli, verùm & Ferdinandi celebratum ex eadem gente nomen, ut jam non solum *Princeps* affectu; sed ipso ad tantam familiã nomine spectare videatur. Deinde & argumenti ipsius propositi excellentia, virisq; Principibus digna, quam & lectione evolvant, &, qua vitæ conditio paritur, imitatione meliorum exprimant, fuga verò offensionum declinent. Postremò jucundum mihi fuit tali deferre Patrono tam nobilem historiam, quem & scribere legenda inter historicos noveram, & facere inter magnos Principes scribenda. Tantò enim faciliorem in Principe humanissimo meorum sperabam studiorum Mecænatem, quantò majorem in illo observabam historicæ eruditionis amorẽ. Vive igitur Doctorum honor decusque *Ferdinande*, vive gloria Principum, vive amor eruditorum omnium, & quam Tibi invidit natura immortalitatem, tribuant hic in terris virtus ac literæ, in cœlo Deus.

Ita vovet speratque

Celsitudinis Tuæ devotissimus Cliens

J. M.

HISTORIARVM, DE CAROLO QUINTO IMPERATORE, ET FERDINANDO EIVS FRATRE.

LIBER I.



PRincipis in Europa viri Caroli ejus nominis Imperatoris Quinti, & Ferdinandi fratris in administratione socij, historiam ordior, quâ vix ulla majorum ætas, aut rerum gestarum novitate aut varietate nobiliorem habuit. Veterum in illa bellorum recurrunt exempla, & recentium exhibentur imagines: Regum Principumque cognatorum exercita cruentis decertationibus odia, levique momento ex amicis hostes, ex hostibus amici: natæ hæreses seditionesque ad seram posteritatem propagandæ: quassata cum religione regnorum fundamenta, & libertatis studio libertas perdita: fœdæ Rerump. occumbentium clades, & quæ fidem humanam penè superet, usurpata in Deum perfidia. Sed nec vulgaria virtutum argumenta continet. Prudentis fortissimique herois vivam imaginem: excelsi juxta submissique animi decora: belli artes, fortunamque: suscepta ac deposita pari cum laude imperia: illustria profanæ religiosæque vitæ exempla, ut eadem & pacis & militiæ quædam magnis esse schola viris possit: pusillæ mortalium animæ, quod admirentur; sublimes, quod imitentur, reperiant. Habebit miles in bello fortitudinis egregiæ specimen, in adversitate constantiæ. Videbit contrà dissipatos libertate exercitus, profligatos vitijs, qui hostibus nunquam cesserant. Discent Religiosi consecratique Deo homines, quanta sit Reip. pernicies, disciplinam ac mores in his fœdè per libidinem arrogantiamque dissolvi, qui reliquis disciplinæ ac morum rectè formandorum autores esse debeant. Intelligent Principes, quibus institutis ad fortunæ virtutisque eximium decus educandi sint; quâ arte, & bella, & regna administranda; quantùm cum magnis imperijs curarum suscipiatur & discriminum; quantò admi-

1\. *Fecundum hujus historiæ argumentum.*

Variam regnorũ sortem virtutũque ac vitiorum exempla continet; illa sequẽda, hæc fugienda.

Cuivis ordini ad instructionem servit.

admirabilius sit sceptra deponere, quàm accipere. Animadvertent subditi, quàm turpe exitiosumque multis fuerit, aut suorum in se Principum admittere vitia, aut æquum detrectare imperium. Apparebit, quantùm credulæ plebis simplicitas, quantum avaritia & libertas nobilitatis damnum Germaniæ dederit, nullâ satis curâ posteritatis instaurandum. Denique & sua adolescentibus tam ad mores, quàm ingenium excolendum emolumenta erunt, amœna historiarum utilitas, & jacta velut quædam eloquentiæ semina animum pascent, linguamque simul cum mente erudient. Quæ causa, cur & hujus aliquot, & superioris ætatis Scriptores cultissimos suis quandoque verbis loquentes induxerim. Erunt fortè & nonnulli, qui ex turpissimo religionis dissidio, mentem ab errore ad veritatem revocent, propagatasque ex sua origine dignoscant hæreses. Nulli ætati ordinique deerunt pulcherrima sapientiæ virtutisque formandæ, vel præcepta, vel exempla: neque ad pietatem sola pietas; sed exercita quoque impietas, hæc odio, illa amore provocabit: cùm *aliorum non minus offensionibus cavere, quàm prudentiâ discamus sapere.*

II. *Speculo similis historia est, repræsentat æquè turpia ac pulchra.*

Historia, ut speculum est, quæ turpia æquè ac pulchra tetegit; illa ad intuentium emendationem; hæc ad oblectationem, imitationemque. Quæ & mihi ratio ad excusationem sufficiet, si in viris quoque Principibus vitia erroresque minimè dissimulaverim, cùm res quaslibet, prout huic sese objicerent speculo, repræsentare necessum fuerit. Quanquam aliorum hac in re judicia non magnoperè reformidem, cùm seculi alterius imaginem potiùs, quàm præsentis ducere maluerim, ut procul timoris favorisque affectionibus, nihil alijs tribuere, nihil metuere mihi cogerer, solâque veritatis expositione tutò acquescerem. Sed neque gentis propriæ studio (quod multorum vitium scriptorum est) neque alienæ odio me quicquam indulsisse, æquus æstimator comperiet. Religionis dissipatæ exordia eo sensu judicioque scripsi, ut fontes autoresque malorum suis quoque coloribus depingerem, nullâ sanè, aut læsæ veritatis conscientiâ, aut destinatâ perfidiæ vindicatione; sed quod in ambiguis quorundam ad laudem reprehensionemve opinionibus, cum indubitata potissimi orbis sententia pronuntiandum statuerem. In Lutherum si quid acerbius ex ipsius ore calamoque depromptum sit, propter Schleidani hoc in argumento depravatam historiam, nemo mihi æquus imputabit. Quod ipse neglexit, alijs commemorandum reliquit.

III. *Odium amorve partium à scriptore depositum. Quid in orationibus historia mix*

Ceterùm aliorum odia invidiamque, odiorum ipse invidiæque vacuus exposui, quæ neque præmijs, neque pœnis ad scribendum provocato declinare non erat difficile. Undè tam ego neminem, aut iniquum rerum mearum judicem, aut historicæ ignarum legis futurum autumem, qui mutuò jactatas in orationibus criminationes scriptoris affectibus imputet; aut qui ad veritatis semper regulam exigat profectas sæpè exulceratis ab animis hostium adversus hostes sententias. Quæ tamen non veterum historicorum more ex scribentis ingenio ad indolem cujusque conceptæ formatæque sunt; sed ab ipsis primùm autoribus (quod modò typographiæ beneficium est) in vulgus manârunt. Quanquam mi-

hi

hi religioni non duxerim, multa ex illis pressius, pauca etiam liberaliori quandoque sententiâ exponere, modò commentitijs argumentis non fallerem; quòd non minùs Romanæ eloquentiæ, quàm historicæ veritatis studiosis scriberem, & cùm brevitate, tùm cultu aliquo numeroque orationis legentium fastidio consultum irem. Neque prætereundas has mihi dissertationes, aut negligenter tractandas existimavi, quòd litium illæ offensionumque causas, æmulandi studia, bellorumque fontes, arcana consiliorum, ac vim rationemque, cùm profanæ, tum sacræ gubernationis ac prudentiæ potissimùm complecterentur; ut historia sine his disceptationibus exposita, corpus absque vita futurum videretur. Ceterùm grave omninò nihil, quo aut gentis cujuspiam fama, aut Principum Regumque existimatio convelli possit, in hos annales relatum est, quod non antè pluribus vulgatum scriptis, orbisque Europæi consensione probatum, fidem memoriamque posteritatis meruerit, ut mihi succensere nemo jure debeat, publicis è tabulis pronuntiatam sententiam repetenti. Nullas equidem, aut nocendi, aut adulandi cuipiam caussas habeo. De mortuis, undè nec spes, nec metus offeratur, ad vivos refero: virtutum vitiorumque exempla ad amorem execrationemve posterorum exhibeo: mores simul ingeniumque ad scientiam virtutemque beneficio literarum compono; quo meo labore nemo æquus offensionem potest accipere, nemo iniquus cum ratione tueri.

tis observandum.

IV. *Hac de Carolo V. historia similis tragœdia in theatro proposita est, præteriti simul & præsentis, quo hac scribo, seculi imaginem repræsentantis.*

Hanc equidem historiam, velut quandam in theatro adornavi tragœdiam, in qua & superiorum imago temporum, & hujus sæculi spectaretur exemplum, ut dum præsentia intuemur, adesse præteritis, & jucundâ quadam recordatione ad proavos redire, eorumque nos immiscere consilijs actionibusque videamur, adeoque quandam hic historiæ plurium sæculorum animam possideamus. Certè qui Carolum Austriacum in Germania Italiaque decertantem conspexerit, qui hostium debellatorum sedes ac nomina, qui propugnatam cum capitis discrimine religionem, qui caussas eventaque bellorum expenderit, ille ad pristina sese translatum sæcula, Magnique illius Caroli, supremi ejusdem Europæ Domini, spectare bella, ac numerare victorias existimaverit: exemplis usque adeò præsentibus, ut non modò rerum; sed & vocum quandoque signa eadem reperturus sit. Nec minùs admirabitur, si hanc, quàm vivimus ætatem, in ista Carolina vivis penè coloribus repræsentari animadverterit, si bella per Germaniam ex eodem religionis turbato fonte derivari, si eosdem machinatores populos, eisdem gentium externarum nixos fœderibus, si fidei patriæque defensores eosdem, si infelicem bellorum exitum perniciemque in autorum potissimùm capita revolvi, intelligat. Hic primam observabit eversæ tranquillitatis labem, primas inclinantis imperij ruinas, jurata hostium amicorumque in hostes & amicos fœdera, tectas politicæ disciplinæ artes, & ad captandas armorum caussas mutata belli nomina; tantâ historiæ paritate, ut confundi secula, & vivere cum nepotibus avi, aut cum avis nepotes existimentur.

V. *Lectoris in hac evolven-*

In horum ego contemplationem arbitriumque Lectorem advoco, quem sine formidine atrocia intueri bella, sine corruptione occultis interesse machina-

da amœna contemplatio.

tionibus, partium inter Reges Principesque sedere medium, sententiamque rectè aut secùs factorum impunè licebit pronuntiare. In parvis nonnunquam observabit imitanda majoribus, in summis etiam orbis Principibus, quæ infimos amplecti indecorum non fuerit Quæ si digna humanis ingenijs, atque à me ad honestam non minùs utilitatem, quàm voluptatem elaborata intelliget, Deo Divisque calamum ac dexteram scribentis moderantibus, gratus accipiet.

VI.

Maximiliano Imp. defuncto, duo maximi Reges pro imperio sua dignitate ac virtute decertāt, Franciscus Rex Gall & Carolus Austriacus.

Abierat jam vitâ Maximilianus Imperator, neque hæredem ex se ullum reliquerat: quod ingens multis erat spei metusve argumentum. Jam imperij dignitas ab Austriaca se se familia propius ad alias visa est inclinasse: nec modò ad hanc expectationem admitti Germania cetera, sed & exterarum nationum Proceres. Erant duo maximi Europæ Principes, Franciscus Gallorum, & Hispaniarum Rex Carolus: quorum ille Valesiorum creatus sanguine, Ludovico ejus nominis duodecimo, regijs filiabus exclusis, Salicæ legis beneficio successerat. Hic ex Philippo Belgarum Hispaniæque, recenti fortunâ, Principe, relictus Maximiliano Imperatori Nepos erat; ad quem defuncti jam patris hæreditas devenerat. Uterque, neque alijs, neque sibi indignus est visus, cui vacans imperij corona majestasque obveniret. Sua quemque ad hoc indoles ac virtus provocabat. Opes etiam animos fecerant, ut si virtuti locus non esset, auro armisve fieret. Cæsar moriturus, à Septemviris successorem sibi dari oraverat Carolum. Sed hæ preces arbitrio multorum subjectæ, non nisi ad æqua rationum momenta & suffragia Electorum valituræ erant.

VII.

Varijs dotibus Franciscus Carolo potior visus est.

Vix ætas tanto imperio habilem Carolum fecerat; ut qui adolescens etiamnum, vitæ annum vigesimum nondum attigisset. Majorem ab ætate autoritatem, quamvis adhuc juvenis, Franciscus adferebat, qui sex ac viginti annos natus; ea domi militiæque suæ dederat virtutis documenta, quæ jam virum ostenderent, atque imperij oneribus parem. Liberalis in Principe animus, quem nequ arrogantia plus æquo efferret, neque deprimeret levitas, familiaria juventuti vitia, ubi præsertim ad libertatem accessit facultas. Eximia illum rerum multarum cognitio summis; humanitas facilitasque etiam infimis æquaverat. Has animi dotes commendabat egregia corporis species majestasque. Neque hæc domesticis tantùm perspecta; sed per Europam vulgata, armorum, quem jam tum circumtulerat, strepitu latè insonuerant. Quis esset Franciscus, victi juxtà ac victores noverant. Illi dignam Rege clementiam; hi fortitudinem prædicabant, felicitatem omnes. Recenti memoriâ bis victor ferebatur Franciscus, semel in Alpium faucibus, semel in Italia contra fortissimos Pontificij Helvetique nominis Duces; tanto victoriæ præmio, quantum erat Mediolanense imperium, ex cladis acceptæ terrore, Regi patefactum.

VIII.

Quibus causis Francisco Carolus præla-

Cum tam potente, tantique nominis adversario Carolus de imperij dignitate; non armis, sed genere ac virtute certabat, eo quidem eventu, quo negata Francisco corona, Austriaci sanguinis juveni, addiceretur, quòd in eo, præter Germaniæ originis decus, illa jam tum emicaret morum gratia, quæ ad tanti imperij majestatem gloriamque sustinendam valitura crederetur. Quocirca

altiùs

tus fuerit.

altiùs paulò Caroli indoles ab ipsis incunabulis exploranda; ne, qui tanti Imperatoris gesta pertractanda suscepimus, prima vitæ virtutumque elementa contemptim transeamus, in ipso operis limine negligentiæ damnandi. Anno à pariente Virgine CIϽ IϽ, ferijs D. Matthiæ Apostolo consecratis, tertiâ sub noctem horâ, illud Austriacæ familiæ sidus Gandavi, nobili Belgarum urbe, ortum ferunt. Pater illi erat Philippus Maximiliani Imperatoris filius, mater Joanna Ferdinandi Hispaniarum Regis filia. Ab hac regnum illud longè amplissimum; ab illo, nihil regno inferius, Belgium habuit. Avus paternus, Maximilianus, maternusque Ferdinandus Catholicus hanc Caroli fortunam auspicati fuerant. Ille à Maria conjuge Caroli Burgundi (quem Audacem dixerunt) filia, Burgundiæ Flandriæque possessiones jure dotali ad Austriacos traduxerat: hic Aragoniæ Siciliæque Dominus, præter Neapolitanum Navarræque regna, contra Gallos Granatæque adversus Mauros occupata, Castellæ sibi provincias cum Isabella Henrici Castellanorum Regis sorore adjunxerat: Joanne Lusitanorum Rege, qui filiam Henrici duxerat, sed, ut ferebant, spuriam, nequicquam obluctante. Philippum parentem sexennis, immaturâ morte, amisit Carolus, utroque etiamnum avo superstite. Stirpis tamen non infecundæ, quamvis cito arescentis, surculus. Præter Ferdinandum enim fratrem, posteà Imperatorem, sorores numeravit, Eleonoram Emanueli primùm Lusitano, pòst Francisco Galliarum Regi nuptam; Isabellam Christierno Daniæ; Mariam Ludovico Hungariæ, Regibus traditam, pòst Belgicis rebus præfectam; Catharinam denique Friderico Saxonum Principi connubiali vinculo sociatam. Totâ Europâ Carolus, aut sanguinis, aut affinitatis jure, summis quibusque Principibus junctus erat; ut alius quàm Imperator nasci aut mori non debuerit. Quamvis inter eximias hujus Principis laudes illa numeretur præcipua, quod neque natus, neque mortuus Imperator fuerit; sed magnâ virtute ad imperium vocatus, majori etiam deposuerit: *Cum minus aliquanto sit, imperium, cum non habeas, mereri, quàm cùm habeas, ultrò contemnere.*

Genus & natalis dies Caroli. Guillel. Zenocarus in vita Caroli V. Laur. Surius in Cõment. rerũ gestarum ad ann. 1500. Alphonsus Ulloa & Antonius de Vera l. 1. vitæ manuscriptâ Rom. & Trev.

IX. *Duæ admirabiles porticus in baptismali ejus die Gandavi excitatæ.*

Ipsa nobis Caroli Ecclesiæ initiati principia, qualis quantusque Princeps vitam accepisset, haud obscurè indicârunt. Siquidem Gandavi, inusitato novi operis exemplo, gemina in aëre constructa porticus, omnium admiratione spectata est: altera palatium, ædemque D. Joannis, continuato per tria millia quingentosque pedes opere, conjunxit, septenis pedibus & à terris suspensa, & in latitudinem explicata. Multa in porticu, quæ & ingenium artificis, & operis pulchritudinem commendarent, spectantibus sese offerebant. Centum & bis mille faces, dubio adhuc die, ambulationem illustraverant. Arcus quadraginta, triumphali opere excitati, porticum suis intervallis distinxerant, augustiores in ceteris terni: quorum unus sapientiæ, alter justitiæ, tertius paci ac concordiæ inscriptus visebatur. Quibus præter lumina, suam etiam fecerat gratiam eximia colorum varietas. Altera porticus è fastigio duarum turrium divi Nicolai, & Capitolinæ ædis librata, decumanis instrata compactaque funibus; novum, si non orbis, certè urbis miraculum videri poterat. Hanc faces plurimæ festivique i-

gnes exornaverant. Illam majori instructam cultu puer Carolus subijt, cùm ad D. Joannis basilicam salutari undâ expiandus deferretur. Res sanè rara, nec sine Numine administrata. Jam tum Europa magnum aliquid in Carolo præsensisse est visa, quæ primùm nascenti hoc veluti theatrum virtutis gloriæque excitavit, undè vulgo hominum altior, sub pedibus ceteros mortalium conspiceret.

X *Affluxus populi & dona publica privataque.*

Ingens cùm plebis, tùm procerum multitudo ad Baptisterij fontem confluxerat. *Magnarum enim personarum ortus, ut Solis est, ad quem plerorumque mortalium oculi avidè convertuntur.* Duo procerum aderant aureo insignes vellere, Carolus Guiliemus Croyus, & Satrapa Bergensium; Heroinæ totidem regio natæ sanguine; Britannica altera, Edoardi Anglorum Regis soror; altera Austriaca, Cæsaris Maximiliani filia, Margarita nomine: utraque orthodoxæ fidei jussores puero astitêre; tam liberali eximiâque munerum oblatione, ut & regia donantium munificentia, & accipientis dignitas facilè eminerent. Neque populus fructu publicæ lætitiæ caruit. Ter aurea in circumfusam hominum turbam moneta spargitur, ab Archiduce infantis parente; à Gandensium ordine; ab ejus denique urbis cive locupletissimo, erectâ præ foribus, quà transitus puero erat, theatrali, ad hoc officium, scenâ. Undè & infanti Principi vas aureum magni ponderis, inter viros quinquaginta tædis illustres, filij manibus oblatum, admirationem meruit. Sed & urbis Magistratus navem ex argento quinquaginta pondo appendentem obtulit, omen navigationis sub ipsius auspicijs latè feliciterque per Occidentem diducendæ.

An. Chr. 1506.

XI. *Carolus Philippo patre orbatus, sub cura Maximiliani avi instruitur.*

Sub hæc Carolus, singulari educatus curâ septennium vivendo attigerat, cùm insperato oppressum morbo Philippum parentem amitteret. Quæ cùm ætas primam, seu vitiorum, seu virtutum sementem, prout quæque ante aliam inciderit, altissimè excipiat: neque alterius facilè frugis, quàm cujus admisit semina, messem reddat: adlaborandum fuit, ne idoneo vitæ morumque magistro destitutus Carolus, alienâ negligentiâ periret, & flagitia, priusquam nosset, addisceret, discrimine sanè avertendo: *cùm nulla peccata, quàm adolescentium, graviora sint, si ætatis secuturæ periculum; nulla leviora si præsentis ignorationem æstimes.* Non hæc fugiebant Maximilianum sapientissimum Cæsarem, prospiciebat in quantam regnorum spem adolesceret hæc ætas, quot nationum ab ejus indole ac virtute penderet incolumitas, quæ in unius Principis institutione curari negligive videbatur.

XII. *Mores in Principibus adolescentibus ante omnia ad virtutem formādi.*

Ergò animum cogitationesque per Europam circumtulit, ut excellæ spei fortunæque adolescenti artium, ac præcipuè quidem morum tradendorum magistrum deligeret. Solitus hæc crebro usurpare sermone: *Ignorantiam literarum in Principe viro turpem, virtutum longè turpissimam; neque enim imperaturum rectè populis, qui suis cupiditatibus nesciat: neque æquâ reprehensione aliorum damnaturum vitia, qui sua sibi flagitia indulgeat.* Excitabat ambitio non paucos, qui vel amicorum studijs, vel ingenij fiduciâ atque ostentatione freti ad hoc sese officium ultrò ingererent. Sed Hadriani Florentij, patriâ Ultrajectini, & inter Lovanien-

ses

1506. Hadrianus postea Roman. Pontifex Caroli in virtute & literis instructor.

ses ædis maximæ Decani virtus, atque eximiè in rerum usu ac cognitione eminens modestia, ante omnium artificia apud Cæsarem valuère. Hunc igitur Carolo Moderatorem adesse voluit, ac prima illi vivendi rectè, loquendique rudimenta tradere. Ephebos illi ex prima nobilitate lectissimos, atque indolis probatæ adolescentes lateri addidit, qui per easdem cum illo artes traducti, æmulatione ac vincendi studio Principem excitarent. Ille autem, uti ingenio animique magnitudine nemini secundus; illam, quam nascendo præ reliquis dignitatem consecutus erat, discendo amittere noluit. Multa quidem naturæ ad maxima quæque enitenti debebat Carolus; sed nec parum Hadriani solertissimæ vigilantiæ. Enimverò suavitatem ille (quam moribus familiarem traxerat) tam appositâ gravitate, lenitatem tam aptâ severitate permiscebat, ut nunc amore, nunc metu Carolum magis raperet, quàm duceret, atque is, neque aspe-ritatem imperantis odisset, neque facilitate ad vitiorum licentiam abuteretur. Egit verò inprimis, ne mores haberet incultos, cujus linguam excoleret, ac ne minùs ornatè vivere, quàm loqui disceret.

Exemplar boni instructoris.

XIII. *Carolus ad equestria & militaris disciplinæ exercitia magis afficitur.*

Ita tamen cùm sensim ad illarum virtutum artiumque possessionem contenderet, quæ tanti Principis dignitatem ornarent, militaribus denique magis disciplinis capi cœpit, atque à literis, quàm par erat, avelli maturiùs, quod Guilielmi Croyi, qui Cheuræ Dominus, & Areschotti Marchio fuit, operâ potissimùm contra Hadrianum effectum est; ut is, cùm esset Principis nutritius, integrâ adolescentis possessione frueretur. Cujus posteà facti Carolum haud obscurè pœnituisse ferunt; cùm observaret, quanto suo incommodo optimi viri consilia, magis tamen alienâ, quàm suâ imprudentiâ, præterijsset. Certè Genuæ Latinum oratorem cum plausu dicentem auscultans, cùm assequi intelligendo dicentem non satis posset, suspirantem dolore Carolum dixisse memorant: *Agnosco Hadriani instructoris mei divina monita, qui dum has literas neglectim exciperem, aliquando puerilis me incuriæ pœnas luiturum vaticinatus est.* Jam tamen adolescens (quo ingenij facilitatem intelligas) id studio atque exercitatione assecutus est, ut quomodocunque Latinâ, non imperitè etiam Gallicâ, Hispanicâ, Italicâ, Germanicâque linguâ uteretur, ne quarum gentium ambiret imperium, harum linguas non assequeretur, quòd turpe crederet suis imperantem à subditis intelligi non posse. Interea nulla pueri voluptas major, quàm scribere, suosque in ordines distribuere, ex coæva puerorum classe, militem, atque hunc ipsum in ludicra ducere certamina, mactare victores præmijs, carceribus victos. Quin & volupe illi fuit cum leonibus, suis tamen claustris cohibitis, decertare, ut jam tum nil humile ausurus videretur. Militiæ verò seria deindè progymnasmata aggressus, inter illa bellandi simulacra, indefessi laboris, animiq; ad quævis pericula interriti argumenta dedit. Equum enim inter æquales habili corpore ductuque moderari, ad metam scitè jaculum intorquere, globos librare missiles, hastam suspenso infigere annulo, ducere, moderarique nobilium epheborum agmina, ut jam tum lineamenta quædam, velut in tabula istius præbere Imperatoris videretur, cujus posteà absolutissimam exhibuit imaginem.

Nec

An Chr. XIV.

Ferdinãdus Caroli frater in Hispania spe regni educatur. Gomecius in rebus gestis Ximenii l. 5. in fin. & 6. init. Mariana l. 30. Guicciard. l. 12. & alij. *In Carolũ à Ferdinando fratre hereditas per avi testamentum mutatum transfertur. Ferdinãdus Catholicus sine herede masculo moriẽs Carolo nepoti plurima regna relinquit. Pauper moritur.*

Nec Ferdinandi fratris, sexennio post in Hispania nati, ac sollicitè ad hujus gentis mores ingeniumque educati, multum dispar indoles. Sed in herba primùm spectata eminebat: cui tantò impensius vigilatum est, quòd ex destinatione avi Regis Ferdinandi in spem regni aleretur. Nam, sive ipso provocatus amore nominis sui, in regio adolescente ac nepote conservandi, sive Hispaniæ natalis puero soli dulcedine, morumque ex aura non tantum, sed & aula gentis trahendorum captus similitudine, Ferdinandum infantem, neglecto nepotum majore Carolo, heredem regnorum testamentarijs non ita pridem tabulis, Burgensi in urbe scripserat, adjeceratque trium ordinum militarium magisteria potentissima, S. Jacobi, Oretani, & Alacanteræ, sibi quondam adversus Mauros pugnanti Pontificiâ facultate concessa, atque in hanc spem industriâ Gonsalvi Guzmani Oretani Magisterij clavigero, & Alvari Osorij Asturicensis Præsulis curâ singulari educabatur. Verùm ubi Matiensis (quem à confessionibus è Franciscana familia habuit) consilio, Senatoribus regni haud multò antè mortem hasce voluntatis ultimæ tabulas legendas expendendasque obtulisset: quorum jam animos Hadrianus Caroli legatus, uti & Regis ipsiusmet, singulari humanitate, indolisque Carolinæ deprædicatione occupaverat, unanimi sententiâ visum omnibus, hoc successionis beneficium à Carolo, ut majori natu, jamque ad regnum aptiore, transferendum, gravissimis ex causis, non esse; & Rex ipse veritus, ne regnorum proceres, nec sibi quidem satis addicti, Ferdinandi infantiâ ad suam libertatem cupiditatesque abuterentur, in Carolum regna à se possessa transtulit, administratoris tamen seu gubernatoris titulo, dum filia Johanna & Caroli mater (quam leges patriæ regno non excludebant) in vita superesset. Quibus constitutis Matricalesio in humili vico, quem cavere in vita, à fatidica jussus fuerat, ritè sacris munitus X. Cal. Febr. decessit, anno salutis MDXVI, ætatis LXIII. Regni Arragoniæ XXXVII. Castellani, à morte Henrici fratris Isabellæ conjugis, XLII. sepultus Granatæ regio funere, ad quod pro dignitate præstandum vix regium ærarium ex amplissimis tot regnorum proventibus sufficiebat: ut multi obstupescerent tot regnorum Dominum pauperem emori, proceresque frustrà se in illo liberalitatem desiderasse cernerent, quem omnia in Reip. & Ecclesiæ bonum, non in aulicum luxum profudisse animadverterent. Certè Principum suæ ætatis omnium habitus præstantissimus est, qui religionis Christianæ toto orbe propugnandæ studiosissimus, Catholici Regis nomen optimo jure tulit, quando occupatâ Granatâ urbe Mauros cum Judæis, septingentorum annorum Dominos, totâ exegit Hispaniâ; ut bello jam victor, centum XXIV. millia familiarum migrare jusserit, majori tamen religionis, quàm terrarum latè incolis exhaustarum emolumento. Porrò victoriam prosecutus, trans mare in ipsas extendit Africæ oras. Ne verò fex illa hæreret profligatæ fidei hominum, inquisitio severissima ab eodem est instituta, quæ ad omnem hæreseos suspicionem, & labem religionis quamcunque, equuleos, ferrumque ac ignem in promptu habet: dura in paucos, ut plurimos ab hac peste tueatur, chirurgi prudentis in modum, qui ulcus secat, ut corpus vitamque conservet. Præ-

ter hæc novus sub ipso patefactus orbis, & Hispanorum imperium, & Romanam fidem excepit. Neapolitanum quoque regnum è manibus Gallorum extortum, Gonsalvi Magni virtute servavit. Navarræum verò, cùm alijs de causis sibi à Joanne Albreto Rege vendicavit, tum potissimùm eâ usus potestate, quam Pontifex illi detulit Julius, ob juratam Regi Galliarum Ludovico adversus se Romanamque Ecclesiam in schismate turpissimo fidem. Quando hi Reges ausi sunt conciliabulum Pisanum cum nonnullis Cardinalibus indicere, Pontificemque huc judicandum damnandumque evocare. Unde cùm è diverso Julius Lateranense Romæ concilium indixisset, Regemque Ludovicum cum Joanne Navarræ Rege anathemati subjectos, regiâ dignitate regnisque exutos declarasset; Henricus Rex Anglorum Ludovico, Ferdinandus Joanni arma intulit: & hic quidem feliciori successu, quo victor, regnique possessor factus, materiem disceptandi bellandique longam posteritati suæ, hactenùs fixis illic Hispanorum vestigijs insistenti, reliquit. Tot igitur regnorum, multo tempore, summâ curâ, impensisque partorum possessione, Ferdinandus uno momento, & vitæ & fortunæ spoliatus; Carolus sine cura ac labore, uno Dei immortalis nutu donatus est. Tam facilè illi est, & dare non habentibus, & possidentibus adimere: ut hora quandoque unica conferat, quod centum annorum bella non potuerunt. Et ecce diversam fratrum Caroli ac Ferdinandi sortem: ille jam Belgarum Princeps, & vix Rege inferior, ad tot regnorum possessionem evocatus; Ferdinando priùs ad hæc designato, nihil præter gratiam fratris relinquitur. Non magno sanè Europæ bono, quando idem iste Germanorum posteà Imperator, majus, quàm pro unius ingenio viribusque imperium administrandum suscepit. Quod divisâ regnandi sorte, citra minorem religionis quietisque publicæ jacturam, poterat administrari, si primis Rex Catholicus testamenti legibus constanti voluntate inhæsisset: *Magnis enim regnis, ut aquis, rara quies permittitur.* 1516.

Carolus apud Belgas morte Ferdinandi cognitâ, suæque jam sortis per Hadrianum Legatum, Ximeniumque Cardinalem commonitus, splendidissimas avo exequias adornavit, quæ nisi atro celebratæ habitu essent, triumpho quàm funeri poterant haberi propiores. Quanquam nec errare hac specie magnoperè visus fit, cùm justi Regis mors plausum magis victoris, quàm mœrorem victi promereatur. Quare præmissis in exequiali pompa cultis phaleratisque magnificè equis, qui regnorum præ se ferrent diversorum insignia, longo deindè Magistratuum nobiliumque ordine, ad ædem Gandavi primariam, cum Ecclesiasticis Religiosisque viris, eâ lege processum est; ut vexilla, rerumque illustria gestarum monumenta suis visenda locis eminerent. Erectum verò in basilica sacra cenotaphium, inter fulgentia quaqua versum luminaria, succensasque magnifico spectaculo faces, sceptra coronasque regales ostentabat Carolina jam non minus, quàm Ferdinandea olim decora: ut Belgium non tam lugere defunctum, quàm victuro plaudere videretur, & unius doloris, alterius esset gloriæ monumentum.

Exequiæ splendidissimæ Regi Catholico adornatæ.

An. Chr.

Carolus datis literis Ximenij gubernatoris, benevolentiam occupat.

Et sanè non pauciores à maximis deferebantur Principibus literæ magis gratulationis quàm luctûs plenæ, quæ ita de illius dolerent Solis occasu, ut magis de alterius se lætari testarentur exortu. Ita & Carolus datis ad proceres Hispaniarum literis, multa prætexuit argumenta dolentis animi, ut : *quòd se patriamque rectore optimo post natos homines privatum esse sentiret; tam amante sui, quàm in rudi etiamnum ætate necessario. Iacturam hanc tamen, quamvis incomparabilem, haud mediocriter sarciri avi sui consilio, qui Ximenium Cardinalem, cujus sapientiam multo usu firmatam, gravissimosque ex multorum relatione mores esse cognovisset, præfectum Reip. voluisset.* Qua commendatione utcunque mitigavit inflictum Ximenio vulnus; cùm Hadrianum ipse Præfecti jam titulo, si Ferdinandus illo morbo occumberet, ad Hispanos ablegasset. Alijs tamen ad Ximenium senatumque literis, Hadriano quippiam se commisisse arcanum docebat, quod cum ipsis communicatum vellet, cujus sententiam consilij quamprimùm expeteret. Id verò erat : ut *quoniam vivente matre, ad quam regnorum possessio spectaret, regium sibi nomen à summis Principibus per literas legatosque tributum esset, hoc ipsum decrevisset etiam assumere. Ab ipsis proindè expectare sententiam, an non salvis Majorum institutis id liceat; cùm Germanos inter Italosque nulla cuiquam liberorum religio sit, paternarum dignitatum titulos, vivis licet parentibus, usurpare.* Quæ sanè consultatio Ximenio totique senatui insolens visa est, suspensosque haud parum tenebat : tum quod re jam ante in deliberationem adductâ conclusum esset, multis gravibusque de causis nequaquam expedire : tum quòd non invitari se à Carolo tantùm, sed impelli etiam sentirent: ut qui jam secum statuisset regium usurpare nomen, adeoque consultandi hac de re viam præscinderet, solam investigaret rationem defendendi, quod non erat consilium petere, sed imperare consensum.

Et Regis sibi titulum vivente adhuc matre, cōtra Hispanorum morē & Catholici Regis voluntatem vendicat.

Pontificis Cæsarisq. consilio ad vitandas seditiones obsecutus.

Quocircà, cùm iteratis Carolum literis orassent : *abstineret solùm Regis titulo offensionibus multorum, seditionibusque populorum obnoxio, ac potestate minimè per hanc dimißionem infringendâ, uteretur.* Perstitit tamen ipse, negavitque, *id jam sibi integrum amplius, postquam ea in re Pontificis Max. purpuratorum Patrum, ac Maximiliani Cæsaris avique voluntati obsecutus, regium nomen admisisset : curarent proindè, ne tot tantorumque auctoritas secum neglecta recusando videretur.* Diversæ erant, quæ hanc ejus voluntatem obfirmarent, causæ. Matris inprimis imbecillitas, quæ ad mentis usque infirmitatem pervenerat, ut hæc non tam rectura, quàm regenda procerum Hispanorum arbitrio videretur. Undè horum expositum cupiditatibus regnum haud leviter quatiendum esset. Prætereà nondùm satis fida Carolo Principum multorum voluntas, jamtum in contraria discedere studia exploratum erat, non paucis illorum à Ferdinandi Regis consilio diffidentibus. Accedebat Belgarum procerum inprimisque Croyi, qui Caroli animum possidebat, impulsus. Is enim si ultima Regis voluntas religiosè propositum obtinere, se quoque ab aula Caroli (quod Rex moriturus cum Hadriano in pactis de admittendo in hereditatem Carolo sancierat) excludendum observârat. Siquidem illis Ferdinando coloribus depictus fuerat, quibus Regis offensionem odiumque contraxerat.

1516.

XVI.

Discriminis tamen hoc consilium plenũ fuit quo à Carolo ad Ferdinandum rursus inclinabatur.

Discriminis tamen rem plenam Carolus urgebat. Præsertim cùm non deessent, qui Burgensibus testamenti Ferdinandæi tabulis, quibus cognominem sibi nepotem heredem scripserat, standum esse contenderent. Nec defuisse his rationes sunt visæ; quòd primæ hæ tabulæ integerrimâ Regis mente, firmatoque jamdudum consilio, non subito ut posteriores, & vacillante jam ex morbi gravitate judicio, conditæ fuissent. Quòd illis Hispanum suis popularibus, his Germanum Principem exteris præficeret: quòd per illum ultima Regis voluntas, quæ sancta habenda sit, inviolatè servanda; per hunc præter jus fasque infringenda videatur: per illum Hispani ex Principum suorum arbitrio regendi sint; per hunc Belgæ Germanique Hispanorum capitibus, non sine gentis suæ opprobrio, sint imponendi. Jam verò illud multò retrahebat à Carolo Hispanos maximè, quòd se repentè gubernandi consortio ac potestate spoliandos videbant. Præsertim cùm jam ante mortem Regis Carolus nepos Hadrianum Belgam Hispanis per absentiam suam gubernandis præfecisset. Quæ hanc gentem externæ dominationis impatientem haud leviter inprimis regnandi auspicijs adversus Carolum incitabant. Sed unus Ximenius (quæ illius erat in Carolum observantia, & conjuncta cum honore administrationis sibi à Ferdinando delatæ, submissio) suâ & auctoritate, & constanti erga Carolum benevolentiâ, hæc perfregit obstacula. Qui illum Principi honorem jam nuper habuerat, ut licet is gubernationi præfectus à Ferdinando moriente fuisset, Hadriano tamen à Carolo ad id muneris destinato, locum apud se ad consilia administrationemque participandam fecerit: donec suâ hanc novus Princeps sententiâ litem absolveret. Hinc & Carolus probatâ Ximenij moderatione, privatis illum literis sollicitavit: *omnem huc conferret operam, quò cunctis hac ipsius regij nominis suscepti voluntas probaretur.* Quod quidem ab Hadriano ad gubernationem admisso obtinendum non fuisset; ut hic Carolo profuerit, non fuisse exauditum. Ximenius igitur, ut postulata exequeretur, Madriti senatum cogit, ad quem Principum quatuor, Anricus Almirantus, Fradricus Albanus, Paciecus Ascalonius, & Rogius Dianensis, Præsulum totidem, Rogius Granatensis regij senatûs præfectus, Fonseca Burgensis, Fradricus Seguntinus, & Franciscus Abulensis cum alijs nonnullis convenêre, ad quos Laurentius Galindus Caravaialius, veterum recentiumque legum senator peritissimus, instructissima oratione, ex Caroli & Ximenij mente, disseruit, qua ostendit: *Non arrogantiâ aut tyrannidis, qua per vim legesque conculcatas ad regij solij dignitatem irrumpat; sed gravissimorum hominum, Pontificis Cæsarisq́; impulsu, tum verò ipsâ necessitate ductum, hanc nominis prærogativam sibi deposcere; cùm Regina mater non obscurâ mentis aberratione, amplissimæ nequaquam administrationi Hispaniarum, par queat existimari: & si feminæ mentis compoti vix tanta rerum moles tutò credi possit, quid impoti securè damandandum sit? præsertim cum nec modo quidem earum, quæ per nos geruntur, rerum, conscium judicemque esse patiamur. Et qua fronte per illam Carolum dirigi, ejusque imperio obsequi volumus? Quid à nobis subditisque impetrabit, cui majestas regij nominis ac reverentia defutura est? Non postulat excludi matrem; sed ut ille, qui oneris est particeps, etiam honoris fiat. Nihil hic*

Ximenij Cardinalis erga Carolum favor obstacula perrupit.

Regium Carolo nomen tribuendum esse, & ratione & exemplis veterum suadetur.

An. Chr.

novum, atque à patrijs institutis usibusque diversum agitari. Hoc jam olim Hispaniarum ex Gothis Regem optimum Cindesvvindum suo probasse exemplo, cùm Recinsvvindum filium secum ad regiæ dignitatis nominisque usurpationem admitteret. Hoc Ranimirum, communicatâ cum fratre administrandi regni authoritate. Et ne matrum filiorumque participata defuisse imperia existiment, Vrracam Reginam Alphonsi Raimundi ex se nati, operam dignitatemque junctam non recusasse. Ferdinandum Regem sanctißimum, cùm matre Berengella, Castellæ Legionisque quondam regnis, pari jure imperasse. Qui omnes, cùm doceant, nihil à Carolo insolens diversumque à Majorum consuetudine factum, quando ex aliorum imperio regale nomen usurpavit: non posse quenquam ab illo cum ratione exigere, ut semel admissum rejiciat. Et, siquidem illud vellet, etiam esse prohibendum; ne, quod gravißimorum hominum consilio susceptum sit, cum temeritate rejectum videatur. Assentiendum igitur, cùm ad eum res articulum deducta sit, ut jam non consilium ab eis; sed probatio factorum postuletur. Simulque Caroli è sinu deprompsit, recitavitque literas, eâ, quam supra memoravi, sententiâ conscriptas. Diu intra silentium se viri Principes continuêre, inexspectatâ postulatione, & Galindi oratione perculsi, quâ privata, ob speratam sub imbelli Regina ac Principe libertatem, sibi emolumenta eripi animadvertebant. Ac subindè in geminas divisi partes, quarum altera Galindo Ximenioque assensa est, ne cùm gratiam negaret, amitteret, ac necessitate inductâ beneficium corrumperet: altera, in qua Anricus Fadricusque Principum antesignani, manifestè contradixit: *Neque enim exempla à Galindo adducta vim momentumque ad præsentem adferre consultationem dicebant; quòd nec temporum, nec rerum par ratio. Non ita temerè consulta sacrosancta legum Regumque convellenda esse; viderique malè ominatum regimen, quod ab horum contemptu exordium ducat.* Nec ceteris ea Caroli audacia probata est, ut Paciecus Ferdinando infensior, adeoque Caroli accessurus postulatis creditus, cùm sententiam rogaretur, negaret se daturum consilium, quod à se Carolus non postulasset. Undè promiscuum murmur, dissensum magis quàm assensum plerorumque arguebat. Ut Ximenius indignabundo vultu severâque voce interpellaret: *Vestrum suffragium, O Principes, res minimè dubia non exigit; neque enim subditorum consensu ad sua Rex vota indiget, cùm æquitate nituntur. Vestris ego hoc studijs tribui, ut convocarem ad gratißimum Regi præstandum obsequium officiumque, quo illius promereri gratiam liceret. Vos, quod ex comitate quadam datum est, hoc jure vobis deberi perperam existimatis. Equidem si regium Carolo nomen denegarem, nec parere quidem in animum inducerem. Quocirca hodie publicâ solennitate hîc Madriti Rex Carolus proclamandus est, ut ceteræ urbium exemplum sequantur.* Quo dicto, Senatum abs se dimisit, Madritique Præfectum Petrum Corream ad se vocatum jussit, recepto Hispanorum more, primùm in prætorio, intersonante tubarum strepitu, præconis voce, Regem Castellæ proclamare, quod deindè vicatim, vexillis inter decuriones sublatis, tubisque præcinentibus, ingenti applaudentis populi, Caroloque vitam ac felicitatem apprecantis lætitiâ præstitum est. Porrò urbes per Castellam reliquæ prompto obsequio hoc exemplum secutæ sunt, Regulique, qui Madriti aberant, Ximenij regijque Senatûs autoritatem veriti, nihil contra, quan-

Sententiarũ diversitas & pugna.

Ximenij animosa dissidentium reprehensio & pro Carolo publicata definitio.

Carolus Rex per regnũ Castellæ proclamatur Aragonijs resistentibus.

tum

tumvis dissentirent, moliri sunt ausi. Arragonij soli, quibus Ferdinandus Alphonsum filium nothum, Cæsaraugustanum Antistitem, cum summâ gubernatoris potestate imposuerat, sui rectoris dissensu freti restitêre, nec Carolum ante dixêre Regem, quàm Johanna Regina morte discederet. Quibus tam Avi, quàm Antistitis veneratione inductus, Carolus hanc ignovit pertinaciam. Intereà ceteri Dynastarum urbiumque Ximenij, regijque Senatus literis, observantiam detulêre, hâc ad illos datis sententiâ: *Carolum Regem Pontificis maximi, avique Maximiliani consilio, regnorum Hispaniæ, quamvis matre superstite, possessionem adijsse. Nec deesse facti rationes gravissimas ex Reip. totius emolumento petitas. Nolle tamen Regem, hanc ita sibi dignitatem deferri, ut Regina mater ab ea separetur, primum illi in regni muneribus honoris observantiæque locum relinqui, primam in tabulis publicis inscribendi nominis sedem ac reverentiam. Carolum in laboris partem, & ad levandam parentem, tantâ regnorum mole vacillantem subvenire. Quod igitur felix faustumque DEUS Opt. Max. ceterique Cœlites, atque inprimis D. Iacobus tutelaris Hispaniæ Apostolus, vellent ac juberent esse: Carolum lætis per subjectas provincias vocibus Regem proclamarent; fore, ut propediem & ipsum præsentem in Hispania Principem suum intueantur.* Tantum Pontificis Cæsarisque apud hanc gentem authoritas valuit; ut sine cunctatione, & accepta ab omnibus hæc sententia fuerit, & magnâ procerum populorumque alacritate impleta, ne sine capite Hispania hostium, ac præsertim Turcarum armis extrema Europæ minitantibus, opportuna fieret. Solum enim feminæ nomen ad injuriam pronius, hostibus audaciam, timorem subditis injicere poterat, quæ regij tituli majestate facilius declinantur. Et verò deindè compertum nihil ab illa, atræ bilis jactationibus obnoxia, consultò moderateque ac constanter geri posse, quæ eodem quandoque tempore contraria per diversos mandata expediebat; neque seipsam cum ratione poterat moderari. Undè Trudesillis Vacceorum oppido, ad insignem amœnitatem illius gratiâ per Ferdinandum exculto, obscurissimum illa in angulo domus locum, undè nullius consilio extrahi ad sedem amœniorem poterat, sibi cooptarat: ubi, seu pietatis sensu, seu melancholiæ vitio, non nisi nuda humo, tabulisve strata somnum occupabat, & nec adversus frigora quidem inter brumæ rigores suffultas pellibus vestes admittebat, triduique persæpè inediâ corpus macerabat, nec alijs nisi fictilibus vasis cibum apud se detentum putrescentemque solita accipere, inflexibilis, contra omnium preces, erga seipsam sævitiæ. Ut Ximenius Reginæ vicem perdolens, Ferdinando Duca amœnioris ingenij cive, in consortium, custodiamque Reginæ, loco Ferrerij Valentini severioris animi directore introducto, sensim ad humaniorem vitæ usum, grato Caroli Regis obsequio, illam traduxerit: ut humanissimis ipse Ximenio literis Rex testatus est, pro illo quo tenerrimè parentem amore complectebatur. Et hæc matris Reginæ imbecillitas excitandis per regnum turbis idonea fuit. Ximenius tamen ad periculum omne submovendum pervigil, destinatum jam olim Regis Ferdinandi consilium executus, per singulas regni provincias, indigenam scribialique militem jussit, qui ad Regis imperium expeditus, bellicâque instructus supellectile, præsto esset.

1516.

Carolus observãtiã matris illi in honore regni primas defert.

Ioanna matris imbecillitas & vita afflicta.

Gomec. in Ximenio l. 6. mihi p. 194.

An. Chr. *Militia scribẽda exercẽda & conservanda facilis initaratio.*

Ad hanc rem ut pronum sibi aditum, facilesque pararet subditos, non paucis militiæ onera immunitatibus levavit, à servitijs, vectigaliumque ac tributorum pensionibus, militaturos absolvit: tantâ omnium alacritate, ut non magno tempore ad triginta selectorum militum millia sacramento auctorata sint, quibus regiâ voluntate Tribuni Ducesque præfecti, quot hebdomadibus consueta militiæ exercitia imperabant. Ita omni armorum genere, bellicisque muneribus, tanquam in Martis campo, insueta juventus, non minùs adversus voluptates, quibus otiosa diffluit, quàm domesticos externosque hostes excolebatur. Prudens certè consilium, dignumque, quo plures regnorum suorum arma moderentur. Ita nullo, aut certè exiguo Reip. impendio, emolumento maximo, exercitum ad omne discrimen expeditum opponerent; exeras gentes prædæ magis, quàm defensioni regnorum intentas, patriâ arcerent: militem alerent, cui nullum in fuga præsidium, sed pro aris focisque domesticis, pro vita ac fortuna propria esset dimicandum: qui & virtutis suæ inter populares præmium, & vitiorum pœnam expectaret. Nunc ubi in militia scelerum libertas, & impunis rapiendi licentia quæritur; ubi nulla peregrino militi inter amicum hostemque distinctio: poteritne salus ab ejusmodi præsidijs expectari, quæ non minùs ad opprimendos sine hoste subditos, quàm propulsandos adversarios excogitata videntur. Certè Turcarum imperium illo bellandi artificio hactenùs non modò defensum, sed auctum etiam est. Romanorum, hoc defectu, non tantùm ab hostibus externis labefactatum; sed internis propemodùm seditionibus laceratum, vix aliqua pristinæ dignitatis vestigia in Germania retinet. Providendum tamen erit, ne dum eâ, quam laudamus, arte militiam instruis; alienos magis, quàm subditos armes. Nam si incertæ fidei homines, imperijque detrectantes, his belli subsidijs munias, gladium imprudens porrigis, quo tuum deindè jugulum appetant: quod Carolo inter ipsa regni auspicia propiùs opinione evenerat. *Sic in rebus quibusque maximis sua cum emolumentis pericula eminent, & regnorum, ut mercimoniorum, lucra ingentia damnis ingentibus vicina sunt.*

XVIII. *Carolus fœdere cũ Rege Gallia, & affinitate cum Rege Hungariæ ac Daniæ munitur.*

Morabatur etiamnum in Belgio Carolus, magnisque se se cùm Principum, tum vicinorum Regum amicitijs munierat, postquam enim anno ejus sæculi, ætatisque suæ quinto & decimo Belgicis provincijs inauguratus esset, ad Franciscum Valesium, recens dictum Gallorum Regem, legatos, & gratulandi, & fœderis innovandi causâ misit. In quod utrimque ijs legibus concessum est; ut clientelæ titulo, de Flandria Artesiaque Carolus Francisco sacramentum nuncuparet. Renata verò Regis Ludovici defuncti filia, sexennio nondum major, Carolo sponsa opportuno tempore fieret. Affinitatibus quoque alijs sibi Europæ Reges devinxit. Altera sororum Maria Ludovico Hungariæ Bohemiæque Regis filio tradita: altera Elizabetha Christierno II. Daniæ Regi copulata. Subindè vicinos sibi Principes aut benevolentiâ, aut fœdere conciliavit. Georgium Saxonum Principem adeò in se liberalem expertus est, ut Frisiam ipsi defendendam, possidendamque ultrò detulerit: quam Etzardus ejus loci comes post annorum octodecim bella, variâ sorte gesta, clientis denique titulo obtinuit,

nuit. Joannem Juliæ ac Cliviæ Ducem, vicinâ armorum potentiâ metuendum: 1516.
tum Marcanum Leodiensium Antistitem Gallorum magis ferro, quàm proprijs armatum viribus, novis sibi pacis legibus demeruit. Ita priùs regnum suum amicitijs, quàm armis munire aggressus est, propugnaculo sanè fortissimo, quo Spartani olim septi pro muro, hostium facilè impetus declinabant. Sed Regem Galliarum Franciscum Carolo timendum fecerat, occupatæ recens Insubriæ felicitas. Siquidem is regno Neapolitano animum adjecerat: ratus Carolum jam in aditu tot regnorum, ancipiti satis lubricâque fortunâ consistentem, tanti hujus ditionis jacturam non facturum, ut secum inimicitias suscipiat ad Castellæ, Aragoniæ, Navarræque turbandam possessionem fortè valituras. Neque enim deerant, quibus, si his de regnis contendere placuisset, juris atque armorum causæ longè accersendæ viderentur, quæ, & ingeniosæ ad omnia cupiditati, & promptæ ad capiendum potentiæ raro desunt: Castellæ regnum, aut jure affinitatis regiæ admittere Lusitanum, aut legibus suis fretum, Reginæque opibus immaturum sceptro Carolum excludere poterat.

Rex Gall. occupata Insubria, ad Neapolitanũ regnum adspirabat.

XIX.

Jus quod in Navarra regnũ prætendebat, & quo ex capite.

Navarra sese in Ferdinandi potestatem venisse admirata, Hispanicis quidem armis obtinebatur; sed multis disceptantibus jure, an potentiâ? Nam cùm Joannes Albreti Princeps hoc regnum, Catharinæ Foxiæ dotale, matrimoniali cum illa lege junctus, ad se transtulisset; Rex Galliæ Ludovicus sibi illud, ex mascula Foxiorum stirpe descendenti, deberi contendit: certè obtinuit, ut Navarræus Gallicæ sese coronæ perpetuum contra Hispanum stipendiarium addiceret. Quod fœdus, uti Ferdinandum graviter pupugit; ita Navarræo exitiale fuit. Cùm enim eâdem tempestate odia armaque in Pontificem Julium vertisset Ludovicus, & illum, & eidem faventem Joannem diris execratus fuerat, factâ cuivis in regna fortunasque illorum potestate, hac Ferdinandus, Romanarum id temporis partium (ut suprà vidimus) fautor, strenuè usus, promptis ad hanc rem Anglorum subsidijs, Navarræum Regem, neque suo, neque Francico instructum milite, solo penè armorum terrore, regno expulit, anno post Christum natum CIƆIƆXII. quod irrito deindè labore Galli, aut sibi, aut pristino Regi vendicare sunt conati.

XX.

Aragoniæ regnũ quo titulo ad Ferdinandũ, ab eodem ad Carolum pervenerit.

Porrò Aragoniæ possessionem nonnulli Ferdinandum armis magis, quàm æquitate adijsse etiamnum murmurabant: quòd is feminâ, antiquis legibus à regno seclusâ, natus, alios masculæ stirpis nepotes solâ propinquitate antevertisset; exemplo avi Ferdinandi, pari jure Martino Aragonum Regi surrogati. Quæ quamvis in regni comitijs lege nuper probata sancitaque essent, regia tamen plus autoritas, quàm causæ æquitas valuisse putabatur. *Nam quid*, aiebant, *juris, remotis semel à sceptro feminis, posteritati illarum relictum sit? an nascendi conditione, amissa dignitas redire poterit, & alienam hereditatem parens liberis transmittere?* Hæc timere Carolus poterat, si alij illa, quàm hostes controvertissent. *Quando enim Castellanis*, inquiebant amici, *hac de re controversia extitit, quòd legitima soror puellam ambiguo thalamo natam præcederet? Cur Ecclesia rebellis regni jure per Pontificem translato non excidat, usurpato jam olim in Carolo Magno alijsque exemplo? Cur*

regni

An. Chr.

regni legibus existimetur à corona seclusus, ejusdem stirpis Princeps , ubi tantum feminæ ob ingenij morumque imbecillitatem, non ex feminis nati separantur?

XXI. *Noviodunensi pace controversia cum Gallo certis legibus cōposita.*

Maluit tamen Carolus hostes suos minùs adversos experiri, donec primo regni aditu, varijs in quamvis partem affectionibus obnoxio, receptus esset: ne dum foris imperium quæreret, domi amitteret: *cani similis Æsopico, qui cum umbram sectatur, amittit lucanicam.* Actum igitur Pontificis Leonis operâ, ut pacem ante arma admitterent. Quæ ijs denique legibus Novioduni anno hujus ,seculi decimo sexto inter Galliæ Hispaniæque Reges constitit: *Vt Navarræ re- ,gnum ad Ioannem Regem certâ temporum interpositâ morâ rediret; quod nisi præste- ,tur, Gallis fas esset absque pacis violatione, arma Regi amico pro ejus restitutione sociare. ,Videlicet, si regnum jure sese reposcere (constitutis ad hoc arbitris) Ioannes ante docuisset. ,Vt deinde pax inter Cæsarem Maximilianum Venetosque constaret, Veronâ certis auri ,pensionibus ad illos redeunte: quod non levi existimationis suæ jacturâ, Cæsar Caroli rebus ,indulsit. Vt denique Carolus, non Ludovici, uti nuper convenerat; sed Francisci filiam ,anno vix majorem cum regni Neapolitani dote Reginam haberet; illique, dum nubilis es- ,set, educandæ sponsus quot annis auri libras mille impenderet, morientis vicem, aut alia ,Regis filia, aut si deesset, Renata Lutetiæ Carolo desponsata adiret, quæ si improlis morere- ,tur, pars regni Neapolitani, veteri cum Rege Ferdinando pactione Gallis debita, armis- ,que à Gonsalvo Magno occupata, Hispanis decederet.*

XXII. *Quo ex principio Galli jus suum in regnum Neapolitanum derivent.*

Cujus fœderis rationes, ut altiùs penetres, operæ pretium erit cognoscere, quo fonte hæc jura Galli deducant, cùm à proavis longè repetitis titulis hinc Aragoniorum, ex Hispania: Andegavensium indè, ex Gallia, proceres hoc sibi extremum Italiæ regnum multis ultrò citroque bellis postulaverint. Vetustissimo jure Romanorum Pontificum clientelam agnoscit. Ex quibus Urbanus ejus nominis Quartus, postquam illud Manfredus Friderici II Imperatoris ex concubina natus, vi occupasset, Carolum Andegavensem D. Ludovici Regis fratrem Regem nuncupavit, anno partæ salutis CIↃCCLXIV. Qui coronam Pontificis favore, suisque paratam armis, tribus ex se Regibus, Carolo primo, alterique, ac denique nepoti Roberto transmisit: cui post vitam, masculâ prole extinctâ, neptis Joanna ex filio Carolo superfuit. Quæ cùm morum obscœnitate subditos ad sui odium, consanguineos ex Carolo proavo ad regni ambitionem concitasset: metu anxia Ludovicum Andegavensem, Caroli V. Galliarum Regis fratrem, cum exercitu ingenti in Italiam, sui defendendi gratiâ, traxit. Præmium armorum regnum post Joannam adeundum erat: sed spe suâ vitâque ex febri in Apulia destitutus, hunc, si quis est, regni titulum, cum provinciæ possessione Gallis reliquit. Regnum apud superiorum Regum nepotem Carolum Dyrrachinum, oppressâ per vim armorum Joannâ, relictum: ad ejus deindè filium Ladislaum, à Ladislao sine liberis defuncto, ad sororem Joannam alteram transijt: quæ, ut nomine, sic vitâ fortunisque par superiori, Ludovicum III. ex Gallia, Pontificis Martini V. consilijs opibusque fretum, infestum habuit: cui avertendo, Alphonsum Aragoniæ, Siciliæque Regem in regni jura defensionemque adoptatum opposuit. Sed, ut *potentium feminarum magna*

est

est affectuum impotentia, citò accepta, præstitaque utrimque gratia offensionibus 1517.
extincta est, atque ad hostem Ludovicum amor, sceptrumque adoptione translatum. Post quem tamen, cùm superstes Joanna vixisset, regnum ad Alphonsum rediit, longâ bellorum contentione cum Renato Ludovici fratre susceptâ, quòd hic testamento, sed (ut fama erat) commentitio: ille adoptione jus sibi arrogaret. Ex hoc potissimùm fonte longa manavit bellorum inter Aragonios Andegavosque series, oppositis inter se, pro temporum rerumq; varietate Pontificum diplomatis, alita. Sed & Alphonsus sine legitimo hærede moriens, Ferdinando ex se furtim nato, regnum, fratris Joannis Aragonum Regis armis partum, testamento legavit. Par ferè Renati fortuna, qui Carolo, ex fratre nepoti, suas cum jure spes opesque transmisit. Hic, easdem, improlis ad Ludovicum XI. Galliarum Regem (Andegavi Narbonæque ex masculæ prolis defectu, possessorem) transtulit. Undè ad filium Carolum VIII. Galliæ Regem jus devolutum: & cùm vires non deessent, sed circumspectio, regnum pari facilitate, & partum, & amissum est. Postquam enim ex Ferdinando Alphonsus filius Neapolitanis imperaret, anno Christi CIↃ CCCCXCV. Carolus, Alexando Pontifice cum Ludovico Sphortia invitante, Italiam magno exercitu ingressus, Neapolim subjectasque provincias sine sanguine occupavit: ubi Alphonsus suis ob crudelitatem exosus, atque ad vitam solitariam versus, Ferdinando ex se nato, senioris nepoti, regnum commiserat. Sed hic unius nondum anni Rex, Carolo menstruo Regi futuro, tantisper cessit, dum subditorum favor in Gallos effusus, refrixisset; eâdemque facilitate, qua illos hospites admiserant, repellerent inimicos. Ita Ferdinandus redux, ac brevi sine herede mortuus, Fridericum patruum successorem, regni totius Pontificisque voluntate habuit. Qui cùm hinc Ludovicum Gallum ex Carolo Regem; indè Ferdinandum Aragoniæ, suo quemque jure ad coronam aspirare cerneret, vectigalem sese Ludovico, jam Insubriâ recens potito, contra Ferdinandum subdidit: donec federibus inter se uterque Regum sociatus, Fridericum Alexandri Pontificis, aliorumque Principum ope destitutum, tanquam illegitimi heredis successorem regno exuunt, istaque inter se lege partiuntur, anno post natum Christum MDI. ut Hispanis Apuliæ & Calabriæ Ducatus; Gallis, cùm Neapoli locisque alijs, regni titulus, Siciliæ imposterum nomine obliterato, cederet. Suis quisque armis assignatam sibi partem vendicaverat; sed ut inter unius sponsæ Rivales aut breves aut periculosæ sunt amicitiæ, lis de nonnullis urbibus exorta, utrorumque inter se Regum collisit exercitus, eo eventu, ut totum denique regnum sub Gonsalvi Magni auspicijs ad Ferdinandum Regem & Hispanos transiret. Illud penes Gallos jus relictum est; quod dotis nomine Carolo V. à Rege Galliarum Francisco delatum meminimus. XXIII.

Rebus igitur ad pacem utcunque per Europam compositis, Carolus ex amplexibus avi Maximiliani in Belgio ultimùm oblatis, anno MDXVII. properabat in Hispaniam, invitatus à Francisco Ximenio Cardinale, totius regni præcipuo gubernatore. Cujus fide atque integritate adversus frequentes Hispanorum Gomecius l.7. Lanuzius l.2. c.5. *Carolus*

An. Chr. in Hispaniam à Ximenio gubernatore evocatur. Ferdinãdus Caroli frater apud Hispanos in delicijs, suis nudatur aulicis.

norum procerum oppugnationes, hactenus inviolatum Carolo steterat. Tantò magis admirandâ fidelitate; quòd plerosque Belgarum in aula Caroli gravissimos adversarios; paucos verò Hispanorum, magis in Ferdinandi inter suos educati partes propendentium, fideles amicos experiretur: nisi quos, aut suâ virtute, aut beneficijs sibi devinxisset. Cum Gironijs Albanisque Principibus magna illi, ob seriam severamque mandatorum Regis executionem æmulatio, contentioque fuerat. Quin & Petri Nonnij Guzmani, & Alvari Osorij, aliorumque Ferdinandi Infantis aulam moderantium offensionem incurrerat; ut cùm hi Ximenium amotum cuperent; ille contrà, Caroli assensu fretus, omnes illos aulâ ejecerit, Ferdinando nequicquam, lacrymis propemodum minisque etiam demùm, obstante; quòd fidis se ministris per summam injuriam, ad se perdendum illatam, spoliari quereretur. Alijs tamen, qui humanitate puerum delinirent substitutis, autor Carolo per literas fuit, ut specie humanitatis, & avi visendi obtentu, fratrem in Germaniam ablegaret; ne impensus ille Hispanorum atque Aragoniorum imprimis favor Regi subtraheretur. Adeò enim ob suavissimos mores illorum occupaverat animos, ut suas hunc Principem delicias appellarent, Ximenioque haud leviter offenderentur, quòd illum ab Hispania abstractum, in Germaniam amandaturus crederetur.

Ximenius adversa valetudine conflictatus Carolo tamen obviam fertur multorum invidiæ expositus.

Quare cum occursurus Carolo Ximenius, quamvis afflictâ jam valetudine, ad Castellæ fines pergeret, Ferdinando secum salutandi inter primos fratris gratiâ assumpto, invidiosè jactabant, adventum Regis fingi, ut Ferdinandus hac specie Hispanis eripiatur. Contra Belgæ dictitabant in aula Caroli, Ximenium Ferdinandi sibi favorem adversus Carolum vendicare, ut hoc se nomine Regi etiam præstet metuendum, ideoque vel maximè abstrahendum in Germaniam asserebant. Adeò *diversis invidia phantasmatibus tanquam coloribus iris pingitur, animisque mortalium illudit.*

Seditio mota per eundem repentè premitur

Hærebat Aquileræ Ximenius sub Medicorum cura. Undè cùm fama manasset in Bæticam, lethali illum morbo oppressum, ac veneni per viam præbiti existimatio accederet, ut seni spes nulla evadendi superesset, Maurosque ipsos fama excitasset, repentè Petrus Gironius, & hi in arma coorti, tanquam pastore submoto lupi gregem invadunt. At ubi Ximenium, quâ erat animi consiliorumque promptitudine, defensorem sibi mox objicere militem sentiunt, Carolumque mox adfore ultorem intelligunt, primo hic ardor impetu resedit, majori finitus, quàm auspicatus consilio.

Carolus Hispaniã classe subit.

Intereà Carolus festinatâ profectione spectabat Hispaniam, adeò, ut importunâ tempestate anni, primo idus Sept. invitis plerisque aulicorum è Belgio classem solveret, quâ ventis impellentibus, unaque navium incendio cum vectoribus absumptâ, quinto cal. Octob. Hispaniam quidem, sed iniquam montibus & sterilitate regionem Asturum, sive Biscaiam, contigit. Ubi pro inimico primùm, deindè ut amicus Rex magno exceptus honore, Villaviciosam deductus est, cum Eleonora sorore, Emanuelis deindè Lusitanorum, ac post Francisci Galliarum Regis conjuge. Ximenius re cognitâ, tantoperè ex morbo recreatus

creatus est, ut IV. Octobr. festo D. Francisci sacris operatus, mensæ Patrum Franciscanorum (quos ut sui ordinis viros secum ducebat) accubuerit, literasque Carolo dedit, quibus itineris rationem, tractandique Hispanos artem tradebat, monebatque ut vitatis Hispanorum Principum congressibus tractatibusque, ex se priùs reip. constitutionem ærarijque vim cognosceret. Sed Belgarum proceribus, quibus plerisque ingratus ille Ximenij congressus erat, quòd de se amovendis consilia agitare cognovissent, ne Hispanorum procerum invidiâ Carolus primo regni ingressu gravaretur; omni studio Carolum à Ximenio abstrahebant, spe per Medicos conceptâ, fore, ut morbi violentiæ brevi succumberet; aut certè, ut exautorationem Ximenij, tum ob valetudinem inhabilis, tum ob ipsius Regis præsentiam supervacui persuaderent. Et hoc denique nec ipsis quidem regni Senatoribus Ximenij severitatem probantibus, Motâ Pacis Augustano Episcopo persuasore, obtinuerunt. Undè Carolus cùm Turdesillas ad salutandam matrem iter institueret, literas ad Ximenium dedit, quibus suum illi iter, officiumque Reginæ matri præstandum significat, simulque jubet ad Moiadas, Antistitis Segoviensis oppidum, occurrere, ut communicatis de Rep. consilijs, suæ deindè queti possit consulere, postquam sat laborum molestiarumque pro regno exhausisset, liberalius à cœlo, quàm mortalibus præmium recepturus. Quibus perlatis Roam, ubi tunc morabatur, sensit æmulorum sese artibus pressum, post tam fidelem Regi præstitam operam, abjici, auctaque febris malignitate, non multis horis superfuit, quas excellenti pietate animique in Deum erecti fiduciâ, non sine præsentium lacrimis consumpsit, fide erga Deum hominesque constantissimâ; sed illâ multò, quàm hac felicior, quod insigni vanitatis aulicæ argumento, nullum hujus, nisi repulsæ denique indignissimæ præmium referret; illius immortalem apud Superos gloriam, prodigiosis etiam à morte eventibus præstiti de cœlo auxilij cognitam, ob quam Academia Complutensis illius liberalitate fundata, de eodem in numerum Sanctorum referendo supplices ad Urbanum VIII. Pont. literas dedit, cui diversa Canonicalium Collegiorum suffragia accessêre, ut spectatissimæ, in omni penè vitæ ordine, hominis virtuti dignus honor impenderetur.

1517.

Consilijs profectionis à Ximenio datis Belgæ obsistunt.

Ximenius indignè à gubernatione rejicitur.

Insigni fidei virtutisque laude moritur.

Ille etenim (cujus res gestas octo libris Gomecius haud ignobilis historiæ scriptor complexus est) Cisneris Legionis oppido, honestâ familiâ, ex qua nonnulli equestri dignitate ornati fuêre, editus, post Ecclesiastici ordinis studia cultumque, ad D. Francisci transgressus familiam, ut securiori salutis viæ insisteret, postquam istic Provincialis Rectoris munus cum laude obiret, Isabellæ Reginæ conjugi Ferdinandi commendatus, à confessionibus eidem esse cœperat, quando Toletano vacante Archiepiscopatu, ad illum quantumvis invitus pertractus est. Quem cùm ex mandato Pontificis digno regni primate, aulæ vestiumque splendore administrare coperetur, ne vili habitu venerationi officeret; tamen interiorem D. Francisci amictum nunquam deposuit, frugalique illorum victu, cum posset acquievit. A Julio II. Pont. anno MDVII. amplissimo Cardinalium Rom. senatui adscriptus, à Ferdinando Rege Catholico morituro gu-

Ximenij ortus progressusque per diversos vitæ status.

An Chr.

bernationi Hispaniarum præfectus, probatusque à Carolo, non solùm de Rep. sed Ecclesia ejus regni universa optimè meritus; ut cum illo novum quoddam occidenti sidus natum esse videatur. Hebraicæ linguæ amore, qua sacras nos accepisse literas non ignorabat, operam dedit, ut S. Scriptura Orientalibus Romanaque linguâ quàm cultissimè correctissimeque vulgaretur. Multa ad Ecclesiam religiosamque disciplinam instaurandam molitus, nobilissimæ Complutensium Academiæ ad literarum studia promovenda conditor, liberalitate in pauperes profusus, in Ecclesiasticis beneficijs tribuendis circumspectus, quæ difficiliùs postulantibus largiri solitus, non petentibus, ceu dignioribus, faciliùs deferebat. Justitiæ severus administer, Theologo uno, ac Jurisperito altero speculatoribus uti solitus, qui in suo quisque foro sedulò per regiones vestigarent, nunquid alicubi ageretur perperam? Viduisq; inprimis, ac puellis destitutis prospectum ibat. Multa largitus in pauperes, multa tamen moriens in thesauris reliquit, opum in se suosque minimè prodigus. Quingenta memorant aureorum millia, præter argenteam supellectilem relicta. Cadaver Complutum delatum fuit, honorificaque illic sepulturâ conditum, aliorum mœrore, aliorum gaudio: ut in magnis, præsertim Ecclesiasticorum Præsulum funeribus assolet, quorum alij vitâ, alij morte gaudent ac fruuntur. Alphonsus Aragonius Catholici Regis spurius re cognitâ, Turdesillas properavit, ut salutato Rege Carolo Toletanæ Ecclesiæ præficeretur; sed jam Guillelmus Croyius Cheuræ Dominus, qui omnia apud Carolum poterat, pro Guillelmo nepote illum erat assecutus, Aragonius, nisi Vallisoleti, ad colloquium admissus non fuit. Venit eò Carolus principio anni subsequentis, qui seculi erat XVIII. cum matre Regina, Ferdinando fratre ac sorote Eleonorâ, exceptusque ingenti procerum concursu, applausuque, & in Basilicam D. Pauli traductus, ritu Majorum cum Ioanna matre solio regali imponitur, coronaque ac sceptro donatur, ut pari cum parente jure filius regnaret, quanquam præter Reginæ titulum vix quicquam matri delatum sit, nisi ut Regis procerumque decreta, subscriptione pari, umbratili dignitate firmaret.

Biblia regia orientalibus linguis vulgari curat. Complutensem Academiã condit.

Archiepiscopatus illius Guillelmo Croyio datur. Valisoleti coronatur cum matre Carolus.

Coronationis solennia instructæ aliquot dierum exceperunt epulæ, ludique atque equestria bellantium simulacra. In quibus Bureni ac Zanzelli Belgarum proceres antesignani, biduo cum Hispanis Belgisque ex provocatione mutùa egregiè decertarunt. Tertio demùm die ipse Rex Carolus jam firmati corporis roborisque adolescens, cum præcipuo ceterorum triumphatore Zanzellio, regali armaturâ cinctus, in arena congressus, tantâ peritiâ ac fortitudine decertavit, ut frustrato nunquam ictu proprio, adversarij plerosque deluserit. Quater concursum est, primâ lanceæ in cassidem vibratione plumas capitis tanquam alas victoriæ sustulit: altero in sinistrum pectoris latus detorto ictu, lanceâ (quod palmarium habent) in varias diminutâ partes abscessit: tertio impetu bipennis in casside retorta cladem accepit: ultimâ, eaque gravissimo utrimque robore concursione factâ, altera Regis lancea, excepta Zanzelij circulari clypeo, novo victoriæ argumento, media dissilijt, vires artemque, quibus ejus-

Epulæ, & equestria certamina,

Francis. Haræus in Annal. Ducum Brabant.

In his eminere super omnes visus Carolus magnam sui æstimationẽ collegit.

1518.

ejuſmodi certaminis ſucceſſum metiuntur, egregiè teſtata. Nemo erat pauló ſagacior, qui ad ſeria Principis ſtudia animum non adverteret, ac tam præclaris initijs futurarum rerum momenta non ponderaret. Ingenium facile, prompta ſolertia, ingens animus in vultum actioneſque ſeſe effundebant; ut cùm ſuprà ætatem expectationemque eminerent omnia, vel ab invitis ſuæque gentis amantibus Hiſpanis, favorem extorquerent. Verùm egregius Rex, qui ſuâ ſe indole virtuteque abundè probabat, aliorum ex aula procerum ſuâ illum cupiditate regentium, potentiâ invidiaque offendebat.

Gomec. de vera. ſup. cit.

XXIV.

Duo offenſionis apud Hiſpanos ſcopuli.

Duo in hoc æſtu animorum eminebant offenſionis ſcopuli. Nimia aulicorum Belgarum & frequentia, & poteſtas; tum Ferdinandi fratris, quem Hiſpani amplexabantur, apud Germanos, ut credebant, neglectus. Et prioris quidem argumentum nuper datum luculentiſſimum, quando contempto Hiſpanorum & Ferdinandi quidem regio Principe, licet ex matre impari, Alphonſo laudatiſſimo Præſule, Tholeſanus Archiepiſcopatus, præcipua regni dignitas, poſt tantum, quantus erat Ximenius, Antiſtitem, in adoleſcentem exterumque Croyi nepotem; ut ſi indigenæ maturique ætate & ſapientiâ viri Caſtellanis deeſſent, non ſine gentis dignitatiſque tam ſublimis opprobrio temerè erat translatus: magiſque urebat, quod ab illo hoc factum homine, qui plerorumque jam flagrabat Hiſpanorum invidiâ, quemque iccircò Ferdinandus Catholicus, in Caroli regnaturi inſtitutione, ab aula ſubmovendum eſſe decreverat; ſed qui & has, & alias ſolo Regis amore fretus leges perfringeret. Verùm uterque Croyiorum & patruus, & nepos haud multò poſt in Germania extinctus, hæc ſecum odia ſuſtulit. Attamen Carolus hoc minus conſulto in populares favore animadvertit, parum abeſſe, quin totius regni ad hunc ſcopulum adiret naufragium. Quæ, experientiâ denique factus cautior, pericula declinavit. Nempè *Regibus non minus vigilandum eſt, ut pernoſcant, à quibus & qua virtute conſilioque regantur; quàm quos cujuſque ingenij homines regant: neque enim recta conſilia dare poterit, qui non admittit.*

Toleſanū Archiepiſcopatū in exterū transferri Hiſpani indignatur.

Ferdinādum Regis fratrem contemnì dolent.

Alter offenſionis ſcopulus Ferdinandi fratris neglectus erat; cujus quantò apud Hiſpanos ob ſuaviſſimam indolem, & ſuæ, ut interpretabantur, gentis puerum, amor erat excellentior, tantò frigere is in Carolum magis videbatur; quòd utrumque hunc ſolem idem capere cœlum non poſſet. Quare auferendum hunc ſibi ex oculis quamprimùm dolebant. Et Croyius, ut hoc ipſum Ferdinando deſiderium ingereret, ad ſerviendum quandoque Carolo impellebat. Nam accumbenti ad menſam, inter miniſtros adſiſtere juſſit, & lauturo aquam manibus affundere; ut Carolus pij obſequentiſque fratris ingenium miratus, indoluiſſe feratur, quod ad illa ſe officia demitteret, adeoque ipſe de eodem quantocyus ſeparando conſilia admiſerit, comite Burano Croyi æmulo, præcipuoque aulæ ſuæ principe in præfecturam aulæ Ferdinandeæ adjuncto. Properati autem diſceſsûs cauſa, Maximiliani avi Imperatoris erga nepotem deſiderium, ſeniumque in mortem inclinatum, & puero, & Hiſpanis proceribus expoſitum, non iniqua pleriſque viſa eſt, quæ audiretur. Utque Hiſpanis tantò hic abitus toleran-

Ferdinādus diſponitur ad diſceſſum in Germaniam.

An. Chr. tior fieret, multi Belgarum procerum unà cum eodem remissi sunt, accessusq; ad Caroli aulam indigenis præbitus. Ita quod in theatro peritissimi chirurgorum solent, ostentandæ artis gratiâ, manu altera vulnus infligere, altera remedium exhibere visus est.

Ad avũ Maximilianum haud multò post ægrum transit. Cuspini. in vita. *Maximiliani Cæsaris pius ab hac vita exitus.*

Et sanè non absque divini Numinis providentia felici navigatione delatus in Germaniam Ferdinandus, haud multo tempore superstitem avum primùm ultimumque visurus convenit. Is in Augustanis Germanorum comitijs de nascente Lutheranorum hæresi in semine opprimenda, belloque Turcis nimiùm invalescentibus inferendo consilia agitans, à Leone X. Pont. per Cardinalem de Vio legatum, galeâ atque ense, Pontificiâ benedictione sacratis, donatus, haud multò post ægrescere, atque ad mortem demùm cœpit magnis passibus contendere, quam anni MDXIX exordio, ipsis Januarij idibus, magno pietatis sensu occupavit. Hanc priusquam corpore admitteret, sarcophago sibi quinquennio, quacunque incederet, prælato, longâ animi meditatione complexus fuerat. Eaque virtutis sapientiæque laude imperium multis annis administrarat, quâ Imperatorem, qui & alios, & seipsum moderari rectè posset, decebat. Sacerdotes eâ veneratione excipere solitus, ut nullum ante se stare pateretur. Blasphemantium, atque ebriosorum hominum acerrimus persecutor. Pater afflictorum pauperumque, quibus moriens decem facilè xenodochia suis impensis donationibusque instructa reliquit. Morituro sibi vetuit impendi lacrymas, quòd mortalis ad immortalitatem lege communi transiret, dolores extremùm suos passionis Domini prælectæ memoriâ solatus. Quo moriente, quis æquo sustinere mortem animo recuset?

XXV. *Carolus cum Hadriano jã Cardinale regnũ Hispaniæ disponit, fidemq; à subditis exigit. Contra Mauros nobili victoria potitur.* Surius in Com. Oder. Raynal. in An. 1518. & seq. Belcar. l. 16. *Franciscí*

Nec otiosus intereà Carolus in Hispania, ut Hadriani major esset apud Hispanos authoritas, per Maximilianum Cardinalitium illi pileum à Leone obtinuerat, perque urbes regni cùm Castellani tum Aragonij profectus, fidelitatis ad ijsdem juramentum excepit; compositis jam plerisque, quæ ex Ferdinandi morte in Sicilia natæ erant, per novum gubernatorem submissum controversijs. Quin & Mauri ad Oranum rursus occupandum, quod Ximenius felici quondam expeditione his ademerat, collecti, insignem sub Caroli Regis auspicijs cladem accepêre. Siquidem Horrucus Barbarossa ex nobili Pirata Rex Algerij ac Tremesinij effectus, in hujus loci expugnatione XLIV. millia suorum amisit, cujus victoriæ monumentum, vexilla hostilia rari pretij gemina, ad Maximilianum Cæsarem Carolus submisit, Horruci caput hastæ infixum per Hispaniam ad spectaculum circumlatum est. Cui Aradinus frater in Africa successit: adversus quem cùm anno sequenti Hugonem Moncadam ex Sicilia cum exercitu ac classe ad expugnandum Algerium destinasset, morâ vincendi occasio perijt, classisque tempestate incumbente disjecta, vix tutum in Ebusum Insulam Moncadæ receptum fecit. Undè tamen instaurato milite in Gerbarum Regulum duxit, victumque atroci prælio vectigalem Hispanis, annuo XXIV. millium aureorum vectigali subjecit. Quin & Franciscus Galliarum Rex, ne quid minùs Carolo adversus Mahometanos Italiæ litora infestantes ausurus videretur, su-

umque

amque Pontifici Germanisque probaret ad Turcarum potentiam infringendam studium, classem in eosdem sub Petri Navarri imperio designavit. Qui cùm nuper Maximilianus in Comitijs Augustanis Cæsar de suggerendo sibi in dignitate Imperatoria Carolo nepote Germaniæ proceres sollicitasset, occultis apertisque consilijs obnisus, spem sui magnam, si ad hanc coronam admitteretur, adversus Turcam hostesque omnes Romani imperij faciebat, obtinuitque tunc facilè à Septemviris (suæ hanc electionem libertati vendicantibus, ne quæ demùm familia in successionis jus veniat) ut preces consiliaque Maximiliani de Carolo rejecta fuerint. Indè tamen æmulatione, rivalitatisque quibusdam veluti studijs inflammati, in Carolum Franciscus, in Franciscum ferri Carolus, & recrudescentibus priscæ cum Hispanis simultatis cicatricibus, munire adversus alterum sese alter, non levi Europæ totius, quæ secuta est, conturbatione, hæresumque ac Turcarum incremento cœpit. Cumque Maximiliani jam Cæsaris mors vulgata sollicitos de futuro Imperatore Germanorum proceres, ipsumque adeò Pontificem ob imminentia Europæ mala distineret, neque alius penè ad sustinendam imperij molem, præter duos potentissimos Reges, Carolum ac Franciscum idoneus occurreret, nec uterque hac sibi indignus majestate videretur, Romanas hic atque iste aquilas certatim prensabat. Francisco recentes per Italiam victoriæ, regnum opulentum, & promptæ largitionibus opes, Pontificis Leonis favor, tum probatum non paucis Regis ingenium spes ingentes fecerant. Pontificem, Venetosque suarum habebat partium, persuasos, nullà faciliùs arte virtuteque reprimendos Turcas, in quos Franciscus junctas regni imperijque vires polliceretur, quà sanè armorum conspiratione nihil visum est per Europam potentius: siquidem florentissimum à Majoribus acceperat Galliæ regnum, quod Anglis Normanniâ, vicinisque regionibus; Belgarum populis Burgundiâ ejectis; Cisalpinâ Galliâ per Insubriam explicatâ, tanto sensim excreverat robore, ut cetera Europæ regna facilè excelleret. Mole suâ timendum magis reliquis, quàm (quod grandium sæpè corporum est vitium) grave sibi: cùm regni illius membra, velut communi Regis animata spiritu, ab uno capite motus omnis quietisque principium ducerent; adeoque collectas ad ingentem potentiam vires possiderent. Principum juxtà ac subditorum opes, regiæ essent. Vita etiam in obsequio, libertas in servitute: sive necessitas hanc illis parendi legem imposuerit, sive voluntas; seu denique utrumque, quod ingentibus, modò amoris, modò timoris affectibus; hæc gens Regibus obnoxia teneatur. Huic igitur regno, tam firmis potentiæ adminiculis nixo, si imperij Romani potestas adjuncta esset, haud difficilis futura erat Italiæ totius (quamvis id nollent incolæ) accessio. Ita denique ad pristinam gloriam imperium, per se Franciscus, velut post fata, excitandum sperabat; ut non Romanum tantùm nomen; sed & sedem rursùm capesseret. Nimirum, uti illa Turcæ avertendi spes Pontificem Francisco inclinaverat: ita non mediociter hæc postrema cogitatio retardabat. Quanquam essent qui prioris illum etiam exspectationis eventu fraudandum existimarent. Quantum enim Francisco Impera-

1519. *Galliarũ Regis æmulatio cum Carolo suscepta, dũ uterq; Romani imperij fasces prensat.*

Freherus tom. 3. rerum Germ. epistolæ Princ. vol. 1. Jovius Belcar. Guicciard. Schledanus, &c.

Quid Franciscus ad hanc dignitatem momenti attulerit, quid obstiterit eidem

An. Chr. ratori natum domi negotii fuisset ad imperii res legesque, cum Gallico sceptro conjungendas? ad septemviralem, sibi vel conciliandam vel infringendam potentiam? ad circumscribendam Germanorum libertatem? nisi per levi momento à Gallis rursum ad Germanos coronam transire voluisset. Hic verò quantæ molis labor! Erat jam magnis adulta viribus infringenda Austriacorum potentia, quibus non pauci ex Germania, Italia, Hispaniaque fidem opemque debebant. Hic iterum quanta cum negotio pericula! sive hæc obscuriùs prospiceret Pontifex, sive non minora ex Caroli electione præsentiret incommoda, Francisco inprimis operam dedit, per legatos regijs partibus addictos, literas tamen ad septemviros eâ dedit moderatione, ut magis officij quemque sui admoneret, quam privatæ benevolentiæ.

XXVI. *Leo Pontifex Friderico electionem commendat, qua Ecclesiæ & orthodoxæ fidei rectè consulatur.*

Ad Electorem Fridericum comitem Palatinum etiamnum orthodoxum hoc argumento scripsit. Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. *Mors optimi Imperatoris Maximiliani, ut justum mihi ex tanti Principis jactura dolorem, ita curam non mediocrem rerum futurarum injicit. Intelligo enim quantum Christiana Respublica præsidium amiserit, & quàm ambiguis eventibus aliorum successio Imperatorum obnoxia sit. Maximilianus certè in hac rerum tempestate immaturo nobis fato ereptus est. Quanquam cur queror, aut invideo, si eximiæ nunc demum pietatis ac clementiæ fructum ex morte colligit? hoc potiùs apud te, nobilissime Princeps, summo, quo possum, studio contendo; ut omnem curam diligentiamque ad hujusmodi Imperatoris electionem conferas, qui alterius virtutes, aut æmuletur, aut superet. Non est quidem, cur de singulari tua, tuorumque collegarum pietate ac prudentia dubitem, nec cur subministrem consilia viris sapientibus. Sunt tamen, quæ me impellunt, exorta per Germaniam religionis discrimina, quibus avertendis æquum est omni me studio advigilare. Stat certe in præcipiti, ac loco planè lubrico fides. Hostes illic neque potentiores, neque atrociores unquam sustinuit: nisi vigilantiâ ac fide vestrâ, nisi sapientiâ, ac religione occurratur, actum est, triumphabit in ista pietatis antiquæ sede improbitas. Nunquam post Christianæ Reip. per Germaniam nomen majus cervicibus nostris periculum incubuit, graviorque in Principibus viris cura religionis desiderata est. Quocirca ille nunc vobis Imperator deligendus est, qui tam insidiosæ potentique machinationi & occurrere possit, & velit. Perijstis, si hac in re vigilantiam amittitis. Nec imperij vestri dignitas, nec salus diu consistere poterit; nisi gliscentem in fomite seditionem pius fortisque Imperator oppresserit. Sed & illa Turcarum immanitas Europæ imminens, qualem, quantumque virum desiderat! Vestra hæc res est, viri Principes, vestris modò in manibus totius Europæ incolumitas vertitur. Si erratis, non tantùm existimationis, verum etiam salutis discrimen adibitis. Statis in theatro, aut gloriæ, aut ignominiæ vestræ, ubi orbis totius oculi consilia actionesque omnium arbitrantur. Videte, ne quid perperam. Quanquam de tua mihi sapientia constantiaque pollicear, fore ut voti ac desiderij nostri, quod cum publica utilitate conjunctum est, rationem habeat, audiatque illa de re Thomam S. Sixti presbyterum Cardinalem legatum nostrum. Romæ, Anno MDXIX.*

XXVII. *Helvetiis idem Pontifex in*

Diversas tamen ab his ad Helvetios transmisit, quibus illos Francisco conjungere ad ordinum imperij favorem occupandum cupiebat. Sed hi Germanicæ originis homines tantùm ad Gallos honorem pertingere æquo animo non

fere

ferebant, & amicos habere illos maluerunt, quàm tantâ potentiâ metuendos. 1519.
Nec Pontifex tam obtinendi spe, quàm gratificandi ostentatione id Francisco præstare voluisse est visus: cùm imperare hunc nollet, cujus jam tum crescentem formidabat in Italia potentiam, effecturum utique, ut non tam diceretur Rex Rom. cum Germanis, quàm esset.

Intereà sibi Rex Galliæ suis ipse officijs, & comparanda Principum benevolentia minimè deerat, aliosque obsequijs, alios promissis ac liberalitate sibi conciliabat. XXVIII. Carolum per legatos monuit: *Ne injuriæ loco haberet, si ejusdem coronæ ambitione teneretur alius, qui ejusdem puellæ procum æquo animo ferre cogeretur.* Cui ita respondit Carolus, ut moneret: *Appetenda non esse, quæ alieni juris extra spem exteri Principis posita essent. Sine injuria Austriacos à postulatione excludi non posse, qui imperium sine injuria hactenus administrâssent.* Hæc deterrere Franciscum non poterant, qui Trevericum jam Antistitem in suas traduxerat partes manifestis obsequijs. Brandeburgicus etiam Marchio Franciscum colebat; sed amicitiâ tectiori. Hic, ut fratrem Moguntinum Septemvirorum in comitijs antesignanum ad suum propositum inflecteret, studiosè allaborabat, quorum autoritati Bohemiæ Regis suffragia accessura credebantur. Sed plerique Germanorum tanto Gallum aversabantur studio, quanto libertatem suam amore prosequebantur; cui una cum alienigena Imperatore compedes injici credebant. Quocircà armis sese contra eorum vim instruebant. Neque segnis rerum suarum Franciscus, ferreis non minùs, quàm argenteis hastis pugnaturus erat, si res armis decernenda fuisset. XXIX.

Frãciscus sibi minimè deerat, & Trevirẽsem ac Brandeburgicum fautores habebat.

Præoccupavit tamen ipsius diligentiam Carolus, submissumque ex Belgio militem haud procul Francofurto jussit consistere, tanquam vim omnem adversariorum ab Electoribus submoturum, quæ res inclinatis Carolo amicis audaciam, Francisci contra Fautoribus eum injecit metum, ut Brandeburgi Princeps promissum Gallo favorem intra tacitum conscientiæ sensum premeret, non ausus professione studiorum suæ in se gentis odia, non profuturo suffragio provocare.

Carolus submisso milite suis fautoribus animos addidit, Brandeburgico ademit.

Indixerat ejus frater Albertus Moguntinus Septemvir Francofurtum comitia, quòd illi, Imperatore sublato, id muneris ex more demandatum esset. XXX. Adfuêre Electores omnes. Hadrianus comes de Weda, Ubiorum: Richardus, Trevirûm Antistes: Ludovicus, comes Palatinus, ac Dux Boiorum; Fridericus, Dux Saxonum; Ioachimus, Brandeburgi Marchio. Ludovici Bohemiæ Regis personam legatione obijt Lassa Sternenbergæ Dominus. Hi Principes ante XVI. calend. Julias anno hujus sæculi XIX. in æde D. Bartholomæi, electorali insignes trabeâ, post imploratum sacrificio solenni Numinis favorem, omnes fidem dederunt: nihil sacris imperij legibus, quas aurea Bulla complectitur, abs se derogatum iri. Majorum instituta inviolata, sanctaque omnibus futura. Quæ, ne religio deesset, ad aram sacramento firmata sunt. Ab ara ad sacrarium basilicæ, recepto veterum more electioni destinatum, itur. Ubi ad circumfusos Septemviros Moguntinus Princeps de consensione virorum Prin-

Electorũ comitia Francofurti instituta, ambiguis sententijs certant.

An. Chr. cipum ad imperij dignitatem tuendam recteque transferendam necessaria luculenter disseruit.

XXXI. *Præfatio Electoris Moguntini.* ,Gravissima, inquit, ac difficillima res in præsentem deliberationem voca-,tur. Majestas ex illa imperij nostri, salus atque incolumitas publica, Ecclesiæ ,Romanæ tranquillitas, nomen ac gloria nationis Germanicæ, fides denique at-,que existimatio nostra dependet, Principes. Confluximus huc omnes eâ men-,te, ut Romana Resp. supremo in Germania orbata Imperatore dignum caput ,acciperet voluntate ac sententijs nostris. Tantum autoritati, fidei, virtutique ,nostræ commissum videmus, quantum est non solùm Germaniæ, sed Europæ ,propemodùm universæ Imperatorem dare; quantum est Germaniæ multis af-,flictæ bellis & sævissimæ Turcarum tyrannidi expositæ defensorem constitue-,re, cui neque ratio ad gubernandum desit, neque facultas. Nisi ad tantum mu-,nus præter singularem prudentiam, animique æquitatem, concordiam affera-,mus, actum erit de incolumitate ac dignitate imperij nostri. Equidem sapien-,tiam humanam tam arduo negotio imparem esse agnosco. Sed in his curis illa ,me cogitatio potissimùm erigit, quòd cùm imperia divinitùs constituta intelli-,gam, Regesque alijs Deo moderante nasci; alijs, nec sine Numine eligi videam; ,nequaquam dubitem, eundem collegij nostri suffragia ac rationes moderatu-,rum, si illam, quæ in nobis est, diligentiam ac legum nostrarum observantiam; ,si fidem Deo atque imperio debitam, si æquitatem, si consensionem ad hoc or-,bis terrarum consilium attulerimus. Lætor sanè illa in vobis reperiri omnia, ,quæ tantum ornare senatum possunt, magnam ab usu rerum experientiam, ex-,ploratam in Remp. fidem, in Deum pietatem; illud etiam publicæ tranquillita-,tis studium, quo adducti sine mora & cunctatione huc omnes tempori adveni-,stis, quo ad aram vos patrijs legibus, tuendæque concordiæ sacramento adstrin-,xistis, vehementer laudo proboque. His ut porro vestigijs cœpto operi ad fi-,nem deducendo insistatis, autor vobis hodie esse volui, quanquam me etiam ,tacente, exempla turbatæ in his comitijs concordiæ suâ vos clade ab omni ,dissensionis studio debeant amovere. Divino certè consilio Othonis III. Se-,ptemvirale hoc collegium inventum fuit, summique Pontificis autoritate con-,firmatum, cujus inprimis collegij sapientiâ ac fide imperij Romani decus flu-,xum alioquin, multisq; cladibus deforme, apud solâ Germanorum gentem an-,nis quingentis inconcussum perstitit, immortali nominis nostri gloriâ. Huic ,tamen si quam aliquando Majores labem aspserserunt, dissensione Principum in ,diversas de imperio transferendo opiniones abeuntium, factum præcipuè est. ,Quàm luculentam sub Henrico IV. ex Germanorum Principum contentione ,plagam accepit imperium! Quàm illa Conradi Suevi, & Lotharij Saxonis suf-,fragiorum diversitate excitata dissensio: illa etiam Philippi atque Othonis ,quarti de regno concertatio Germaniæ luctuosa fuit! Illius verò annui & se-,mestris interregni, quo post Friderici II. & Henrici Thuringi funestam æmu-,lationem Richardus Britanni Regis filius quorundam Principum factione e-,vocatus ad imperium fuit, quis sine indignatione meminisse potest? Cùmque

,absque

„absque nativo capite tanquam utiles regno viros non ferret imperium, vilesce- 1519.
„re cœpimus, Italicisque passim urbibus defectione abscedentibus indigni visi „sumus, qui imperaremus. Omitto calamitatem illam, quam Ludovico Bavaro & „Friderico Austriaco debet hæc patria, cùm Hungarorum Bohemorumque ar- „mis in partem contentionis adductis duorum hominum ambitionem multo „sanguine expiaret, alienum rursum ex Anglia Regem Eduardum accerseret: „qui nisi ad purpuram acceptandam, quàm alij ad deferendam fuisset tardior, il- „lam hactenùs non obtineret Germania gloriam, quam dignitate Romani impe- „rij penes suæ gentis homines relictâ possedit. Aliarum jam illa gentium cupi- „ditati serviret, his suas cumularet opes, honorem venderet, libertatem tran- „scriberet. Illa populorum Domina, quæ nec Romanorum illud jugum ferre „diu potuit, quod orbis penè universus subjectâ cervice sustinebat, jam impari sibi „nationi ac Domino spem, arbitria, obsequia, dignitatem impenderet. Vestrum „erit suis ista ponderare rationibus, judicio atque æquitate decernere, ne qua „Germanico nomini labes atque ignominia adhæreseat, nec ita semel imperium „tribuat, ut deindè concedere ampliùs non possit. Illud postremùm moneo, „tantò ex nostra dissensione (quam Superi avertant) graviora Remp. hanc acce- „ptura vulnera, quantò acerbioribus inimicis hoc tempore objecta est. Si quid „ex intestinis patriæ seditionibus Turcarum potentiæ atque immanitati acces- „sit virium, multò nunc maximè futurum est, cùm fractis jam convulsisque Euro- „pæ repagulis, omnium cervicibus propiùs imminet, ac nihil magis in imperio „aversatur, quàm pacem consensionemque nostram. Quocirca agite, ô Princi- „pes, summâ constantiâ, fide ac conspiratione animorum, absolvenda res tanta „est, quæ non populi unius, sed Europæ totius incolumitatem complectitur. In „vos, tanquam in orbis theatro, ad ingentem spem metumque propositos, om- „nium ora vultusque populorum conversi sunt. Nos Regum ac Principum o- „culi intuentur, nos de suis etiam sepulchris Majores observant, ut non modò de „Imperatore; sed & prudentia ac gravitate nostra judicium ferant. Nos denique, „quod apud pios sapientesque viros maximè valere debet, Superi de cœlo con- „templantur, Deus ipse nostrarum actionum assistit arbiter, qui instituta ad pa- „cis defensionem imperia, cùm nostræ per Germaniam curæ tradiderit, seditio- „nem omnem ab his capitibus in vulgus derivatam, tantò graviùs castigabit, „quantò indigniùs est à tranquillitatis publicæ administris tranquillitatem per- turbari. „ Hæc Moguntini Principis oratio promptis auribus animisque exce- pta, tantum ad persuasionem momenti attulit, ut factâ secessione à loco concilij Principes summo quisque studio id se acturum polliceretur, ne suffragatione suâ pertinaciter discreparet. Quæ cùm omnium deindè nomine disertissimus fa- cilè Principum Joachimus Marchio Brandeburgicus ad fratrem publicè retu- lisset, suffragandi deliberatio in sequentem diem rejecta est.

Intereà Caroli Regis legati Moguntiam, Francisci Confluentiam attigerunt, XXXII.
utrique diversis argumentis pro suo quisque Rege apud Septemvi[illegible] conten- *Caroli & Francisci Regum*
debant. Illi avorum, præsertim Maximiliani, merita ac postremam volunta-

An. Chr. *Legati adveniũt & literis Electorale comitium pro suo quisq; Rege cõpellant.*

tem, magnanimi Regis spem atque indolem, Germanici sanguinis originem proponebant. Hi pulcherrimam Galliæ Germaniæque conjunctionem à priscis seculis repetitam, egregium Ecclesiæ decus ac munimentum, Europæ totius quietem ex hoc fonte petendam, Regis sui virtutes imperio dignas prolixè opponebant. Hæc per literas acta. Quibus ita à Septemvirali collegio responsum est; ut gratiæ agerentur Gallo de benevola in Germanos voluntate, Hispano etiam spes aliqua fieret: utrique diceretur, curæ Electoribus futurum; ne, vel pia Majorum instituta, vel jurisiurandi, quo tenerentur, religio, violaretur. Non ignorabant Germani proceres, quò Principum Regumque per Europam inclinatæ voluntates, ac privata cujusque studia spectarent. Tanta nihilominùs in Septemviris gravitas, in gravitate constantia; ut quam quisque sequeretur sententiam, nullo partium augendarum conatu emineret: ne juratæ tranquillitati adversari, aut corruptis ad suffragationem opinionibus accedere viderentur. Moguntino difficilior in ceteris imposita erat provincia: cui, quod primus ad sententiam ferendam accederet, providendum fuit, ut talem suo designaret suffragio, quem gravissimæ causæ alijsque persuasuræ exposcerent: ne à ceteris desertus, aut retractare sententiam, aut contentiosè defendere cogeretur. Quorum utrumque sine aliquo dedecore non poterat. Sic igitur exorsus est.

XXXIII. *Albertus Moguntinus Elector pro Carolo differit.*

,Magnæ, viri Principes, rei suscepta deliberatio est. Agitur de imperij nostri ,dignitate, de pace ac bello, de fortunis omniũ, dum quæritur, an Franciscus Rex ,Galliarum, an Hispaniarum Carolus, an verò è Principum Germanorum nu,mero aliquis, Imperator deligendus sit? Qua in re sic equidem sentio, ad Gal,lum hoc imperij decus nequaquam transferendum esse, quod & legibus nostris ,& jurejurando cautum sit, ne externæ gentis hominibus illa dignitas offeratur: ,neque Francisco ulla satis ratio suffragetur, quò minùs peregrinus censeatur. ,Et verò, ut Germanis annumerari possit, gravissimis tamen rationibus meritò ,excludetur. Neque enim Rex monarchiæ assuetus leges sibi à Principibus scri,bi patietur, quibus cum imperio parendi necessitatem accipiat, quòd servitutis ,nomine habiturus sit, quidquid ex aliena voluntate susceperit. Nec sanè intel,ligo, quo nostro ad pacem emolumento, vim Gallicam Germanorum potentiæ ,adjuncturus videatur. Ut enim illam voluntatem, quam de Carolo totaque ,Austriacorum gente opprimenda suscepit, honore ac viribus auctus deponat, ,nemo quidem meo judicio expectabit, qui inveterata studia, qui æmulationem, ,qui diuturnas utriusque familiæ concertationes non ignoraverit. Stare hoc ,pacto incolumis Germanorum dignitas atque libertas diu non poterit, qui ,Mediolanum suis nuper adjunxit regni finibus, cetera imperij membra ad tanti ,robur corporis confirmandum sociabit, ut in Gallorum sensim instituta Ger,mania transinigret, neque imperare jam alij, quàm Galliæ Reges liberrimis ha,ctenus nationibus possint. De Turcarum vi atque insolentia per Franciscum ,Imperatorem facilè reprimenda, non est quod mihi patiar persuaderi. Non i,gnoro, quantum ad hanc rem momenti allatura sit illa Germanorum Italo,rumque cum Gallia societas. Verùm hanc ille vim in Carolum ante, quàm

Turcam

,Turcam experturus eſt ; ne,dum fortè foris pugnat,domi ſuperetur,& cùm a- 1519.
,liena tuetur,propria aut negligat,aut amittat. Neapolim certè , quam heredi-
,tario nunc jure contendit ſuam, armatus etiam Rex poſtulat , inermis Impera-
,tor non deſeret ; plus virium ad audendum,autoritatis ad impetrandum habi-
,turus. Quocirca cùm imperij noſtri legibus , cùm jurisjurandi religione, cùm
,denique graviſſimis Germaniæ incommodis à Franciſci electione retardemur;
,ne obſecro cum libertate noſtra Gallis Germani tradamus imperium , qui non
,dubiam pro beneficio ſervitutem reponent , imperandi ſimul eligendique po-
,teſtatem accepturi. Ita nobis eligendus hodie Imperator eſt , ut quod alijs ac-
,cipere , nobis donare impoſterum liceat. In Carolo ad imperium vocato mi-
,nus ego periculi , plus gloriæ atque emolumenti Germanæ nationi proſpicio.
,Sunt, fateor, quæ inter ſpem metumque ſucceſſus cunctantem ſuſtineant. Re-
,motam Carolus à noſtris finibus Hiſpaniam inſidet : ut qui inexpectatam ali-
,quam Turcarum irruptionem , ad natam ſubitò in Germania ſeditionem , aut
,dubiam , aut certè ſeram allaturus opem videatur. Quid deindè ſi offenſione
,læſus aliquâ in Germaniam Ibericis ſtipatus cohortibus veniat , an priſtinæ
,Germanorum dignitati minus ab Hiſpanis, quàm Gallis erit metuendum ? an
,non ijſdem,quibus defenſurus armis videbatur , opprimere poterit,vel noſtra
,provocatus libertate,vel ambitione propriâ ? Denique an imperij Romani de-
,cus alieni Regis manibus traditum,Hiſpaniſque noſtrâ indulgentiâ creditum ad
,Germanos rediturum credimus ? de Mediolano id quidem perſuaſum habeo,
,ſi rurſum expugnetur , non aliter Hiſpanis reſtituendum , quàm ne imperium
,recipiat. Quæ me ſanè cauſſæ impellerent , ut præteritis exterarum nationum
,Principibus, indigenâ Imperatore acquieſcerem : niſi graviori etiam ab hac
,ſententia diſcrimine avocarer. Etenim ſit è Germanis Principibus Imperator,
,hunc an Belgas Auſtriacoſque,Caroli ditionis homines audituros creditis ? in-
,ter non dubia Auſtriacæ Gallicæque gentis arma quid facturum exiſtimatis ?
,mediuſne adſtabit partium,ac dum Belgium Auſtriaque , fortiſſima Germaniæ
,munimenta,ab imperij vel corpore,vel ſocietate divellentur , periculoſis certè
,quatientur motibus,otioſus ſpectabit ; incertus cui odium favoremque impen-
,dat ? An non intelligemus ijſdem , quibus illi oppugnantur telis , peti impe-
,rium , eodem quo premuntur jugo ad ſervitutem deſtinari ? Erunt Auſtriacæ
,in nobis potentiæ inimici,qui Gallis accedent ; erunt propriæ amantes liberta-
,tis , qui ſeſe objicient:ita diviſis Germania ſtudijs ad gliſcentem jam nunc ſedi-
,tionis flammam hoc etiam incendium additura eſt. Nondum contracti ſub
,Friderico tertio dedecoris maculam Germani diluimus , quando Burgundio-
,num Dux Carolus per Germaniam, Mediolanenſium Philippus Maria per Ita-
,liam,Hungari per Auſtriam victricia arma contulère , Imperatore ſuis vix ſatis
,finibus defenſo , quamvis cum Bohemis Saxones Albertuſque Brandeburgicus
,arma Cæſari fidemque conjungerent. De illa verò , quæ ex religionis contro-
,verſia , tempeſtas Germaniæ imminet , periculoſâ omninò & formidandâ quid
,dicam ? non levem hæc minatur calamitatem , niſi tempeſtivâ Concilij ratione

 diſcu-

An. Chr. ,discutiantur illa, quæ de Pontificis dignitate, de Ecclesiasticis legibus, de peccatorum venia, seditiosè magis, quàm utiliter jactantur. Infirmus verò Imperator ad hanc rem neque virium satis, neque autoritatis allaturus videtur. His ,metuendam Turcarum vim atque immanitatem addo, quæ per Græciam, Pannoniamque effusa, imperij finibus, quibus imminet, non arcenda tantùm; verùm & occupatis possessionibus deturbanda est, ne sensim vicinis opibus ad certam Germaniæ ruinam invalescat, quod sine conjuratis multarum nationum ,copijs nemo Imperatorum poterit. Quibus potissimùm rationibus ad illud ,consilium impellor, ut Carolum Austriacum ceteris Germaniæ Principibus anteferendum censeam, atque infra illius electionis emolumenta omne periculum habeam. Quis enim sibi persuaserit Germanum origine, ac familiæ Austriacæ Principem, sedem patriam, aut libertate pristinâ, aut dignitate imperij ,spoliaturum, præsertim, ubi juratâ sese nobis fide obstrinxerit? Parum quoque ab ipsius indole atque ingenio mali nobis timendum est; boni verò expectandum quamplurimum: procul enim omnis, cùm sævitia, tum juvenilis ,vitæ licentia, & æquitatis ac continentiæ inprimis amans comperitur. Parem ,cum Republica curam religionis amplectitur; ut jam tum ijs adolescat virtutibus, quibus immortalem ille gloriam, Europa incolumitatem sperare possit. ,Egregium patriæ avitæque indolis specimen, & par tantis, nisi annos numeres, ,Majoribus. Ætatem nemo accusabit, qui vim animi ingenijque maturitatem ,æstimaverit, quo, & dare consilia, & accipere, ad res opportunè gerendas didicit: itaque regit, ut à viris optimis, & avi Maximiliani Germaniæque proceribus, etiam regatur. Temperamento Regibus digno, qui *subesse nonnunquam debent, ut rectè præsint; & audire paucos, ut à multis audiantur.* ,Timor verò iste, qui de Caroli absentis, tardeque ad pericula adfuturi imperio concipitur, ,quamvis omninò vanus non sit, tamen obstringi Imperator Germaniæ, & nostris legibus, & amore communis patriæ, & necessitate præsenti satis poterit, ,ut non præesse tantùm; sed adesse etiam imperij negotijs cupiat.

XXXIV Richardus Trev. Archiepiscopus pro Frãcisco decernit.

Hæc ubi dicendo Præsul Moguntiacus absolvisset, ceteris privato colloquio consultantibus, Trevirensem Antistitem Richardum placuit audire, quòd longo rerum usu publicis, cùm Romæ, tum in Germania negotijs præfectus, ad magnam ingenij famam prudentiæque laudem, illam etiam existimationem adjunxisset, fore ut adversas Carolo partes sequeretur, neque imparatus ad hanc pugnam veniret. Consultò id factum, ut ponderatis utrimque rationibus, tantò deindè liberiùs rectiusque ceteri pronuntiarent. Nec moratus ille, in hanc sententiam disseruit.

,Tempore, quo Majores nostri Maximilianum Cæsarem hac in urbe imperio profecerunt, vatem fuisse memorant, qui disertè constanterque hunc ultimum Germani nominis ac sanguinis Imperatorem fore pronuntiaverit. Dubia tunc quidem hominis oratio, nunc fidem mereri posse videtur, quando externo potiùs, quàm Germano Principi summa imperij potestas Moguntini ,Præsulis existimatione deferenda est. Optarem equidem eo res nostras loco es-

,se,

,ſe, ut, quæ Majorum noſtrorum ratio ac gloria fuit , de alieno nobis præſidio 1519.
,cogitandum non eſſet , ne cum auxiliorum ſpe ſervitutis metum conjungere-
,mus. Sed poſtquam à neceſſitate conſilia ducimus, atque externum præ indige-
,na probamus Imperatorem ; nihil eſt, cur Hiſpanum Gallo præferamus. Legis
,enim, quâ obſtringimur indigenis, ac jurisjurandi religio, non Franciſcum ma-
,gis quàm Carolum arcet imperio. Etenim ſi Carolo ad legis hujus integrita-
,tem ſufficit, earum poſſeſſorem provinciarum eſſe, quæ noſtri cenſentur impe-
,rij; Franciſcus & Inſubriæ, & regni Arelatenſis, Reip. noſtræ membrorum, Do-
,minus, pari juris ſuffragatione contendet. Videndum nobis igitur, utri ex duo-
,bus tantum decus poteſtatemque concedamus. Me quidem non mediocriter
,delectat eorum recordatio temporum , quæ Francones Germanoſque iiſdem
,ſub legibus Principibuſque, & pacis, & armorum ſocietate conjunxerant, domi
,bellique ſuâ virtute notiſſimos. Hoſtis utriſque atque amicus communis erat.
,Florebant ſuis provinciæ urbibus , urbes mercimonijs, negotiatio frequens &
,promiſcua , artes cultæ ac celebres, robur imperij firmiſſimum. Auream hanc
,Majorum ætatem revocare licebit, ſi Galliam adjungimus Germaniæ , atque ad
,corporis unius integritatem malè quondam diſſipata membra colligimus. Ita
,ſuadet Romanus Pontifex , hortantur Veneti, probant Italicæ nationis Princi-
,pes. Nihil adverſus imperij inimicos præſentius certiuſque ad illorum cladem,
,noſtramque victoriam excogitari poterit. Gallia pecuniam , milites dabit
,Germania : nihilque tam repentinum erit, cui paratâ virtute non liceat occur-
,rere; nihil tam arduum, cui animos vireſque oportunas non objiciemus. Turca
,nobis pacatâ jam Aſiâ, in Pannonia Italiave metuendus eſt, opponemus floren-
,tem utriuſque nationis exercitum, armorum jam olim gloriæque communione
,ſociatum. Hiſpanis verò, quamvis Germanorum neque ſocietas inutilis , ne-
,que labor ingratus futurus ſit ; laboris tamen præmia victoriæque fructum po-
,tiſſimum decerpent , exercituum primò , ac deindè provinciarum Domini.
,Quid , quod Hiſpania præter imperaturos nobis Duces parvam auxiliaris mili-
,tiæ vim ſuffectura ſit, cùm longos terrarum tractus exhauriat India , & dum no-
,vus occupatur orbis , amiſſis penè incolis Ibericus ſquallefcat ? Gallorum po-
,tentia & tutior nobis, & uberior futura eſt. Neque eſt , cur tantoperè in Italia
,Belgioque majori exarſura incendio bella metuamus. Mediolanum jam poſ-
,ſidet, imperijque, cùm opibus, tum autoritate fretus facilè tuebitur. Neapolim,
,ut ne affectet, haud difficulter perſuadebimus ; ita bellorum illic cauſæ cum ar-
,mis intercident. Belgarum verò populis , niſi fortè quietem aſpernantibus, pa-
,cem dabit , ubi major Reip. neceſſitas contra Turcam avocaverit. Quanquam
,cur ita metuimus Belgio , nihil ad imperium Germaniamque præter aliquam
,linguæ communionem adferenti ? Faciamus nunc Carolum Imperatorem eſſe,
,Deum immortalem , quales, quantoſque in Italia motus concitabimus ! Me-
,diolano ille ante omnia poſſidendo & animum & manus adhibebit , Neapo-
,lim adverſus Gallorum impetus tuebitur , bellis & diuturnis & cruentis pul-
,cherrima Europæ pars jactabitur, Turcis in Pannoniam , atque ipſa adeò impe-
,rij

An. Chr. ,rij viſcera patebit aditus,& dum aliena aut dubia bellis proſequemur, certis ac ,proprijs excidemus poſſeſſionibus : hoſtibus atque amicis prædæ ac ludibrio ,erimus. Ille,quem ad jura ditioneſque imperij vocamus Carolum, Inſubriam ,ſuis auſpicijs contra Gallum occupatam , Germanis nunquam Imperatoribus ,reſtituet,Hiſpanis ad perpetuam Italiæ poſſeſſionem adjunget; ut hinc Neapo- ,li,indè Mediolano potiti,ſummam illic rerum obtineant. Ceterùm ſi ex Regis ,utriuſque ingenio ac moribus electionem hanc ponderemus , nullum quidem ,de Franciſco præferendo dubium æquis æſtimatoribus relinquetur : nam ut ,moderatæ continentiſque vitæ Principem Carolum admittam,ætate tamen ad ,vitia virtuteſve etiamnum immaturâ , nondum integrum de ſe arbitrantibus ,relinquit judicium. Spes ſæpè magnarum rerum fallunt ſuis adhuc in ſemini- ,bus reconditæ. Firmior nobis ætas , & belli paciſque negotijs probata virtus ,Franciſcum commendant. Religionis per ſubnaſcentem in Germania hære- ,ſim cladem formidamus , corruptos Eccleſiæ mores ad emendationem poſci- ,mus: hæc ingenio judicioque robuſtior Franciſcus præ Carolo poterit Bel- ,la foris ab inimicis,domi à ſeditioſis civibus metuenda ſunt; Duce ad illa no- ,bis rei militaris perito,diligente,fortunato opus eſt. Talem eſſe Carolum, in- ,certâ tantùm ſpe,& ſolâ proavorum æſtimatione præſumimus; Franciſcum ex- ,plorata jam virtus,ac fortiſſima Helvetiorum gens , nuper prælio ad Mediola- ,num proſtrata docuit. Ut, niſi præclariſſimis exemplis fides derogetur, tanto ,Duci adoleſcens poſthabendus videatur. Neque illud de remota Caroli in Hi- ,ſpania ſede perfunctoriâ Moguntini Principis reſponſione diluitur. Grave o- ,mninò eſt,ac cum maximis Germaniæ periculis conjunctum.Quis enim repen- ,tinos Turcarum impetus , quis civilium bellorum motus,ſubitam quandoque ,velut in tranquillo mari exortam tempeſtatem componet? nonne deſtituta ,ſuo gubernatore navis præſens nobis exitium minabitur? Intereà abſens Im- ,perator, aut parum certis rumoribus tanquam ventis exagitabitur; aut dubijs ,conſilijs,ſuſpenſiſque auxilijs ſpes noſtras fortunaſque præcipitabit. Germani ,pro ſuis quiſque affectionibus literas preceſque offerent;decreta ipſe ex Hiſpa- ,norum ingenio concipiet; vel ſera nimium,vel parum utilia. Denique perfa- ,cilè aliquorum criminationibus irritatus, aut invitatus precibus, Germaniam ,peregrino invadet milite ad certiorem ſervitutis inferendæ formidinem,quàm ,libertatis propugnandæ expectationem. Quapropter ſi Divis hominibuſque i- ,ta conſtitutum ſit,ut imperii noſtri diadema Rex alienigena poſſideat, Gallus ,ille potiùs arbitratu meo quàm Hiſpanus futurus eſt. Quod ſi noſtris inſiſtere ,legibus Maiorumque inſtitutis lubeat, ne,rogo, ſubtili nimium interpretatio- ,ne in Germanis cenſeamus Carolum ; verùm ex hoc Principum virorum nu- ,mero quempiam deligamus, qui origine, moribus, linguâ, ingenio Germanus ,habeatur. Inanis illa noſtræ imbecillitatis formido eſt. Sunt in hoc procerum ,collegio viri,quorum virtus imperio digna,par etiam fortuna, vireſque exiſti- ,mandæ ſunt : ſi, ut decet , conjuratis animis opibuſque ad illius de- ,fenſionem conſpiremus. Primus ille Auſtriacæ familiæ Cæſar Rudolphus for-

te

,te viribuſque infra virtutem erat, hac tamen attenuatum bellis imperium ad 1519.
,illam dignitatem potentiamque rurſum excitavit; ut æternam Germanis glo-
,riam, vicinis Regibus timorem reliquerit. Nec ita pridem inter Franciæ pro-
,ceres repertus eſt, qui Imperatorem noſtrum Maximilianum per contemptum
,Auguſtanum vocaret conſulem, cui Rex Ludovicus repoſuit, Conſul ille, dum
,tympanum quatit, tota Gallia contremiſcit. Nimirùm noſtri fama nominis, &
,Principum Germanorum virtus ſuâ apud exteras gentes æſtimatione ſemper
,floruit, atque etiamnum viget incolumis. Sunt in Boica, Saxonica, Brandebur-
,gicaque familia fortes etiamnum præſtanteſque heroes, ex quibus ſi quem no-
,ſtris deſignemus ſuffragijs, noſtris copijs Imperatorem adjuvemus, Germano-
,rum cùm dignitati, tum libertati optimè conſultum putabo.

Hæc Archiepiſcopi oratio ita Principum animos penetrârat, ut fluctuantibus XXXV. *Principẽ Germanum, & Saxonia imprimis Ducem Fridericũ Electores malunt. Sed hic ſubterfugiens, Carolum prefert.*
anxiè cogitationibus, atque in utriuſque opinionem defixis, promptum nulli eſ-
ſet, quod ad exaggeratas utrimque pro Franciſco ac Carolo difficultates repo-
neret. Quocirca medio tritoque Majoribus tramite inſiſtendum rati, ad ali-
quem Germaniæ, ſuique etiam collegij Principem, Fridericum Saxoniæ Du-
cem, omnium vota ſpectare cœperunt; ſed is, quâ erat modeſtiâ ac prudentiâ
Princeps, cùm intelligeret ſibi vires tanto adminiſtrando imperio nequaquam
pares ſuppetere; quòd per Caroli IV. largitiones exhauſtum, præter honorem
vix quicquam ab opibus præſidij, ad molem tantam inter graviſſimos hoſtes ſu-
ſtinendam, adferret hanc à ſe dignitatem ad Carolum transferendam eſſe con-
tendebat. ,Nihil eſſe, cur illum è Germanorum numero eximamus, contra in-
,dubitatum ſenſum niti Trevirorum Antiſtitem, cùm præſcriptas electioni le-
,ges, aut Franciſco inclinaret, aut apponeret Carolo. Fratrem, avum, conſan-
,guineos, & præter hæc omnia avitam hereditatem poſſidere in Germania. Il-
,lum deindè Carolum eſſe, qui ad imperij magnitudinem pares vires, ad ingen-
,tia bellorum pericula potentiam virtutemque adferat. Abſque controverſia
,hunc omnibus præferendum videri: ijs tamen obſtringendum conditionibus,
,quibus juri libertatique priſtinæ Germanorum cautum maneat. Tam inex-
pectata Friderici ſententia nutantes Septemvirorum animos ad Carolum rur-
ſus inflexit, ut proindè quiſque pro ſe ad Friderici opinionem ſuffragatione ſuâ
accederet. Trevir, ubi voto ſe, expectationeque ſuâ dejectum cerneret: *Nolle
ſe quidem*, inquit, *repugnare ſolum univerſis, ne qua diſſenſionum ſemina jaciantur: ite-
rum tamen iterumque hortari: ne impendentem imperij ruinam temerè præcipitent, &
ſuo jam propinquam fato Germaniam alienæ gentis mancipent ſervituti.* Ita poſt acer-
rimam dimicationem multâ jam nocte diſceſſum eſt, ac poſtera dies legum Ca-
rolo præfigendarum examini conſtituta.

Subindè, non abſque novo opinionum conflictu, dies aliquot ſcribendis im- XXXVI. *Leges imperandi Carolo praſcripta.*
perandi conditionibus abſumpti ſunt, dum his tantum decretis lis fuit abſoluta.
Tueatur remp. Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam, cujus ſit advo-
catus. Jus æqualiter adminiſtret, ac paci conſulat. Leges omnes imperij, præ-
cipuè Auream, quam vocant Bullam, non modò confirmet; ſed de ipſorum con-
E ſilio,

An. Chr. filio, cùm res ita feret, amplificet etiam. Senatum in imperio constituat ex Germanis delectum, qui Remp. gerat. Jura, privilegia, dignitatem Principum & ordinum imperij minimè convellat, aut imminuat. Electoribus liceat, cùm erit opus, inter se convenire, deque Rep. deliberare; nullum autem ipse, quò minus id faciant, impedimentum adferat. Multitudinis & nobilitatis federa, vel societates adversum Principes initas aboleat, & ne imposterùm fiant, lege prohibeat. De rebus imperij nullum fedus, aut pactum cum externis ineat, nisi de Septemvirorum assensu. Facultates imperij neque distrahat, neque oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, & quæ sunt ab alijs nationibus occupata, vel ab imperio divulsa bona, primo tempore recuperet; sic tamen, nequid fraudi sit illis, qui vel privilegio, vel jure nituntur. Siquid etiam vel ipse, vel ipsius familiæ quispiam possideat, quod imperij sit, non acquisitum legitimè, reddat interpellatus à Septemviris. Cum vicinis alijsque Regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus imperij, nisi de ordinum omnium, præcipuè Septemvirorum voluntate, bellum suscipiat ullum, intra, vel extra imperij fines. Peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat, nisi consentientibus illis. Quòd si vel bello petatur ipse, vel imperium, liceat uti quibuscunque præsidijs. Conventum imperij nullum edicat, neque vectigal aut tributum imperet, nisi de consensu Electorum. Conventus etiam non agat extra fines imperij. Negotijs publicis præficiat, non exteros; verùm Germanos ex nobilitate delectos, & conficiantur literæ omnes Latino, vel populari sermone. Extra fines imperij nullum ordinem in jus vocet. Quia Romæ multa fiunt adversus pacta quondam inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem, nequa fraus privilegijs fiat, & imperij libertati. Cùm mercatorum monopolia valdè perniciosa Germaniæ coerceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, & rem sæpè deliberatam ad exitum perducat. Portorium nullum aut vectigal imponat, nisi assentiantur Electores. Neque literis commendatitijs Electorum, qui sunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat. Si quam habeat actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur; vim autem nullam adhibeat ijs, qui se cognitioni legitimæ sistunt. Neminem indictâ caussâ proscribat; sed juris ordinem in eo sequatur. Imperij bona, quæ fortè vacabunt, nemini conferat; sed ad publicum referat patrimonium. Si quam alienam provinciam auxilijs Ordinum acquirat, imperio conjungat. Si publicum quid suis copijs ac Marte recuperabit, Reip. restituat. Quod interregni tempore Palatinus, atque Saxo egerint, ratum habeat. Consilium nullum ineat, quo dignitatem imperij, suæ familiæ peculiarem & hereditariam faciat; sed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli IV. legem, & juris Pontificij præscriptum: quod secùs factum fuerit, irritum habeatur. Ubi primùm licebit, in Germaniam sese inaugurationis caussâ conferat.

Cap. Venerabilē de elect. & Elect. potest. Item Clementina de jurejur. c. unic.

XXXVII. *Suffragijs omnium conspirāt.*

Has leges, cùm legati Caroli Moguntiæ acceptas suo calculo approbâssent, solenni deindè more Francofurti in æde D. Bartholomæi à Septemviris in suffragia itum est, Moguntino præeunte; qui, ab Electorum collegio rogatus, quem

quem Imperatorem diceret? Ubi Carolum pronuntiasset, reliqui post hæc ad Moguntini interrogationem eidem suffragantur. Hæc singulorum vota literis excepta, omnium subscriptione cerisque confirmata sunt. Publicâ deindè proclamatione à Truccesio Decano Moguntinensi, Carolus Romanorum Imperator in vulgus declaratus est. Magnâ, cùm nobilitatis, tum plebis gratulatione applausuque, quibus nihil gratius, quàm Gallorum expectationem illâ Principum consensione delusam, quod faciliùs existimarent, tam potentem non admittere, quàm, si res imperij postularent, excludere hospitem. Nec minor ex Caroli nomine sensus objectus lætitiæ, quòd ingentes de illo spes, & avi memoria, & prædicata ubique adolescentis indoles vulgo faceret; ut non tantùm urbis vici plaudentium, sed & orantium vocibus templa personarent, quò Superi tam benè auspicatam electionem ad Europæ totius salutem converterent.

1519. *tibus Carolus Imperator proclamatur.*

XXXVIII. *Pontifex Carolum eâ lege solvit, qua Neapolitani Reges ab imperio arcentur.*

Neque Leo Pontifex aliquod in se humanitatis officium desiderari est passus: nam & Cardinali Cajetano, suo in Germaniam legato, potestatem fecerat, Carolum (ubi Septemviri ad illius electionem conspirâssent) illâ lege solvendi, quâ Neapolitani Reges imperio arcerentur, & Imperatori jam denuntiato, literas dedit officij ac gratulationis plenas, fuitq; illa opinio, quòd has metus potentiæ, magnus observantiæ conciliator, potiùs, quàm integer benevolentiæ amor expresserit.

XXXIX. *Res imperij per legatos Caroli constituta, & destinatus in Hispaniâ Fridericus Palatinus.*

Secundùm Caroli electionem legati ipsius Moguntiâ sunt evocati, atque in consilium administrandi imperij, dum Cæsar in Hispania abesset, adhibiti. Utque Germanorum tranquillitati prospectum esset, miles in ea præsertim loca, quæ Gallorum incursionibus obnoxia putarentur, distributus, sub auspicijs Casimiri Marchionis Brandeburgici, aut in præsidijs, aut castris futurus erat. Legatio intereà quoque ex Germaniæ proceribus, in quibus facilè eminebat Fridericus Rheni Palatinus, instituta, properè in Hispaniam contendit. Quam tamen privatorum nuncij longè anteverterunt, ex quibus unus, ingenti festinatione, nono post electionem die Francofurto Barcinonem attigit, qui cùm Regi inter matutinam quietem tam felix nuntium detulisset, magno auri pondere donatus est. Ad legationem deindè excipiendam versùs Carolus, trium milliarium itinere venienti Friderico, pridie Calend. Decemb. occurrit. Cujus literis, quas à Septemviris adferebat, inspectis, ac mandatorum expositione auditâ, per Mercurianum Oratorem suum respondit. *Grato sese animo tantorum de se Principum amplecti judicium, voluntatemque accipere, facturum, ut debitâ patriæ pietate, dignâque cognatis Principibus benevolentiâ respondeat. Magnam esse imperij molem, tantâ præsertim temporum hostiumque iniquitate gravatam; sed cùm Deus præcipuè sit, qui regna, & Regibus imperat, & suâ protectione moderetur; isque hanc imperandi felicitatem, quâ hactenus & Austriacorum gloriam, & imperij dignitatem Majores sui auxerint, potissimùm sit auspicatus: vocantibus sese Principibus obsequi, ne Superis coronam deferentibus obniti videatur. Rebus igitur in Hispania utcunque dispositis propediem iter in Germaniam se aggressurum, ut Septemvirorum desiderio faciat satis.* His additæ ad collegium Electorale literæ, & post insignem in Palatinum collationem munerum, remissa in Germaniam legatio est.

 Bien-

An Chr. XL. *Hispanos aula Carolina administratio offendebat ob regimē Belgarū undeCroia se subduxit.* Jovius in Hadriano. Heuterus in Chronic. Anton. de vera, & Haræus in Carolo. 1520.

Biennium jam inter Hiſpanos Carolus exegerat ; ſed procerum animos , quamvis ſuâ indole ſibi devinxiſſet , invisâ aulicorum potentiâ offenderat. Non ferebant,externam ſibi Belgarum nationem,quæ Regis aulam conſiliaque moderabatur,tanto honore prælatam, ut qui illos amicos non haberet, Rege benevolo frui non poſſet. Tot ſe Reges habere credebant , quot peregrinæ gentis homines Hiſpanis prælatos cernerent : præterquam quòd *rarum aulicæ potentiæ exemplum ſit , Regi ſimul & populo placuiſſe.* Hinc odia,& ſeditionis jacta ſemina, præſertim cùm,pretioſo Belgis favore,publica ad illos officia, ac regij juris ſacerdotia ex Hiſpanorum manibus tranſirent. Exciderat eo tempore Gadium præfecturâ Ferdinandus Davalus, qui cùm iccircò vindictæ cupiditate flagraret, ſenſim apud alios invidiam novo Regi , ac præſertim aulæ proceribus conciliaverat. Denique poſt adjunctum ſibi uxoris Pacæcæ lenoncino Joannem Palilliam Toletanæ nobilitatis virum Principem , & Zamoræ Antiſtitem Daccugnam, ac Petrum Gironium Salvaterræ comitem, Magnates facilè plures, ac pleraque Caſtellani regni oppida ſuarum partium fecerat. Hæc latere non poterant,ubi tam latè per vulgus Principeſque emanaſſent. Quocirca Guilielmus Croyius , Belgarum in aula potentiſſimus , immoderati regiminis odiorumque contractorum conſcientiâ territus , veritusque, ne hujus ipſe conjurationis non ultima caderet hoſtia, per ſpeciem inviſendæ claſſis , ad Biſcaios Carolo inſtructæ , in Belgium dilapſus eſt. Rex tamen convocatis Toletum Hiſpaniæ Ordinibus, & ipſe menſe Martio Anni MDXX. Valliſoleto eodem profectus , docuit,errare ſeditioſum vulgus , quòd ſe in Germaniam ire , non rediturum ad ſuos Hiſpanos perperam jactaret : abire ſe , ne neglecto Romanorum imperio locum Franciſco Galliarum Regi faciat , per quem, eâ poteſtate fretum, etiam Hiſpania in diſcrimine futura ſit : certè Siciliâ ac Navarrâ , fortiſſimis munimentis ſit privanda. Orare igitur,ne in re tanta inviti reluctentur , aut ſe deſtituendos exiſtiment:quâ ipſis velit eſſe conſultum. Porrò neceſſarijs ſibi ad hoc iter pecunijs , ne deſint, id inprimis poſtulare. Sed, paucis ordinum urbiumque aſſentientibus,à pleriſque,etiam Caſtellanorum,eſt reclamatum ; qui alia ſe lege parituros in ære exhibendo negarunt , quàm ſi,exteris præteritis,indigenas Hiſpaniæ gubernandæ præficeret; neque regni beneficia in peregrinos,onera in ſubditos derivaret. Pari lege ad eandem ſpectare gentem regnorum incommoda,ac præmia. At fruſtrà , jam tum Carolus imperia dare , non accipere à ſubditis volebat,precibus ante flectendus,quàm armis.

XLI. *Carolus Vice Regis Hadrianū Card. præficit, ſeque in Angliam claſſe trāsfert.*

Neglectâ igitur rebellium pertinaciâ opportuniùs vindicandâ , aurum , quod pacatæ urbes deferebant,admiſit : moxque,ut à ſeditioſis militem cogi intellexit,Hadriano præceptori quondam ſuo,nunc etiam Cardinali , ſummam rerum per Hiſpanias adminiſtrationem committit ; quòd ſuâ illum humanitate contra rebellium inſolentiam plus ceteris valiturum crederet ; neque ad ſuccreſcens primum ulcus ferrum judicaret admovendum,ipſe ſeſe Toleto, fugienti ſimilis, properè ad claſſem in Biſcaijs ſtantem ſubducit. Et quamvis Oratores diverſarum urbium importunè hærerent , obteſtarenturque, ne ſe desereret , hinc ex

por-

portu Corynnæ velis remiſque per oceanum ventoſque aſpirantes ductus in Angliam, paucorum dierum navigatione Hamptonij portum ſubijt, Aprili jam menſe ad exitum ſpectante. Adibat illo Angliam conſilio, ut Rege Henrico (cui etiamnum Catharina, Caroli matertera, conjux placebat) contra Franciſcum Galliarum Regem amico uti poſſet. 1520.

XLII. *Hinc in Belgium profectus magno iſtic plauſu excipitur.*

Hic aliquot diebus, in mutua benevolentiæ ſignificatione, federumque antiquorum innovatione conſumptis, non longo maris itinere triginta navium claſſe in Zelandiam Belgarum provinciam, atque indè mox Brugas Rex contendit: ubi illum, præter Venetorum Germanicæque nationis legatos, frater Cæſaris Ferdinandus, & Margarita amita Belgij gubernatrix præſtolabantur, qui varijs lætitiæ argumentis, publicè privatimque editis venientem complexi ſunt. Inter hæc ſuorum ſtudia, & Belgicarum rerum curas hæſit aliquantùm Carolus, Henrici ex Anglia Regis adventum expectans, qui ejus diei celebritatem ſuâ ſe aucturum præſentiâ receperat, quò Imperatoriam dignitatem ſolenni ritu aditurus eſſet; ſed conſilia fidemque datam Rex Galliæ interpellavit, qui idoneum rebus ſuis Henricum, à Carolo ad ſe, magnis inflexerat promiſſionibus.

XLIII. *Aquisgranum pro coronatione Coloniæ præhabet.* Hartmãni Mauri acta coronationis Coloniæ paulò pôſt edita Hiſt. Germaniæ to. 3.

Igitur Carolus rebus ad iter comparatis, Electoribus ſignificat, ſeptimo Octobris die ſe Aquisgrani adfuturum. At Septemviris Coloniæ ſubſiſtentibus, locus ille jam dudum electioni conſecratus, metu illic ſævientis peſtilentiæ, diſplicuit. Actum itaque per ſubmiſſos ad Regem legatos, ut Coloniam huic dignitati opportunam diverteret; ſed vicit Aquiſgraanorum contra obnitentium ſtudium, & diminuta apud Carolum affectæ urbis opinio, ut nollet duobus adverſari Carolis: alteri magno; cujus illic cineribus eximius eſt honos: alteri hujus nominis quarto; cujus legibus hæc coronationi ſedes eſt conſtituta: ne copriſtinæ conſuetudinis contra tantorum hominum legumque reverentiam negligens videretur. Ita Carolo morem gerere coacti Septemviri omnes, Saxone valetudinis causâ apud Ubios relicto, primo & vigeſimo Octobris die urbem ingreſſi, poſtridie venienti ſe Regi obviam dederunt: quos tanta hominum multitudo circumfluxit, ut millia facilè paſſuum occuparet. Occurrit cum lectiſſimo duorum millium exercitu, ac ſpectatiſſima totius Belgij nobilitate Carolus, explicatis ad illuſtrem ſpeciem agminibus: cui parem fermè ex adverſo militiam Germaniæ Principes objecerant.

XLIV. *Principes certatim Carolum nec ſine æmulatione excipiunt.*

Ubi propiùs ventum, Electorum ſinguli, duodecim ex nobilitate aſſumptis, ad Regem contenderunt, equiſque deſilientes, prono obſequio Carolum venerantur, ac deſcenſum viciſſim honoris gratiâ molientem detinent. Salutem votaque Principum expoſuit vernaculâ linguâ Albertus Moguntiorum Præſul, cui Salisburgenſis Cardinalis benevolè ex Caroli voluntate reſpondit. Ad e quos deindè regreſſi, amicis aliquamdiu colloquijs tempus ad Palatini adventum extraxerunt. Sed oborta legati Saxonici (qui Princeps Anholtinus erat) & Ducis Juliaci de locis honoriſque prærogativa contentio erat, invitos ad primas noctis tenebras morata eſt: dum huic ob præfecturam Aquiſgranenſem illâ lege præeundi datæ partes; ut, tranſmiſſâ ante alios urbe, nulla hoſpitia occuparet.

An. Chr. XLV. *Ordo & decus pompæ, qua urbem basilicamq; subière.*

Ceterùm hoc ordine pompa instructa erat. Dux omnium Joannes Brandeburgi Marchio, circa quem, præter satellitium, equites vexilliferi, clypeis, more veteri, latus muniti. Hunc tria à tergo millia peditum Germanorum insecuta sunt, quæ urbem deindè transgressa, vicina Aquisgrano loca obsederunt. Indè Juliacorum Princeps, cum quadringentis gravis armaturæ militibus, incessit. Hunc Saxonis, Palatini, ac Brandeburgici copiæ certis distributæ turmis ordinibusque sequebantur. Inde Septemviralis Ecclesiasticorum Præsulum miles, suis quisque intervallis, post Moguntinensem Trevirícus, ac denique Coloniensis proximè Regem adjunctus est. Habitu uno cujusque Electoris legio, à ceteris distincta, incedebat. Erat & armorum discrimen, & cataphractorum in certa loca divisi ordines. His purpuratorum ex aula regia pars aliquo intervallo insistebant, illo vestium pretio cultuque, qui, dubiâ quamvis luce, ad stuporem adspectantium emineret; inter quos, præter Germanos, non pauci Hispaniæ Burgundiæque proceres, aureo alij vellere, plures aliâ dignitatis prærogativâ illustres. Subindè regij pars exercitûs turmatim ita digesta, ut tympanotribæ, tubicinesque harmonicè admoderato plausu invicem responderent. Post illos, religiosorum hominum ordo, cui à fine adhærescerent aliquot regiæ aulæ proceres equis generosissimis invecti. Indè præmissis æneatoribus duodecim, tres regali aquilâ, regnique, ac gentis Carolinæ insignibus ornati, missiles in plebem nummos spargebant. Sub hæc Caroli Magni effigiem miræ prodigiosæque magnitudinis, delatumque in ferculis ejusdem Divi caput sacrum Canonicorum Collegium stipat, æneis vigilum ex urbe cornibus rudi musicâ adstrepentibus: quorum unus regio insidens equo, qui ex veteri illis consuetudine cesserat, agmen ducebat.

XLVI. *Equum vectorem ad portas à bis vigili cedit.*

Siquidem Imperator, instituto Majorum, ubi extremam urbis partem attigit, exosculatus, quam Canonici offerunt, crucem, submissâque veneratione prosecutus Caroli reliquias, equum, quo vehebatur, demittit, atque in alium transit præstantiorem, quo urbem subeat, mox etiam, ubi descenderit, in aliorum manibus destituendum. Canonicorum terga lateraque stipabat Prætoriana Cæsaris cohors; pars ex Helvetis bipenniferis incedebat pedes; ex Burgundionibus Flandrisque pars altera, interlucentibus auro sagis gesisque Gallicis, eques progrediebatur. Hos ponè armigeri cum imperij ac Hispaniæ regnorũ insignibus, alijsq; expeditissimis Ibericæ nobilitatis ephebis ibant. Septemvirale collegium regiam Majestatem illustri spectaculo auxerat. Comes Palatinus dextero, legatus Marchionis sinistro latere, medio Electorem Trevirensem acceperunt. His à tergo aderat, Ducis Saxonici loco, Udalricus Pappenheim nudatum vaginâ gladium ferens. Denique nobilissimo vectus equo, armisque ac paludamento, auri argentique luce coruscantibus, Cæsar eminebat: quem modico intervallo stipaverant; hinc ad dexteram Coloniensis Septemvir, coronandi prærogativâ hoc loco prælatus ceteris; indè ad sinistram Moguntinus, nuper electionis dignitate superior. Sequuti hos sunt Seduni, Salisburgi, & Croiæ Antistites, purpurâ Cardinalitiâ illustres viri, multique alij legatorum munere functi. Declinave-

naverant hanc tamen Pontificij Anglicique legati congressionem, nequid Principum suorum autoritati decederet, si minorem Septemviris locum occupassent. Ultimo loco pars altera regiorum militum, iisdem armis, habituque puniceo flavis albisque coloribus distincto incedebat, ac militari harmonia plaudentium lætitiam sensumque extimulabant. 1520.

XLVII. *Alterum equũ ad portas tẽpli cedit aulæ præfecto Archiepiscopi Coloniensis.*

Ubi Rex templum, Virgini Deiparæ olim à Carolo Magno consecratum, adierat propiùs, juxta porticum equo abscessit, quem antiquo sibi jure supremus aulæ apud Ubiorum Antistitem Præfectus, Comes à Pufferscheit vendicabat. Mox exceptus Basilicâ, mediâ illius areâ pronus in terram sub pensili corona stragulis incubuit: dum post dictas à summo Coloniensium Episcopo preces, ad solenne laudis canticum pedibus insisteret, ac denique in genua antè celeberrimam Virginis aram provolutus, Cælitibus hujus sui honoris auspicia piè sanctèque consecraret. Hinc ad ædis sacrarium cum Septemviris digressus, suas illis immunitates ex more novâ concessione probasse existimatus est: quod olim in amœnissimo Rheni litore, haud procul Confluentiâ ad municipium Rentz (quod olim Francofurto Aquisgranum descendentibus iter erat) Imperatores saxeæ sedi sub nucibus impositi Principibus firmasse, suo indulto feruntur. Hora jam noctis secunda propè exacta fuerat, cùm palatium ad cænam quietemque Carolus subiret.

Sub corona templi procũbit.

In sacrario suas Electoribus immunitates confirmat.

XLVIII. *Coronationis solennitas altero post die institutas.*

Altera dies D. Severino, Ubiorum quondam supremo Præsuli, dicata, ad coronationem non tam opportuna omnibus visa est, quàm ad festinationem ex urbe infecta profectionis necessaria. Quare primâ diei luce sacri Ordinis Principes eandem basilicam ingressi, Pontificio ornati habitu, venientem haud multò pòst Regem, insigni Principum Comitumque ac purpuratorum coronâ septum, aureoque super Archiducis cultum amiculo ornatum, profusi obviàm exceperunt, tantâ in templum affluentium multitudine; ut licet soli procerum, recensitis nominibus, edicto admissi sint; tamen neque leges latæ, neque armatorum legio contra irrumpentium vim aviditatemque suffecerat. Sacris operaturus Coloniensis Antistes, dum preces quasdam expiatorias ad Deum pro Cæsare præmittit, ipse per alios sacri Ordinis Septemviros, ad aram deductus, prono in terram corpore, supplex jacuit; dum auream ex adversum aræ locatam sedem iisdem ductoribus adiret, nec multò pòst ad Cœlitum per litanias implorationem altari, eodem quo antè supplicantis habitu, accumberet. Sub quas erectus in pedes Carolus, à sacrificante Episcopo, Romano sermone interrogatus est: Num fidei Catholicæ, Orthodoxæ Ecclesiæ, justitiæ, imperijque propugnandi defensorem sese addiceret? Romano denique Pontifici, summo per orbem Christi Vicario, debitam submissionem delaturus esset? Quæ cùm omnia se facturum annuisset: ad dexterum altaris cornu progressus, duobus in illud digitis inclinatus, conceptis verbis fidem dictorum sacramento confirmavit. Indè, Carolo in solium recepto, Coloniensis Præsul adstantes circum Principes percontatur: Nunquid fidem obsequiumque præstituri huic Domino sint? Quibus id affirmantibus, rursum ad preces itum est, procumbente suppliciter

Coloniensis Archiepiscopus consecrat & coronat.

Fidem juratam Ecclesiæ Rom. & imperio dat, & vicissim accipit.

An. Chr. *Inungitur.* *Diaconi habitu ad aram ducitur.* *Gladiũ, annulũ, pallium, aureum vellus, sceptrum, pomum, ac coronã denique accipit.*

cÌter Carolo: quem mox in genua aræ advolutum oleo secundùm caput, pectus, brachiorumque flexus, ac manuum palmas idem Præsul inunxit. Ab unctione ad sacrarium inter alios summos Præsules ductus, amiculum aureâ Dalmaticæ chlamyde permutavit, socculisqe imperialibus D. Caroli indutus, Diaconi habitu ante aram inter solennes iterum preces procubuit. Erectus brevi, cultuque priori exutus, eductum vaginâ eximiæ magnitudinis gladium de manibus Coloniensis, inter alios duos Præsules stantis, accipit. Quo reducto acceptoque post regnorum Ecclesiæque defensionem, solenni apprecatione, commissam; annulum digitis, pallium Magni Caroli humeris, ac denique aurei velleris insigne collo, inter certa comprecantium verba, tanquam imperij Ecclesiæque sponsus, admisit. Sceptrum porrò dextræ, aureumque pomum, cum æquitatis administrandæ voto, tum denique corona trium Archiepiscoporum manibus capiti imposita est. Quo ornatu admotus aræ, eadem ferè, quæ priùs datâ fide receperat, juramento roboravit.

XLIX. *Post applausus publicos, Ordinis equestris viros Caroli M. gladio creat, & sacrificãtis è manibus S. hostiam excipit.*

Indè basilicæ inferiorem testudinem, triumviratu Archiepiscopali stipatus, conscendit: ubi saxeæ illocatus sedi, Moguntinum Præsulem, totius Collegij Electoralis nomine gratulantem, tum Canonicorum ordinem applaudentem auscultavit: cui deindè, & ipse Imperator, Canonicus, veteri more, initiatus est. Ad hæc musico vocum atque instrumentorum concentu jucundè allusum: dum intereà, grato etiam oculorum spectaculo, Cæsar ordinis equestris viros creat, Divi Caroli gladio in submittentium sese humeros, leni ictu, inclinato. Quanquam hæc dignitas à nobilitate ad opulentum vulgus largitionibus traducta, non parum eviluerit; cùm præmium honoris virtutibus debitum, auro perperam æstimari traducique cœperit, ut jam propemodum virtus sit opes possidere. Porrò dum ab Evangelio inchoatum sacrificium ad finem decurreret, sedi immoratus, ad sacras posteà epulas tantâ submissionis pietatisque specie accubuit, ut non minorem virtutis, quàm dignitatis suæ æstimationem apud omnes relinqueret.

L. *Magnificum in curia epulum prabitũ: in quo hydrophorus Elector Brãdeburgicus, Dapifer Palatinus, orator Trevirincus, Sigillifer Moguntinus. Electores singuli singulis mensis assident.*

Hinc ad plures in ordinem equestrem adscribendos digressus; nec multò pòst ut erat imperiali ornatu decorus, inter septemviros, ac prælata regnorum insignia, curiam foro proximam, amplitudine suâ ac vastitate, tum recenti peristromatum cultu perquam illustrem subijt, ubi basilicè ad epulum comparata omnia. Hìc per Marchionem Brandeburgicum affusa regijs manibus aqua, Palatino Comite, alijsque Principibus mappam lavanti subministrantibus: qui deindè Comes supremi dapiferi functus munere, mensarum apparatum moderatus est. Ab Electore Trevirensi subindè cibis oratione sacrâ benedictum est: Moguntinus verò digressus, inter Archicancellarios, ut vocant, sacrorum Principum ipse medius, sigilla regia insigni magnitudine, ex baculo argenteo suspensa, mensæ intulit: quæ deindè, Cæsaris recepta manibus, collo appendit. Post hæc Principum Electorum præstita officia, singuli singulis, à Cæsare, mensis accubuere, inferiore omnes ab illo gradu. Exadversum Imperatori, medius inter Colonien-

1520.

nienſem Regis dexteræ,& Moguntinum ſiniſtræ reſpondentem, Trevirûm ſummus Antiſtes aſſidebat. Altera, tertiaque à Colonienſi Præſule menſa, Bohemiæ Regi Saxoniæque Duci aureis inſtratæ tapetibus, utroque Principum abſente, vacabant. Siquidem Bohemo Electoralis poteſtas, licet rarò præſenti, inter ceteros, & tertio quidem ſuffragio competit. Quem honorem, in Maximiliani electione quondam præteritus, ferro etiam vindicare ſtatuerat: niſi illo viciſſim onere abſolveretur, quo Imperatorem in Italiam euntem, ſuâ ipſe perſonâ ſequi cogitur. Sed lis arbitrio prudenti abſque ferro conſtitit. His menſis oppoſitæ aliæ geminæ, quarum una Electori Brandeburgico; ſed & abſenti, deſignata: altera Brunſvicum Juliacumque Ducem appoſitis epulis acceperat. Quarta ab his inſtructa erat aliquot Epiſcopis, quinta regijs Conſiliarijs, ſexta Aquiſgranenſium Magiſtratui, legatiſque Nurenburgenſium, quibus ornamentorum imperialium cuſtodia, veteri inſtituto, competit. Lautiſſimum, ac ſanè pluſquam regalis magnificentiæ, convivium quinquaginta ferculis adhibitum, eâ lege eſt, ut quinis miſſibus abſolveretur. Plurima ad gulam, nonnulla etiam ad ſolam oculorum oblectationem ſunt appoſita. Leonum aquilarumque hîc edulijs permixtæ effigies, arborum, caſtellorum propoſita ſimulacra: atque inter hæc, ventilata in patinis Germaniæ Hiſpaniæque regnorum inſignia. Singulis deindè menſis ſinguli reſpondebant abaci, aureis argenteiſque vaſis, cælaturâ veteri, pretioque ac magnitudine viſendis, graves.

Absentiũ mensa strata vacat.

Brunsvico & Iuliaco Duci sua etiam posita mensa est, ut & legatis aliisq́;.

Ferculorum 50. varietas & decus.

LI.

Intereà non injucundo ſpectaculo plebs foris detenta eſt. Siquidem Udalricus Pappenheim minor imperij, ut appellant, Mareſchallus, ad forum provectus, in effuſum illic avenæ cumulum, equum, quo ferebatur, pectore tenus adegit, raptumque ſubindè ex argento modium, hoc farre impletum, in circumſtantes largâ manu partiebatur. Sed & præ regij palatij foribus fons, uſitato more, excitatus, qui ex aquilæ & leonis effigie vinum in labra ſubjecta effunderet: quod ſubterraneo ductu ſubminiſtratum, die toto in populi uſum profluxit. Diverſo paululùm ab hoc loco, ante Belgicæ gubernatricis Margaritæ aulam, bos integer, ligneo ſuffixus veru, minorique animantium grege fartus, ad luculentum ignem ſenſim excoctus eſt; qui, præciſâ hinc Regi portione, irruenti raptim populo in prædam ceſſit. Sub epulas, nonnulloſque equeſtri dignitate ornatos, Cæſar à Principibus ad inſtructum ſibi palatium, inter tubicinum applauſum, deductus eſt. Ubi, non longè pòſt, ſigilla rurſum, cum equo honorario, ſibi à Moguntino venerationis causâ, ſubmiſſa, eodem remiſit, ac plenam uſûs officijque poteſtatem fecit.

Spectaculum, largitionesq́; & epula foris populo data.

Modio argenteo avena dividitur

Fons vino scaturiens.

Bos integer minori pecore fartus assatur, & à populo rapitur.

LII.

Ita, tranſacto ad veſperam die, altera deindè lux ſolenni rurſum epulo, quod Cæſar Principibus eximio prorſus apparatu dedit, illuſtris fuit. Poſtridie vacatum pietati, & Carolus poſt inſpecta venerataque Divorum oſſa, infantis Dei exoſculatus faſcias, à Moguntino Septemviro juſſus eſt, Pontificis Romani voluntate, Imperatoris, atque electi Cæſaris titulum uſurpare; ſed hunc confirmati imperij honorem, olim in Italia, præcipuâ Imperatorum ſede, conferri ſolitum, atque à Maximiliano (Gallorum Venetorumque armis ac artibus prohibito) domi,

Sequentium dierũ acta.

An. Chr. mi, Pontificis indulto susceptum, Carolus, revocatâ Majorum consuetudine, in Italia rursum suscipere maluit: ut loco ac tempore à nobis exponetur.

LIII. *Carolus Coloniā magnificè ingressus, istic datis literis comitia VVormatiam indixit ac subinde eò digressus de Austriæ turbis cōponendis cum fratre Ferdinando laboravit.*

Electores officio suo functi, ex infecta adhuc urbe, nullâ morâ, Coloniam se receperunt, quos, tertio post inaugurationem die, Cæsar insecutus, Brulam divertit, alteráque luce sub calendas Novemb. ab effusis obviam Principibus Agrippinatûm urbem magnificè inductus est. Hinc, vulgato per Germaniam decreto, omnes imperij proceres ad comitia Wormatiæ imperata sextâ Januarij anni MDXXI. die adesse jubet. Indè Bonnam ad Hermanni Archiepiscopi arcem, locumque haud procul venationi opportunum digressus, biduum hoc studio, laxatis animi curis, absumpsit, non sine virtutis experimento: cùm invectum in se ore spumanti aprum, inflictâ forti ictu hastâ dejecerit. Moguntiam ex hoc loco, ac deindè Wormatiam, Vangionum sedem, Cæsar adverso flumine contendit. Quam quidem urbem licet ruinis deformem laceramque, comitijs tamen inprimis existimavit idoneam, tum situ, quo mediæ ferè Germaniæ incumbit, tum fertilitate loci, quâ omnium rerum subministrat copiam. Hîc prima illi de Austria rectè constituenda, atque ad tranquillitatis consilium revocanda cura fuit. Hæc enim ab obitu Maximiliani moderatore suo, tanquam equus effrenis sessore destituta, effundi in omnem licentiam cœperat, minores Dominos aspernata, ac paucorum imperantium libertati obsecuta. Hi è pluribus delecti, Viennâque, ceteris perturbatis, recepti, annuos Archiducum reditus suæ fecerant potestatis, officia muniaque publica suo arbitratu deferebant, sacri profanique muneris beneficia, pacis bellique rationes sibi deposcebant. Magis illa inflammata seditio est, natis per Hispaniam turbationibus, quibus vitam Carolum impensurum sperabant. Verùm ubi evenire secus omnia, & Carolus ad tanti regni opes imperij Romani potentiam adjicere, trans Rhenum Germaniæ jam Dominus inferre pedem, graviora etiam minari obsequium detrectantibus; tum metu (qui in pessimis sæpè rebus optimi fuit consilij magister) ad mentem reducti, de subditorum officio cogitare cœperunt, atque ab inconsulta sese recipere audacia; dum ad Ferdinandi denique fratris castigationem, aliquot capitum supplicio absolutam, quiescerent, ejusque se obsequio permitterent.

LIV. *Comitia VVormatiensia quibus de rebus instituta sint.*

Intereà ad Imperialem synodum magnâ frequentiâ Germani Principes confluxêre, ubi illa inprimis tractata fuêre, quæ ad imperij tranquillitatem æquitatemque firmandam, ad Turcarum vim insolentiamque reprimendam, ad suffocandam hæresûm subnascentium semina facerent. De prioribus utcunque est constitutum: posteriori malo frustrà sunt quæsita remedia. Et quoniam Cæsaris absentia Germaniæ, inter Turcarum & Sectariorum audaciam fluctuanti, metuenda, lectus ex singulis imperij ordinibus, summa cum potestate, Magistratus, qui absentis vicem consilio atque autoritate suâ fungeretur, quarundam tamen definitionum, quæ ex Cæsaris voluntate penderent, exemptione. Antiquæ quæ-

Quæ leges istic data.

dam leges jam injuriâ temporum morumque propemodum obliteratæ novarum legum adminiculo fultæ sunt, quibus inexplebilis monopoliorum ac fænera-

nera-

neratotum rapacitas imperio proscripta est. Litigantibus,ut esset expeditior ad æquitatem via, nec immortalibus traherentur litibus controversiæ, Cæsarea per imperium tribunalia designata sunt , ad quæ privatorum juxtà ac Principum causæ spectarent : ne ad diras Pontificum execrationes, tanquam auxiliariam opem, confugiendum esset. De moneta etiam certi ponderis æstimationisque cudenda firmandaque rationes initæ: ne ad enorme contrahentium dispendium incerto per imperium pretio fluctuaret, nefandamque fæneratorum avaritiam impunè aleret. Vestium conviviorumque immodicus luxus lege est castigatus. Interdicta, sub exilij pœna, Germanis externæ militiæ sunt stipendia : ne, veteri bellicosæ gentis more, tanquam alienæ nationis mancipia, solâ lucri cupiditate, in patriam popularesque suos armarentur : turpissimo vitio, quo honestum satis ducunt, quidquid quæstuosum est, & fortitudinem vendere, quàm probari malunt. Constitutum denique de profectione in Italiam adornanda, ad vetera imperij decora, vi doloque adversariorum intercepta, suum in locum dignitatemque revocanda. 1521.

LV. Hæc aliaque facilioris negotij ac deliberationis fuêre, una vacillantis per Germaniam antiquæ religionis difficultas, gliscensque sedit onis vis major fuit, quàm ut gravissimorum virorum judicio absolvi, aut, præfinitis legibus, intra rationis modestiæque terminos cohiberi posset. Autor malorum & fax dissensionum Lutherus, homo Theologicarum rerum professione, & dicendi promptitudine ad plausum vulgi captandum idoneus. Occasionem dederunt, tum vulgatæ Pontificijs literis peccatorum, ut vocant, indulgentiæ, promulgantibus quæstuosæ; tum ingenita homini arrogantia, & affectionum immoderata licentia: quæ, licet professione religiosum, ingenij tamen simul literarumque fiduciâ nixum, transversum raperent. Leo Pontifex hoc nomine decimus, ut & Vaticanæ Ecclesiæ nobilissimum opus, à Julio cœptum Pontifice, glorioso coronaret exitu, & contra Turcarum immanitatem, graviorem indies Europæ ruinam minitantem, aurum armaque compararet, Indulgentiarum per subjectas sibi nationes passim copiam fecerat ijs, qui subsidiariam aliquam pecuniæ opem facerent. Hic labor ab Alberto Moguntinensium Principe eis rebus per Germaniam præfecto, Dominicanæ familiæ viris, anno hujus seculi XVII. traditus, invidente hanc issis, sive dignitatem, sive etiam operam cum utilitate conjunctam, Staupitio Augustiniani ordinis Generali. Qui, ubi vidisset vulgaris plebeculæ abusu & inscitiâ, Pontificia diplomata, velut ex mercatu comparari, negligentesque flagitiorum homines oberrare, ubi hâc, tanquam libertatis securitatisque tesserâ, muniti incederent : Lutherum, jam invidiæ indignationisque flammis æstuantem, hanc rem pro concione in scholis templisque (utrobique enim docebat) exagitare jussit. Sed is, pro ingenij ferocia, mediocritatis limites prætervectus: non tam abusum Romanorum diplomatum, quàm illorum repertorem, suasoresque ac dispensatores aggressus, Pontificiam hac in re potestatem, atque Indulgentiarum ad hujus vitæ scelera, alteriusque etiam temporales pœnas abo-

Novitati doctrinæ per Lutherum illatæ vix resisti poterat.

Quæ illius occasio fuerit.

Cochlæus de actis Lutheri. Vlembergius in vita Flor. Remund. de orig. hæres. Schleidanus, Surius in com. & alij.

Indulgentiarum quæstuosa promulgatio Dominicanis potius quàm Augustinianis credita, æmulationem in his primò, deindè hæresin excitavit.

An. Chr.

Theses à Luthero VVittenbergæ cõtra Indulgentias promulgatæ.

Concilia, & Canones Lutherus aspernatur.

lendas, vim infringere conatus est. Neque intra verborum contumeliam in res sacras, earumque Præsules jactatam, substitit; sed scriptis, vulgatisque typo positionibus, ad quas Wittenbergæ (ubi Academicis Doctor Theologus præerat) propugnandas, omnes promiscuè totâ Germaniâ adversarios provocabat. Itàque liberè in illius ævi disciplinam grassabatur; ut D. Thomæ, Scotique volumina, cum Aristotele, igni consecranda potiùs, quàm studiosorum hominum manibus terenda diceret, ob inutilem, aut certè inquinatam fidei erroribus doctrinam. Neque hîc stetit arrogantis hominis temeritas; sed ipsa Patrum concilia, inclusasque Ecclesiæ canonibus leges corruptæ veritatis arguit: illa verbis publicè; has etiam injectis posteà flammis violavit. Nimirùm, ut quidquid Pontifici, quicquid peccatorum veniæ, consuetis Ecclesiæ remedijs obtinendæ, faveret, id penitùs everteret. Fana & profana, veritatem erroremque juxtà in sui defensione habuit; modò, ne adversarijs, atque inprimis Dominicanæ familiæ hominibus, succumberet. Ex his Tetzelius Prieriasque, cùm Lutheri aphorismis, ad confutandam audaciam, alios objecissent; plaustris convitiorum, vicario per illum scripto, onerati sunt. Operam sanando homini frustrà admoverunt legati Pontificij Cajetanus ac Miltitius, sapientiâ ac dignitate illustres viri: quorum ille severâ, hic blandâ humanitate inexpugnabilem nequicquam animum pertentârunt. Deindè, Lipsiensi disputatione, congressus cum eodem Eccius, magnæ Ingolstadij famæ Theologus, irrito se labore fatigavit. Cùm Luthero tam absurdum nihil esset, quod ipse defendendi semel admissi erroris gratiâ non sustineret: undè hic ipsa etiam errare Ecclesiæ concilia non erubuit profiteri, nihilque amplius reliquit homini Christiano in controversis S. Scripturæ sensibus integrum, quàm proprij spiritûs judicium: ut si illo subnixus errare non possit, etiam cum tota aberrat visibilis Ecclesia. Quâ dementiâ nescio an queat reperiri crassior.

LVI.

Lutherus scriptis suis passim damnatis, de sua causa desperãs, à Franconica nobilitate erigitur, atque ad Clerũ oppugnandum accenditur.

Intereà Lutheri scripta Coloniensium ac Lovaniensium calculo damnata, & flammis, illic quidem Carolo Imp. præsente, abolita, à Georgio etiam Saxoniæ Duce, Friderici patruele, scriptis ad hunc literis, ab Episcopo verò Misniensi, decreto adversus eorum usum vulgato, infamiam contraxêre. Quæ res autorem à scriptis & furore in adversarios concepto, ad rerum suarum desperationem convertisset: nisi metuentem, fugamque ad Hussitas meditantem, Franconiæ nobilitas, literis, fideque ad defensionem oblatâ, detinuisset. Undè non tantùm Lutherus pristinæ audaciæ restitutus; sed, confirmatâ nocendi voluntate, machinationem hactenus arcano pectoris conclusam, denique disjectis verecundiæ religionisque obstaculis, in apertam lucem protulit: ausus, de innovando Christianæ Reip. statu consilia, scripto ad Germanicam nobilitatem explicata, suscipere: atque, ut ex ea homines plerosque feroces ac militares, adeoque in Clerum flagrantes, spe prædæ sibi addiceret; negat Sacerdotium à Christo nato aliud in orbe præter illud, quod à Baptismo trahitur, reperiri: hoc verò paucorum non esse; sed omnium, qui quidem Christiano nomine censeantur. Congestas deinde curiæ Romanæ labes ac dedecora, in unum Pontificis caput detor-

quet;

quet: ut illum furioso, ac vix sani hominis commento Antichristum esse doceret, cujus, non multò antè, se pedibus per literas, fictâ utique simulatione, submiserat: ne immaturis etiamnum viribus sese adversario potentissimo objiceret. Tantùm scilicet in extrema temeritate consilij supererat, quanquam non ad virtutem, sed flagitia usurpati. Denique ubi jam suæ aliquem audaciæ exitum prospexisset, sparso in vulgus libello (quem Babylonicæ captivitatis præludium dixit) plerisque in Ecclesia Sacramentis exitium molitus est. Datis tamen, modò, ad Moguntinum Præsulem Albertum; modò, ad recens electum Cæsarem literis, humanitatis obsequiorumq; plenissimis, officiosè blandiebatur: ut iisdem animos illorum artibus occuparet, quibus Saxonum Ducem Fridericum virtutis prudentiæquo famâ inclytum ceperat. 1521.

LVII. *Multorũ sibi studia Lutherus conciliabat ob corruptã Cleri vitam & professionem doctrinæ ex verbo Dei proponendæ. Theologici & Academici studij rationes criminãbatur.*

Et sanè multorum sibi adjungebat studia Lutherus; quòd, ut erat veterator insignis, omnia ad sacrorum voluminum rationem & normam, abolitis, quæ Ecclesiam fœdarent, abusionibus, splendidè revocaturum se jactaret; neque deessent consecratorum Deo hominum inquinata morum exempla, quæ vulgi offensionem mererentur. Aliam deindè viam, ipse religionis novæ Antistes, planam facilemque Christianè sanctèque, ut ferebat, vivendi, ex sacris literis panderet; ubi solâ fide, absque ista tam difficili præceptorum operum ad justitiam via, quam negabat à Christo redemptis necessariam, aut lapsis in Adamo possibilem, cœlum credentibus pateret: ut proindè alios umbrata pietas; alios religionis facilitas in præceps raperet. Neque imperiti modò vulgi, quod, disertissimus ipse Orator, in quamvis partem duceret; sed & doctorum inprimis hominum frequens ad Lutherum accessio. Multis steriles illæ academicarum ex Aristotele, & Angelico Doctore disputationum tricæ displicebant: multis grata novitas, & suspecta antiquitatis fides, tot leviculorum per orbem Christianorum hominum sceleribus obscurata. Verbo, omnis ætatis ordinisque hominibus hamos, escâ cuivis aptâ, projecerat: dum, quod quisque in veteri religione odisset, abolitum in nova Lutheri artificio reperiret; alijs virtutis imagine, alijs impunitatis spe captis, prout quilibet, aut vitiorum, aut virtutum traheretur affectibus. Eccius, ubi illam perniciem ad ingentem animorum stragem videret invalescere, flagrans avitæ fidei, pietatisque defendendæ studio, Romam se contulit; ut quam lubrico in loco Germaniæ salus consisteret, propiùs summum Ecclesiæ Monarcham edoceret.

LVIII. *Lutheri doctrina 41. capitibus proposita à Romanis damnata & proscripta.*

Neque segniter adversus Apostatam rem egit: siquidem Lutheri doctrinam Pontifex uno & 40 capitibus comprehensam, atque à Romano Theologorum Collegio suis momentis ponderatam, vulgato per orbem decreto Anno salutis CIϽ IϽXX damnavit, quamvis ejus autorem, gravissimâ obtestatione, ad resipiscendum invitaret. Sed Lutherus pari verborum fulmine Leonem execratur, atque ab illo ad Generalis Concilij autoritatem provocat. Hæc religionis pestis ab anno hujus sæculi septimo ac decimo ad vigesimum, eo quo dixi fonte, latiùs indies contagionem fuderat. Quo tempore Fridericus, Saxoniæ Princeps, ad Caroli electionem profectus, Coloniæ substitit. Ad hunc Caracciolus &

An. Chr. Legati ad Fridericũ Pontificij non obtinent executionẽ.

& Aleander Romanæ ſedis legati veniunt, præſente jam, à recenti inauguratione, Cæſare, obnixè poſtulatum, ut Pontificium decretum adverſus Lutheri ſcripta exequeretur, hominemque ſuis præfractè erroribus adhærentem, meritâ pœnâ, niſi rediret ad mentem, corriperet. Sed Fridericus, ut qui impensè Luthero, ſtudijſque recentis Academiæ per illum promotis, faveret, Eccium minùs æquum apud Pontificem controverſiæ interpretem fuiſſe cauſatus, litis arbitros in Germania legendos contendit, qui rem certiùs inſpicerent, nec tot hominum judicia Lutheri partibus ſuffragantium temerè condemnarent. Fluctuabat tamen incertâ animi ſententiâ Princeps, quòd ad ingentes ſpectare motus hanc diſſenſionem intelligeret. Quare Eraſmum Roterodamum, maximâ per Europam id temporis ſcientiarum exiſtimatione florentem virum, Lovanio ad ſe Coloniam evocat. Hunc familiari adhibitum colloquio ſciſcitatur: quid de Lutheri diſciplina, excitatiſque recèns in fide controverſijs ſentiret? Cui dum Eraſmus liberè magis, quàm ſanctè pronuntiaret: Res Eccleſiæ Romanæ in eo ſtatu verſari, qui reformatione egeat; non injuriâ proindè Lutherum varios abuſus carpere, quos oſcitantia Præſulum invexiſſet, & quorum emendationem plures boni flagitent. Nec deeſſe, qui ipſius inſtitutum probent, ab humanis conſtitutionibus, & Scholaſticorum argutijs avocantis. Eſſe tamen in homine plùs nimio in verbis ſcriptiſque fellis, ac violentiæ; optandum, ut poſitâ ferocitate, manſuetiùs agat, ſibique à maledicentia, immoderataque verborum aſperitate temperet, quibus bonorum omnium offenſionem mereatur: verbo, cauſam non omninò malam, malè tractari. Quæ ſic dicta ab Eraſmo Princeps accepit, ut nihil in Luthero inſyncerum; ſed tantùm immoderatiores animi impetus, & ſtylum magis ſcribentis, quàm aberrationem à veritate reprehendi cenſeret: adeóque, ſuâ de Luthero exiſtimatione confirmatus, nihil ex Pontificia legatione ad animum, ac ne ad aures quidem deindè admiſit.

Fridericũ ancipitem Eraſmus Roter. imprudenti judicio cõfirmat.

Legati apud Carolũ Imp. obtinent, ut libri ejus flammis addicantur, quibus Lutherus viciſſim jus Pontificiũ ſubjecit.

Legati à Principe excluſi, Imperatori poſtulata ſummi Pontificis exponunt, qui nihil in ſe moræ paſſus, per Brabantiam, Rhenanoſque imperij tractus, ut deteſtata volumina flammis abſumerentur, effecit. Lutherus indignationis plenus, ut vicem adverſarijs redderet, jus Pontificium cum ipſo Romanæ curiæ in damnationem novæ doctrinæ ſtricto diplomate, Eccijque atque Emſeri adverſus illam commentarijs, publico Wittenbergæ buſto conſumpſit, ingenti quà Academicorum, quà populi ad ſpectaculum invitati concurſu: ubi ipſe non ſine hiſtrionico apparatu, tanquam in ſcena actor, ad ingeſtos foco libros, elatâ voce intonabat: *Quia ſanctum Domini conturbâſti, conturbet te ignis æternus.* Quam deindè tragœdiam, duobus tribuſve Germaniæ locis aliquot Lutheri hypodidaſcali eâdem fronte luſerunt: ne quid infra Cæſarem Romanoſque ſuorum librorum execratores auſus fuiſſe videretur.

LIX. *Lutherus Cæſarem datis literis, hu-*

Intereà, quâ erat ad agendam rem ſuam, ab ingenio audaciaque inſtructus, ſolertiâ, Cæſaris animum juvenili etiamnum ætate ductilem, gloriæque jam tum, & ſupremæ magnitudinis fulgore captum, per ſe officioſiſſimis literis, perque ſuorum fautorum blandimenta captabat; quæque Pontificis Romani conciliare poſſent

1521.

possent odia, suggerebat. *Hunc videlicet illum esse, qui Cæsaris potissimùm felicitatem in electione nupera subruere conatus sit, neque eundem Neapolitanum Regem & Cæsarem pati queat. Nihil Romanorum Pontificum tyrannide in Germaniam, ejusque Principes hactenus fuisse intolerabilius, quàm plures Imperatores excutere conati sint, avertere nisi viâ, quam doceat, nunquam possint. Iugum hoc semel abjiciendum, neque Augustis Imperatoribus, quibus omnia jure subsint, ad unius, & abjecti sæpè ad suæ flagitia hominis, arbitrium circumagendum. Regum esse populos regere, Pastorum verbo Dei pascere. Rem longè disparem esse, Imperium & Ecclesiam; illud gladio, hanc clavibus servari; illic imperari, hic doceri. Agnoscat Augustum se jam factum esse, qui soli Deo subsit, ceteris præsit universis.* His alijsque argumentis, velut machinis, quatiebatur Caroli constantia, non tamen corruebat. Imò Hieronymus Aleander, vir multiplici scientiarum linguarumque facultate excellens, missus à Leone Pontif. ad Cæsarem, ut sedis Apostolicæ adversus Lutherum causam sustineret, ejusque proscriptionis edictum perurgeret, ubi Carolum Wormatiæ convenisset, humanissimèque exceptus, animum planè in adolescente regium, Orthodoxæque religionis tuendæ satagentem reperisset, suis ad Cardinalem Mediceum literis testatus est: *Existimare se, quòd à mille annis syncerioris rectiorisque animi Imperatorem Ecclesia non possederit.* Ingentibus sibi obstaculis viam intercipi, quæ tamen uno Cæsare expugnato speret evertenda. Et Carolus Guilielmus Croyus, qui ut pueritiæ moderator Cæsarem totus adhuc possidebat, auditus est dicere: *Talem Cæsarem futurum Pontifici, qualis Pontifex esset Cæsari*, qui id temporis Francisci æmuli Regis studijs tenebatur: ut hinc Aleandri spes ægresceret. Vicêre tamen egregia Hispanorum procerum pro religione studia hunc Croyi, seu verum, seu simulatum languorem. Quanquam non defuerint ex stirpe Maurorum Hispani mercatores, quibus illa arrideret Lutheri novitas, ipsiusque etiam opera Hispanico idiomate Antuerpiæ prælo subjecerint. Quibus præcipua illa Lutheri sententia placebat in odium quæsitorum fidei vibrata: *Nefas esse quenquam religionis causâ, quæ cuique libera esse debeat, supplicijs addici.* At præcipua in duobus Germanorum Septemviris, Friderico Saxonum, quem Lutherus occupaverat, & Ludovico Palatino, quem Pontifex ob concessa Ratisbonensibus se invito privilegia offenderat, tum nobilitate, Ecclesiasticorum bonis inhiante, ad resistendum autoritas: quibus vulgus passim, novitatis libertatisque promissæ avidum, Grammaticique ac Leguleij, Philosophicas Theologicasque disceptationes perosi, adeò cupide hærescebant; ut hi scriptis; illi vocibus Lutherum, ceu divinæ veritatis vindicem, cœlo inferrent, & hæ tales tantæque adversantium copiæ, Aleandro nonnunquam desperationem ingererent. Et certè Ulricus Huttenus, è nobilitate homo facundus juxta audaxque, scriptis etiam polemicis Lutheri causam propugnare aggressus, cùm rogo hæc designari audisset, non est veritus Moguntiorum Principi denuntiare minacibus literis: *Si libris à se conscriptis admoveret flammas, se easdem in ipsius regesturum oppida.* Nec ipse sat ubique tutus Aleander, reliquique Pontificij, quòd ingenti, hoc apud Germanos nomen, Luthero incendium animante, flagraret invidia; ut, nisi præsidio atque auto-

…manitate erga illũ, indignatione erga Pontificem plenu, frustrà conatur sibi addicere.

Aleandri legati Pōtificis de Carolo judiciũ.

Quorundam erga Lutherũ: aliorum in Pontificem affectus.

Vlrici Hutteni audacia, periculũ Aleandri.

An. Chr. autoritate munitus Cæsareâ, tutò hac in causa subsistere non potuisset; opportunum tamen in dimicatione tam ancipiti præsidium, ab Academia Parisiensi, ad quam Lutherus provocaverat, allatum est, quæ Lutheri theses plerasque gravissimâ hæreseos censurâ perstrinxerat: ut ad inexpectatam hanc Lutheri plagam haud leviter quaterentur. At pudorem metumque, freti multitudine, jam excusserant, infamesque imagines, & Aleandri etiam ex pedibus suspensi effigiem, Romanosque cum suo Pontifice Patres inclusos, militum custodiæ exhibebant, ac minaces in Cæsarem Electoresque spargebant literas, quibus bella necemque intentarent Lutheri damnationem molientibus, jactabantque jam nobilium in armis stare quadringentos, qui sententiæ in Lutherum ferendæ præstolentur exitum. Cùmque ad hoc nuntium Moguntinus concepisset formidinem, Carolus Cæsar ad illum versus animosè subjicit: *Mutium olim jactâsse in castris Porsenæ, trecentos suorum esse, cùm solus venisset: videri has umbras, quæ non sint metuendæ*: jussitque adesse proceres institutæ in diem cinerum consultationi, quâ Aleander Pontificis nomine audiretur, quem per se Croyumque admonuit, liberè diserteque causam exponeret. Quod ubi à Friderico Saxone intellectum est, valetudinem causatus, congressu abstinuit, submissis tamen, qui scripto dicta exciperent.

Caroli Cæsaris imperterritus animus.

LX. *Acta VVormatiensia ad an. Chr. 1521.*

Nec defuit Aleander muneri, qui Lutheri libris diligenter à se collectis, ne quid citra manifesta erroris testimonia assereret, instructus adfuit, ostenditque luculentissimâ oratione, Lutheri doctrinam, articulis 40. & uno ab Apostolica sede damnatam, Orthodoxæ Majorum fidei adversantem, jure à Pontifice damnatam, edictoque Cæsareo cum autore suo proscribendam. Utque ex ipsius oratione, quam tribus omninò horis, citra audientium fastidium, est prosecutus, nonnulla delibem. Negat, inquit ille, *necessitatem utilitatemque cujusvis nostri operis, ad cœlestem gloriam consequendam: negat libertatem ad legis naturalis divinæque observantiam: quin affirmat, quâlibet actione nostrâ, nos ex necessitate peccare. Quod ex orci armamentario validius telum ad hebetandos cunctos conscientiæ morsus, ad frena pudoris perfringenda, ad honestatem aureis spei calcaribus exarmandam? Quod nocentius poculum in fabulis excogitatum est ad homines in belluas deformandos? Cur veteres Sapientes Epicuri sectam adeò execrati sunt, nisi quòd, quamvis ille divinitatem in cœlo fateretur, negabat ab ea nobis vel pœnas infligi propter delicta, vel præmia rependi propter operum honestatem?* Certè *hinc sempiterna felicitas, hinc calamitas, à judice potentissimo sapientissimoque rependenda, si mentis oculis obversentur, fulcimenta sunt humanæ virtutis, adeoque civilis etiam quietis.* Num *fortè spectat hæc doctrina ad Romani Pontificis emolumenta? Spectatne ad ejusdem commodum, vis illa Sacramentis à Luthero detracta gratiæ affundendæ? Quâ persuasione in animis credentium omnis extinguitur fiducia, nixa divinis illis pharmacis, quæ nostræ salutis causâ IESVS Christus suo sanguine in cruce conflavit? Quid jam dicemus de potestate inaudita prorsus, Ecclesiæ sontes absolvendi, non solùm Laicis, sed planè feminis ab eo tributa, præcipuâ veneratione ab ordine Sacerdotali sublata? Quænam impietas vel sacrilegio fœdior; vel perturbatione Christianæ reip. perniciosior, quàm vota religiosa delere, quàm sacrosancta illa fœdera dissolvere, quæ sexus* utriusque

Oratio Aleandri legati Pōtificij in Comitijs, qua ostēsis Lutheri perniciosis erroribus proscriptionis edictū obtinuit.

utriusque Regulares intra sacra septa indissolubili nexu devinciunt? Quanam erit rerum perversio, si irritamento doctrinæ sensibus illecebrosæ corrupti, vestes illas abjiciant adeò venerandas, templa deserant, prius ob eorum psalmodiam adeò frequentata, enormibus incestisque stupris sese contaminent? Prætermitto brutalem illam insaniam, quâ docet Lutherus, nefas esse Turcarum aggreßionibus obsistere: quippe qui divinam in nos ultionem Dei vindicis exercent. Quod æquè conficeret: nefas esse morbos curare, ne Deo, valetudinem ad noxarum vindictam affligenti impiè resistatur. Sed hæc Lutheri dementia ostendit, quodnam lumen divinum hujusmodi Prophetæ mentem irradiet, quanam sit charitas illius vindicis libertatis vestræ, qui mallet intueri Germaniam à Bizantijs canibus devoratam, quàm à Romanis Pontificibus custoditam. 1521.

Hæc Aleander, quibus deindè profusâ dissertatione subjecit, quod ad Pontificis Rom. autoritatem, adversus Lutheri effata, propugnandam faceret: quæ hic strictim tangere in proposita mihi brevitate, quàm prosequi, cùm illo diserte malui. ,Provocare asserit Lutherum à Romana tyrannide, quæ aliud credendum subditis imperet, aliud ipsa perpetret: vanumque hoc esse a muli commentum ostendit; cùm ex instituto Apostolico præsideat Ecclesiæ non ut tyrannus ,Pontifex; sed ut rector, cujus est moderari, pastorque supremus, cujus est divina ,oracula subjectis exponere. Siquid Romæ peccetur, & ibidem reperiri homines non vitijs minus, quàm virtutibus (quarum non vulgaria exempla reperiantur) addictos: ex nota Christi admonitione, doctrinam eorum, non opera ,sequenda esse. Malum argumentum bonæ religionis esse, ubi opera plerorumque doctrinæ respondent: qualis apud Mahumetanos & Lutheri asseclas reperiatur, quæ cùm effrenatæ libidini alijsque cupiditatibus faveat, mirum non ,esse, si verbis facta congruant. Hoc verò non nisi divinum videri, quod ipsi etiam Romani Pontifices à virtute devij, in eadem tamen ab Apostolis Majoribusque tradita veritate ac verbi Dei sententiâ perstiterint. At hypocrisin, ait ,Lutherus, Romæ grassari: ergò, infert Aleander, multi illic syncerae probitatis ,viri: neque enim inter suorum flagitiorum similes hypocrisi aut simulatione ,virtutis opus est; nec adulteramus aurum, ubi illud universè corruptum est. ,Sed jurisdictio principatusque Romanus carpitur: qua verò de causa? Si nullâ ,ille potentiâ ac splendore niteretur, quo se pacto orbis, Regesque ad venerandum Christi Vicarium, imò cætori orbis Episcopi, nonnunquam devij revocandique, quâ se ratione unius autoritati submitterent? Nunquid brevi suæ quisque ,diæcesis religionisque supremus arbiter ac dictator in rebus fidei existeret? Et ,quid, si idem singuli Pastores in suum ausint Episcopum, quod hic in Romanum ,Pontificem; quæ obsecro anarchia in universam sese effundet Ecclesiam? At uni parebunt Concilio. Unine? an semper illud duraturum, ut controversij ubique natis occurratur? Cujus hoc cogendum imperio? quando? quomodo? quo ,præside? Cæsarne fortassis, & profani id agent Principes? An igitur rerum ,sacrarum arbitrium ad illos amandabimus, qui ipsi ab Ecclesia in religione judicandi sunt? Cui hi partium adsistent, præsertim, si ut fieri potest, error plurium, pauciorum sit veritas? Nimirum hoc esset decus fidei maximum, for-

Pontificis Romani autoritatem à Luthero multis accusationibus oneratam disertè tuetur.

„mámque regendi optimam , quæ monarchica omnium iudicio est, nosque „divino conformat imperio, ab Ecclesia tollere, atque in eam primùm, quam „Lutherus fingit, Babylonem Romanos, ceterosque fidelium, transferre. „Verum desiderabunt rursus talem esse Ecclesiam, qualis olim sub Apostolis „erat. Nimirum Apostoli iam à nobis sublati sunt, qui idem ubique, citra al- „terius magisterium sentiebant. Alia nunc Ecclesiæ species, velut corpus huma- „num, cum ætate mutata. Alio infans, alio iuvenis victu habituque utitur, quan- „tumvis idem sit; nec rectè hunc jubeas ad infantiam, tanquam perfectiorem, „remigrare. Et sane fas erat, ut crescens jam faventibusque Imperatoribus ac „Regibus propalam dominatura Ecclesia suo in regimine hierarchico profice- „ret, mores ritusque salvâ fide, novis legibus firmaret formaretque; ne tot „aucta regnis, capitibusque, diversis sensibus sententiisque fluctuaret. Quod „orientalis Ecclesia divulsa à Romana sit, non ex eo factum, quod hanc Prin- „cipem non agnosceret; sed quod minus formidaret, exercendæ in potestati „nondum satis roboratam: ut rebelles animat sui principis imbecillitas. Mon- „strosa planè Ecclesiæ unius facies esset, si pluribus illam in terra capitibus ad „diversa tendentem conspiceremus, aut si corpus quidem videri, sed caput nul- „lum posset. Optimè sub spectabili unius capitis imperio tantum corpus mo- „deramur. Verum nimium absumi ab hoc capite, Lutherus impendio alio- „rum queritur. Cur verò? An non vasti corporis caput plus alimentorũ requirit? „Si suum quæque ditio Principem, eiusque splendorem suis alit impendiis, cur „Pontifici toti orbi imperanti, tantillum, quantum exigit, in sacros sæpe usus „templaque Dei impensum, negabitur? Tot literis, virtute, ac nobilitate præ- „stantes in hac reip. Christianæ regia viri, an suis carebunt alimentis præmiis- „que? An non totius ad hanc aulam orbis nobilitas, & confluit, & admittitur, „Regumque ac Principum filii posthabitâ coniugali vitâ, purpuratorum or- „dinibus inseruntur, atque, ut propriæ familiæ opus dignitatemque non spar- „gant, Ecclesiasticam amplectuntur? Tolle ab hac igitur honestioris vitæ ali- „menta ornamentaque, & quis aspirabit? onerabuntur illustres familiæ suorum „heredum copiâ: destituetur iisdem Ecclesia, utrisque suum decus, istic multi- „tudine, hic defectu nobiliorum personarum auferetur. Verène hæc pronun- „tientur, ipsa nos Lutheri consilia, si effectum sortita sint, docebunt. Deni- „que post hæc aliàque gloriosè affirmat, (ipsius iterum verbis loquar) *Nulla alia natio adeo vel maximè abundat literis, quia supremum obtinet principatum, atque in eo tam sublimes gradus, quibus tanquam præmiis propositis, ad Palladis studia non Martis adspirat. Si (ut paucis multa cumplectar) universum terrarum orbem circumspectemus, nulla nobis occrret resp. aut felicior, aut exelsior, aut ornatior eis dotibus, quæ supra belluas hominem evehunt, ipsisque Angelis admovent, quam Christiana communitas obtemperans Romano Pontifici.*

Quare primum ac præcipuum ex capitibus à me propositis ita concludo. Si Lutheri pertinacia, uti jam vobis exploratum est, id enititur, ut Christianæ religionis cardines divellat, sublato mortalium operibus respectu supplicii præmiique cælestis, sacramentis venera-

veneratione, votis ſolennibus cuſtodiâ, fidei, ſacròque Chriſtianorum principatui unitate, atque id expellendo funditus ex animis pietatem, atque à cœtu mortalium felicitatem, ubicunque illius doctrinæ lues afflatur, quæ lues adipi ſenſuique infuſa, adeò tenaciter, ut indies experimur, populos corripit, adeò longè latèque per eos graſſatur, liquidò apparet, opus eſſe remedijs præſentiſſimis, ut opprimatur. Animadvertit id perſpicatiâ ſingulari Maximilianus Cæſar, ſuisque literis Romanum Pontificem ſtimulavit, ut proſerpenti hæreſi ſuarum definitionum autoritate, obviam iret, pollicitus ſe per univerſum Imperium eas pro virili promoturum. Hac permotus fiduciâ Leo X. non dubitavit ſacroſancta ſua tela ad pugnam educere, & Apoſtolico ſtudio ſuas omnes partes explere. Nolet enim vero Carolus deſpectâ ſententiâ, violatâque promiſſione deceſſoris & Avi, Pontificem impiorum ludibrium deſerere, ingenſque illud incendium ſibi præſens negligere, cuius vel primæ ſcintillæ tantum Maximiliano ardorem intulère. 1621.

His dictis oſtendit, Edictum Cæſareum, velut præcipuum in Lutherum telum requiri; cùm leniſſima quæque remedia, à Pontifice eiusque legatis adhibita, nihil profuerint, universàque, ceu deſperatus in morbo æger, reiecerit. Nec difficile illi fuit, hac in re Principum, tam inſolenti doctrinæ novitate offenſorum, adeòque & Cæſaris, aſſenſum obtineri. Qui oblatas tum fortè literas, nec lectione quidem dignatus, repentè conciſas Aleandro obtulit. Fridericus verò Elector, offenſione ex productis Lutheri ſcriptis ſententjisque cognitâ, ut ictum declinaret, negavit ea Lutheri videri, ſed adverſariorum tantum odjis in hominem concinnata, ideòque inauditum indefenſumque jure damnari non poſſe. Porrò Aleander veritus, ne, quod ipſi Româ vetitum, ad diſceptationem de fide in ſecularium conſeſſu res adduceretur, id tum in præſentia talium, tum adverſus hominem, qui Philoſophiam canonesque & Eccleſiaſticum totum ordinem reſpueret, fieri omnino poſſe negavit; imò nec audiendum quidem, nec fidem dandam jam publicâ Eccleſiæ damnatione perſtricto contendebat.

Princites in edictũ proſcriptionis conſentiunt Friderici tamen ſaxonis interceſſione factũ, ut Lutherus, antè publicâ fide accerſitus, audiretur.

Verum mediâ itum viâ eſt; ne injuriâ proſcriptus jactaretur. Accerſitus fide publicâ, & miſſo Caduceatore Imperatoris, Caſpare Sturmio, tribus ipſe ſtipatus Schruffio, Ionâ, & Amſdorfio ſocjis, ac mille datis à nobilitate equitibus adfuit, fronte habituque ac moribus multum à concepta de ipſo modeſtia ac ſanctitate (ut cuius imago jam radjis verticem ornata circum ferebatur) diſſimilis; cumque in Cæſaris præſentia, nec fingere quidem verecundi modeſtique hominis vultum vocemque poſſet, ille ad Principes verſus dixit: *Hic ſanè, ut ipſius religionem amplectar nunquã efficerit.* Admiſſus poſtridie XVII Aprilis ad comitia, ab altero Ioanne Eccio Archiepiſcopi Trevirenſis vicario, eruditione clariſſimo rogatus primò eſt: num libros ſuo vulgatos nomine, quorum inſcriptionem prælegit, à ſe profectos agnoſceret: cùmque annuiſſet, iterum rogatur; an in his contenta tueri velit; an abolere religioni majorum contraria? Hanc poſtulationem cum Lutherus graviorem affirmaret eſſe, quam ut extemporanea reſponſione expediri poſſet; deliberandi ſibi moram gratiàmque fieri petjit. Dimiſſus igitur, hac de re iterum poſtridie audiendus. Adfuit non imparatùs, & prolixo

An. Chr. verborum ambitu responsionem ingressus, conscripta ab se volumina ad triplicem classem revocavit, quarum una dialecticè, ad rudis populi informationem, de veræ pietatis fideique doctrina concepta, nihil Christianis moribus adversarium traderet; ut proindè ab illarum sententia, nisi proditæ veritatis reo, deflectere non liceat. Alteram classem, ait, Pontificios, & Romanæ nomen religionis, multis fœdatum sceleribus justâ reprehensione perstringere; undè laudem æternitatemque mereri debeat. Tertiam Polemicam esse monuit, in Antagonistas Romanæ impietatis defensores instructam, acrioribus fortasse armis remedijsque, quàm à Christiano, aut religiosæ professionis homine; sed dignas adversariorum furore censuras mitigandas abolendasque non esse, ne illorum insaniæ contra æquitatem favere existimetur. Non tamen diffiteri se hominem erroribus obnoxium, qui sicubi adversus veritatem impegerit, non detrectare spongiam libris suis, aut etiam rogum: modò errores illi ex Propheticis atque Apostolicis scriptis doceantur. Hæc loquentem Eccius admonet, minùs ad propositum hos verborum circuitus spectare, pressius simpliciusque responsum postulari, quo retractationem adversus pristinam religionem scriptorum aut admittat, aut rejiciat. Tum Lutherus: quoniam ita Cæsarea Majestas velit jubeatque, responsione se neque cornutâ, neque dentatâ usurum: nisi manifestis sacræ Scripturæ testimonijs, & apertis dilucidisque rationibus convincatur, nec posse se revocare, nec velle. Pontifici Romano Concilijsque, utpote errorum contradictionumque manifestè reis, fidem se nullam debere.

LXII. *Lutherus frustra arguitur, ac perfractè resistit.* Post hanc responsionem Cæsar Principesque ad communicandas concilij rationes digressi, Eccio responsionem mandàrunt, qui Lutherum primò neglectæ erga Cæsarem Principesque inter respondendum reverentiæ arguit: deindè temeritatis, quâ unus ipse conciliorum autoritati, tot hominum seculorumque consensione probatæ, reclamare ausit. Libertatem hanc esse carpendi nulli prudentûm tolerandam, qua semel admissâ, necesse sit omnem retrò antiquitatem religionemque indubitatâ hactenus veritatis possessione dejicere. Velle igitur rogareque Cæsarem; ut ab erroribus vulgatis se recipiat, fore, ut cetera in libris ipsius inviolata persistant. Tum Lutherus ad Cæsarem obsecrando versus, suam ut sibi conscientiam salvam integramque tueri liceret, orabat: responsionem minimè ambiguam se dedisse, ab hac dimoveri non posse; cùm promptum sibi sit concilia falsitatis convincere. Hanc, obnitente vicissim Eccio, nox altercationem diremit.

LXIII. *Cæsar suã sententiã scripto cõplexus, ad Concilium postera luce trãsmittit, qua insistendum religioni Majorum pronuntiat.* Cæsar altera die, quòd pertinaciam hominis præfractè obsistentis frangendam desperasset, ipsè non est reversus; sed animum suum scripto manu propriâ exarato Ordinibus in hanc sententiam exposuit. *Genus se ducere à Christianißimis Germanicæ nationis Imperatoribus, à Catholicis Hispaniæ Regibus, Austriæ Archiducibus, Burgundiæ Ducibus, quorum in Ecclesiam Romanam fida & constans voluntas, Orthodoxæ religionis, sacrorum rituum, legum morumque indefessa propugnatio, suis monumentis orbi etiamnum sit nota. His quidem fato functis, possessionem non minùs regnorum, quàm*

avitæ religionis ad ſe curam perveniſſe. Decretum ſibi eſſe viventi morientique laudatis 1521.
Majorum veſtigijs inſiſtere , neque degeneri conſilio à rectè cœpta religione deflectere , aut Conſtantienſis , aliorumque conciliorum placitis adverſari. Cùm fratrem unum, ſuo obſtinatè ingenio fiſum, hallucinari, multò ſit evidentius , quàm tot ante nos ſeculorum viros religioſiſſimos, prudentiſſimoſque, à quibus tanto intervallo opinionum abeat ; ut neceſſe ſit, aut omnes retrò Majores noſtros, à primis ſuſceptæ religionis noſtræ incunabulis, atque univerſum nomen Chriſtianum erroris condemnare , aut Lutherum non abſolvere. Eam ob rem, deliberatum ſibi eſſe, omnes tam impijs conatibus vires objicere, regna, imperium, amicos, corpus, ſanguinem, vitam denique ipſam impendere ; ne cœpta animorum contagio longiùs ſerpat. Neque enim ferendam hanc ignominiæ labem, quæ ſuo Principumque nomini per omnem deindè poſteritatem adhæſura eſſet, ſi, aliquâ illorum negligentiâ aut pravitate, hæreſis Germaniam occupaſſet. Pœnitere jam nunc lenitatis , quâ perditiſſimo homini veniam hactenus tempusque dederit, quo perfidiæ robur adderet. Non audiendum abs ſe impoſterum ; curandumque, ut quamprimùm urbe faceſſat, neque fidem ſibi datam, prohibitis in via concionibus, primus violet. Hoſtis porrò , ac perfidioſi hominis loco ſibi illum futurum : à Principibus verò expectare , ut æquitati ac Chriſtianæ dignitati convenientia ſtatuant , ne indultæ perfidiæ animum vireſque indulgendo faciant. Lecta in comitijs Imperatoris ſententia, laudataque , variâ in vulgus affectuum concitatione manavit, prout Lutheri rebus quiſque animum expectationemque in favorem vel odium impenderat.

Spargebantur ſeditioſorum hominum voces, timidiùs quidem verbis, at ſcriptis liberiùs , quibus arma Pontificijs intentarent, & cierent plebis ſtudia. Voces illæ paſſim ædium valvis inſcriptæ legebantur . *Væ terræ , cujus Rex puer eſt.* Magna hîc Poëtaſtris quibuſdam , genere , quàm ſtylo nobilioribus , Hutteno Franconi, & Buſchio Weſtphalo, non fingendi tantùm ; ſed & audendi licentia in Theologos præſertim , Romanæque curiæ viros uſurpata fuit : quorum acerbitatem etiam Cochlæus Francofurti ad Mœnum Decanus vir religioſiſſimus, & tulit, & contempſit fortiſſimè; cùm huc accurreret, ut Luthero ad ſaniora conſilia traducendo operam daret. Sed & nobilium arma per Franconiam Lutheri patrocinio expedita eſſe ferebantur; ut Principes metu tumultuum ſolliciti , impenſiùs hominem omni humanitatis, rationiſque artificio urgendum impellendumque cenſerent ; ne malum, poſt tentata fruſtrà remedia , augeſceret.

LXIV. *Illuſum Cæſari & Catholicis per Lutheranos*

LXV. *Triduo adhuc integro per diverſos Principes inprimiſque Trevirenſem pro reductione Lutheri fruſtra laboratum.*

Triduum in hanc rem à Cæſare, pertinacem Apoſtatam averſante privatæ ſolum collocutioni ægrè eſt impetratum : Richardo à Greiffenclaw Trevirenſi Septemviro, & Ioachimo Marchioni Brandeburgico , alijſque nonnullis Germanorum procerum hic labor permiſſus eſt. Ille ſuo hoſpitio exceptum Lutherum per Hieronymum Væum, juris humani divinique conſultum, allocutus eſt: monuitque humaniſſimè, *temperaret illis vocibus, quibus tot ſeculis nationibusque probatam Conciliorum autoritatem convelleret : honoris , conſcientiæ, ſalutiſque ſuæ rationibus conſuleret : videret, quò ſe, quò imperij Eccleſiæque totius incolumitatem præcipitem ageret, niſi temerè cœpta tempeſtivo etiamnum conſilio abrumperet* Ad hæc Lutherus : Non

An. Chr. *illum esse, cui illa Principum benevolentia ac cura debeatur: neque eò temeritatis prolapsum, ut omnibus Concilijs abnuntiet. Constantiense se tantùm perstringere, quòd Hussum damnet, asserentem, Ecclesiam cœtum esse prædestinatorum, sanctamque habendam, ex qua improbæ vitæ homines, quamvis Baptismate fidelium adscripti numero, malitiâ rursum suâ excidant. Quæ cùm non Husso tantùm, sed Dei ipsius testimonio adversentur, nullâ suâ suffragatione tolerari probarive posse.* Hæc ille contra omnes pertinacissimè tuebatur, quamvis adversaria pars sacrarum sese literarum patrocinio tueretur: *quòd Apostolus Ecclesiam domum militantem esse statuat, in qua censet alia vasa in honorem; alia in contumelia: Christus illam agro comparet, triticum zizaniaque progeneranti: Sagenæ, ex omnium piscium genere congreganti: Virginibus decem, alijs fatuis, alijs sapientibus.* At Lutherus sponsam, macularumque expertem vocabat Ecclesiam invisibilem Electorum, à qua flagitia omnia iccircò cupiebat amota; tum ut statum Ecclesiasticum quorundam sceleratorum vitio infamem suâ sede dejiceret: quo nihil ad nobilitatem vulgusque, huic ordini, ex vitæ disparitate parùm semper benevolum gratius emanare poterat: tum ob visibilem Ecclesiam, tanquam erroribus obnoxiam, in sui defensione rejiceret judicem, atque ad invisibilem Electorum se suosque solius testimonio conscientiæ & S. Scripturæ fretos, transferret. Ita multorum favore applausuque Lutheri obstinatio adversus omne remedium invaluerat.

LXVI. *Scripta sua nulli hominũ judicio, nisi ex verbo Dei scripto proferatur, vult subjici, more hæreticorum, qui suo hinc sententiã judicio depromũt asserentes Scripturæ esse, quod est proprii capitis deliramentũ.*

Ultimo igitur in hoc consessu ab homine postulatum, ut scripta abs se Ordinum Cæsarisque judicio vellet submittere. Ad quæ Lutherus, nullius se hominis judicium, inquit, subterfugere, modò ex Dei verbo & sententia definiatur. Ita ex publica hac deliberatione à Trevirensi Antistite ad privatam, magisque familiarem consultationem Lutherus deductus est, ubi illum Eccius admonuit, de verbo Dei frustrà ad sui defensionem pertracto: *Clypeum hunc esse omnibus retro hæreticis usurpatum: neminem repertum hactenus, quantumcunque insanâ sentiendi vertigine, ab orthodoxa Ecclesiæ veritate aberrantem, qui suæ opinionis patrocinium ex sacris voluminibus non accersiverit. Nihil esse, quod perindè defensum integrumque cupiat Romana Ecclesia, quàm sacrarum literarum autoritatem. Insisteret porrò illis, neque hæc toties, cum insigni Principum injuria, repeteret, ut verbo Dei inniti liceat, quod nemo sanus recusandum duxerit, omnium etiam vocibus postuletur. Ne sibi cum Husso, tot sapientûm virorum consensione, tanquam Ecclesiæ divinæque Scripturæ subversorem, publico anathemate damnato, quicquam commune velit esse: aut existimare, uni sibi traditum de cœlo rectè ex sacris monumentis intelligendi sensum, tot antè Concilijs Patribusque ignoratum.* Ad quæ Cochlæus non multum diversa interponebat. Altera dies, quæ erat Aprilis XXV eodem, sed tamen irrito conatu, apud hominem sui propositi tenacissimum est traducta. Quæsitus denique (quod ab Aleandro graviter, & tanquam Pontificiæ autoritati derogans acceptum est) *Nunquid Ordinum Cæsarisque arbitrio submissurus hanc controversiam esset?* Respondit: *Non esse confidendum in Principibus, filysque hominum, sacræ Scripturæ hic judicis magistrique officium deferendum esse.* Sed, quòd ab hac judicium expectandum negarent, cujus sententia in controversiam traheretur, rogarunt: *Nunquid, Concilio in hanc litis disceptationem*

1521.

nem arbitriumque vocato, acquieturus esset? Annuit *ijs legibus, ut dicenda per Concilium sententia ex sacris literis desumeretur.* Cumque hanc ejus voluntatem acciperent alij, monerentq; , *rectè sibi fideiq; consulere si sacræ Scripturæ sententiam, plurium potius, quàm unius judicio eruendam censeat: æquum fore igitur ut, decisâ nondum controversiâ, in scholis templisque disputatione abstineat.* Id quidem facturum se primò non abnuit; sed cùm Archiepiscopus vocatum iccircò Lutherum omni humanitate acciperet, remotisque arbitris concessorum memoriam revocaret: lubricam hominis, mox admissi concilij autoritatem moramque detrectantis, fidem est admiratus. Ac denique ipsum Lutherum Principum conciliorumque placita aversantem, jussit rationem litis componendæ suggerere. Qui aptiorem sibi nullam videri illâ Gamalielis sententiâ asseruit: *Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo, dissolvere non poteritis.* Quo dicto non minus Arianismum ac Mahometismum, atque ipsumet idolorum, ab orbe penè condito grassantem cultum, velut Dei, non humanæ malitiæ inventum tuebatur. *Adeò vehementer desipit, qui in S. Scripturarum interpretatione sibi soli contra reliquos Doctores sapit.* Animadversum igitur est, frustrà adversus obfirmatæ sententiæ hominem rationibus pugnari, cùm ad roborandam potiùs, quàm infringendam perfidiam facerent, non secus atque *in corrupto jam stomacho saluberrimi etiam cibi morborum sunt alimentum, tantò nocentius, quantò copiosius obluctante appetitu ingeruntur.*

Lutherus Concilij etiam ex S. literis definituri sententiã subterfugit.

Re igitur jam desperatâ, Lutherus indemnis per Fecialem Cæsaris Sturmium reductus est: quamvis Carolo suasum, detinendum in captivitate hominem, qui indemnitatis promissæ leges, seditiosis per viam concionibus primus violasset. Sed maluit Carolus in Luthero manere impunitam, quàm sibi leges vindicanti perfidiam imputari. Fridericus verò Elector, pro sua in Apostatam benevolentia, cùm proscribendum Cæsaris mandato intelligeret, ut discrimini anteverteret, duobus ex fida Lutheri nobilitate ejus in via abducendi, ad aliquam suarum arcium (nec sibi quidem designandam, ut profiteri ignorantiam posset) negotium commisit. Hi larvâ tecti, Lutherum, fraudis non ignarum, seorsimque evagantem, velut ex insidijs haud procul Isenaco aggrediuntur, perque silvas & avia ad castrum Wartbergum abducunt; ubi lautâ novem mensium captivitate, ipsis etiam arcis custodibus ignotus delituit, ex hoc denique secessu tanquam per cuniculos ad Germaniæ subversionem erupturus. Manavit repentè à socijs itineris fama, Lutherum per vim abductum, violatamque à Cæsare datam homini fidem. Quæ res principio haud leves adversus Carolum concitavit animorum motus: Pontificijs nuntijs in extremo etiam vitæ discrimine positis: donec sagaciores ad dolum, Friderico licet renuente, penetrent, intelligerentque, Lutherum hâc viâ non ereptum Germanis, at servatum. Certè unius Friderici existimatio, & apud Carolum veneratio, ut cujus potissimùm consilio ac concessione delatum ad se imperium possideret, tam Cæsarem, quàm Principes continebat, ne in Lutherum ejusque fautores acerbiùs, quàm per sola decreta adverterent. Nam convictus per idoneos testes de violatis impunitatis promissæ legibus, attineri plectique ex jure poterat; at Friderico, non sibi Lutherus

Lutherus incolumis remittitur.

Elector illum periculo vafrè subducit.

Schleidanus l. 3. ad an. 21. Cochlæus in vita Lutheri. Aleander ep. 31. apud Palav. l. 1. c. 28.

Luthero in Friderici gratiam parcitũ esse.

An. Chr.

rus hanc gratiam libertatis debuit; si tamen gratia existimanda est, ad seditionem scelusque augendum reservari. Recurrebat etiam multorum animis, quantum Fridericus hac in propugnatione, admisso, quod deferebatur, imperio, autoritatis potestatisque habiturus fuisset. Quod recusaturus non fuerat, nisi animo etiamnum fluctuante in Lutheri defensione, hanc delatæ majestatis vim potentiamque minoris æstimasset; ut credibile sit, his in comitijs non minus illum de recusato imperio, quàm Luthero non exaudito indoluisse.

Vehementer suâ pertinatia superbiaque, quâ omnia respuebat conciliandi media, offendit.

Vehementer tamen Imperatoris, omniumque, si paucos dempseris, Principum animi Lutheri pertinaciâ offensi sunt, quod in suæ doctrinæ dijudicatione, neque Romanæ Ecclesiæ, Pontificique, neque Cæsari ordinibusque nec concilijs denique, vel antecedentibus, vel secuturo se vellet submittere, liberèque pronuntiaret, omnes errori obnoxios esse; ut si ipse solus plus in verbi Dei intelligentia atque interpretatione saperet universis. Et quamvis ipse profiteretur, auditurum sese, quidquid ex S. literis pronuntiarent; replicantibus tamen, quis in scripturarum controverso sensu Judex esset futurus; cum ad verbum Dei recurreret, apparebat proprio illum scripturarum intellectui, contra omnes velle insistere. quod erat suum unius judicium, omnium judicio, hæreticorum more, anteferre. Quæ cum intolerabilis universis arrogantia visa fuisset, accerbissimâ illum decreti sententiâ proscripsère, quam mox exhibebo, ubi meam in proposita dissensione mentem, quæ sæpe ab historicis exspectatur, ante exposuero. Suspectam non paucis Romanorum causam faciebat, disputationis publicæ, ad quam ubique Lutherus se offerebat, detrectatio. Hanc neque Caietanus subtilissimus Pontificiorum Theologus, neque Aleander in omni scientia facundiàque spectatus, admittebat: Roma certis de causis vetante, præcipuè ob plerosque, inter Germaniæ Proceres, qui auditores judicesque futuri videbantur, Theologicarum rerum imperitos, & Romanæ sedis autoritati non admodum fauentes. Hos, si res Luthero cecidisset ex voto, plausumque, ut erat disertissimus, tulisset; arbitros probasset; sin, repudiasset vèlut divinorum ignorantes, ut reipsa Trevirensium Archiepiscopo respondit, quæsitus, num Principum arbitrio se vellet submittere? *Nolite*, inquit, *confidere in Principibus ac filijs hominum, in quibus non est salus.* Quod si plausum, causà speciosè defensâ, quantumvis improbâ meruisset, totius Germanicæ nationis inclinatio, ut hæc in libertatis ostensæ patrocinium prona est, metuenda erat. Non possum igitur hanc Potificis, eiusque legatorum cautelam improbare; Præsertim cum iniqua ab eis exigerentur, ut videlicet Lutherum oppositis ex scriptura argumentis erroris convincerent, & sic probandæ veritatis onus simul in se reciperent ut nuper Lipsiensi disputatione inter Eccium Lutherumque susceptâ, patuit. Vnde securiori viæ insistendum congressuris fuisset Quod factum esset, si eâ ratione, ad quam omnis nouæ doctrinæ assertor, contra receptas in Ecclesia fidei assertiones tenetur, cum Luthero decertassent. Hoc est, ut vel formalibus scripturæ verbis, quibus nulla alia scripturæ, in sensu contrario opponi verba possent; vel immediatis invictisque

Romanorum causa ob disputationē cum Luthero declinatum quibusdā, sed immeritò, suspecta erat

ex eadem ſcriptura conſequentijs, quæ definitâ illius ſententiâ niterentur, 1621
articulos ſuos Romanæ doctrinæ adverſantes, tueretur. Ad hæc enim ex ſuiſmet theſibus legibusque adſtringebatur: non minus, quam qui civem Romanum ſua deijcere poſſeſſione cogitat, ad probationem juris à ſe prætenſi tenetur; non obligato ad ullam demonſtrationem ſui juris cive; ut quem ſola poſſeſſio abundè tuetur. Et verò inter tales ſuſceptæ diſputationis terminos Lutherus, nec inter rudes quidem ſcripturarum ſtare poterat, cum, neque ad hunc quidem diem, ullus Proteſtantium, oppoſitus Romanæ fidei in ſubſtantia rerum credendarum, articulus eiſdem ſcripturæ ſacræ vobis produci potuerit; immutatis verò nulla fides haberi tutò poſſit. Hoc igitur pacto ipſius vanitas pauciſſimis exploſa patuiſſet. *Euge Luthere: Tuos in ſcriptura, quæ definiti ſenſus ſit, neque per aliam ſcripturam oppoſitam limitetur, articulos exhibe: aut ſi formalibus id verbis illius nequis, fatere te diſcurſibus conſequentijſque ad hanc rem humanis, hoc eſt, fallaciæ expoſitis indigere.* Et hîc quidem ſiſti poterat, cum non poſſet negare, ſe, ut ceteros mortalium, hominem in argumentando errori obnoxium. Quod ſi tamen Syllogiſmos admittere placuiſſet, formandi illi ex ſolis propoſitionibus verbi Divini erant; ut nulli contradictioni exceptionique paterent. Hoc pacto præciſis alijs omnibus ſolâ tantum ſcriptura, aut apodicticis ſyllogiſmis, ab uno alterove Doctorum (quales Eccii eſſe poterant) Lutherus in tota comitiorum coronâ, non ambiguâ victoriâ concidiſſet, repreſſa jactanti â quâ invincibilis ferebatur. Neque enim poſſibile eſt, quenquam Catholicæ fidei doctrinæ adverſantem, hâc probandi viâ ſubſiſtere. Neque alia cũ hæreticis facilè congrediendum eſt: ut qui plerumque ex plauſibili aliqua, ſed non abſoluta, ſcripturæ S. ſententia ſuæ capiunt defectionis argumentum. Vnde ad cavendos hoſce ſcopulos Luthero neceſſe fuit plures etiam ex S. libris, ac quaſdam Apoſtolicas literas Pauli & Jacobi, proximeque antè exaratos Machabæorum libros rejicere; quòd ſuas ab his theſes manifeſtè nimium cerneret everſas, tum verò implorare Grammaticorum, ut Melanchthonis aliorumque ſubſidium, qui ad Græcorum ac Hebræorum orientales linguas, tanquam fontes veritatis, homines avocarent, ut tanquam ex latebris, impunius ſuas inde interpretationes eruerent; ſed poſtquam animadverſum eſt hinc multiplicari extendique magis S. ſcripturæ ſenſus ut, niſi Eccleſiæ Patrumque judicio nequeant definiri, timidius longè in hac parte verſantur. Quæ hoc loco non ad correctionem factorum ſed quorundam cautelam temerè in quamvis ſe cum hæreticis diſputationem immittentium adducere placuit, alibi à me locupletius demonſtrata. Vt ut cauſa demum cum Luthero peracta ſit: quod comitiorum de ipſo judicium fuerit, ex paucis edicti contra illum promulgati lineis conſtabit. Nam Cæſar, poſtquam ſui muneris eſſe dixiſſet, hæreſin imperio ſeſe infundentem, poſt Leonis X. Pontificis ſpretam à Martino Luthero commonitionem, avertere. *Hunc*, ait *convocatis ſæpius Reuerendiſſimis S. R. E. Cardinalibus, Epiſcopis & alijs Prælatis, nec non Regularium Ordinum Prioribus, ſeu*

Cum hæreticis non niſi certâ cautione, & ratione, diſceptãdum.

Decretũ proſcriptionis in Lutherũ cum adjunctis cauſis, cenſuraque graviſſimâ Germaniæ Principum.

An.Chr.

Ministris Generalibus, accersitisque pluribus scientiâ & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diversarum Christianarum nationum doctoribus & Magistris, prædicto tamen Martino prius vocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, ut perniciosa & fidei vnitatique Ecclesiæ contraria, autoritate sua Apostolica, præfatorum ad hoc accedente Cardinalium consil o & assensu, ac Episcoporum & Prælatorum, Doctorum & Magistrorum matura deliberatione, damnasse Lutherum, perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem furens rueret, quod complures acervatim libros, non modô novarum, sed etiam à sacris concilijs olim condemnatarum, hæresum plenos divulgaret: extremam Vnctionem cum Wicleffo fictionem diceret; liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certâ lege stare, ex Manichæi quidem, & ex Wicleffi penu depromeret & tanquam irrefragabili argumento Doctorum carminibus confirmaret. De purgatorio & animarum, quæ in eo expiantur statu, deque divini sacrificij, & veniarum suffragijs: quæ â nobis fideles defuncti exspectant, cum Waldensibus & Wicleffitis, contra Ecclesiam sentiret. De Ecclesia verò ipsa militante, cum Pelagianis & Hußitis, sacrosanctis concilijs palàm contradiceret, & pro suo arbitratu detraheret: Concilium Constantiense synagogam Satanæ, quique in eo convenerant, & Ioannem Hussum comburi jusserunt, Sigismundum vtique felicis recordationis Imperatorem, & sacri Imperij Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidasque ac Pharisæos vocaret. Et, ne omnia quæ innumerabilia sunt Lutheri errata singulatim percenseantur, tanquam si hic unus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis assumpto Monachi cucullo, quam plurimorum hæreticorum damnatißimas hæreses, jam diu sepultas, in vnam sentinam congesserit, & aliquas etiam nouißimè de suo excogitauerit; sub simulatà prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos tam sæpe, tantòque opere objicit, fidem veram prorsus destruere, sub libertatis, quam promittit specie Diaboli jugum & servitutem inducere, & sub Evangelicæ prædicationis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare, & penitus pessundare.

Hæc Schleidanus ipse agnoscit l. 3. ad an. 21.

„Quocirca demum ex Imperiali & Regia autoritate, necnon consilio & assensu „Electorum, & omnium S. R. I. Principum, Ordinum & Statuum, Martinum „Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienatum, ut obstinatum schismati-„cum, & notorium hæreticum habendum esse decernit, denuntiatisque gra-„vissimis pœnis vetat, ne quis eum recipere, tueri ac fovere dicto factoque, aut „scripto præsumat. Quin imò subditis præcipit, ut contra eũ vbicumque depre-„hensum, post xx & unum dies procedant: eiusdem Martini complices sectato-„resque cum bonis universis occupent, atque in usus suos pleno jure convertant, „scripta typisque vulgata Lutheri dogmata nec admittantur nova, nec vetera „ad usum retineantur, caveanturque famosæ imagines, chartæque ac libelli, & „cuncta ejuscemodi igni mandentur. Denique nihil à quocunque, seu calco-„grapho, seu typographo, quod de fide aut S. literis tractet, citra approbationem „constituti publicè censoris, & facultatis Theologicæ autoritatem, proferatur.

Sed abeunte in Hispaniã Cæsare neglecta decreti executio est.

Hæc sanctè severèque decreta, tranquillitatem Germaniæ, laudemque Carolo haud vulgarem paritura videbantur, nisi minor in exequendo, quam man-

mandando Cæsaris vis potestasque fuisset. Natæ jam per absentiam Regis in Hispania, ob Ministrorum exteræ gentis avaritiam (ut ferebant æmuli) turbæ seditionesque ad extrema bellorum remedia prolapsæ Carolum revocabant, ideòque ex lege veteri Germanorum, imperii administratio penes duos septem virorum Saxonem & Palatinum, utrumque Pontificiæ sedis hostem, & Lutheranæ factionis amicum, relinquenda erat. Quibus licet Cæsar Ferdinandum Fratrem, tamquam suæ potestatis addidisset vicarium, hic tamen per ætatem autoritatemque accipiendo magis, quam dando consilio imperioque idoneus, regendo, quam recturo propior adjungebatur. Ceterum ardens Cæsaris in surgente jam hæreseos flamma reprimenda eminebat studium, adeò ut Joanni Glapioni ex ordine D. Francisci suæ conscientiæ arbitro, Wormatiæ in cumbens paulò ante edictum fenestræ, dextra pectori admotâ dixerit: *Sanctè promitto, illum, qui se, post Edictum vulgatum, Lutheranum prodet, ex hac fenestrâ suspensum iri.* Vnde etiam quà per Germaniam Belgiumque rediturus Carolus, legatis Pontificijs adhærentibus, incedebat, quidquid ubique reperiri poterat scriptorum Lutheri, Carnificis manu, flammis publicis consumptum est. Gandavi, cum inter quinquaginta pænè hominum millia, eiusmodi ad spectaculum rogus compositus esset, Cæsar ipse subridenti ore scenæ applausit, in qua tamen auctorem præ libris videre maluisset, ne funestior ab illo Germaniæ ignis infunderetur, qui suppressus illic magis quam extinctus, facile, admoto rursum, tanquam folle, Luthero, exarsurus credebatur. Jam enim accensa quorundam Principum erga Pontificem & Ecclesiasticos odia, qui horum inter opes quietemque felicitati atque honori invidebant; tum nobilitatis, promiscuæque multitudinis inclinata Luthero voluntas, vim metumque edicti Cæsarei elidebant, cùm plerique tam suavi religionis novæ degustato toxico, velut lethargo quodam consopiti, sui morbi mortisque ignari, obstupescerent. Quibus malis sopiendis vix remedium sese offerebat, cum neque affusum lenitatis oleum, neque admotæ severitatis flammæ sufficerent. Sed nec ætas potestasque imperatoria satis in Carolo maturuerant, qui si eàdem, quâ erat jam tum animi alacritate, virium simul potentiâ, martio juxta graphicoque stylo configere nascentem hæresim potuisset, nec segnius exequi, quàm dare imperia, spes erat orthodoxæ religionis, expurgatis aliquantulum, quæ eam turpius hac ætate defædaverant, morum inquinamentis, ad meliorem formam, pristinamque avitæ fidei dignitatem revocandæ: quæ denique, adultâ jam hæresi suisque radicibus firmiore, cœpit deficere, ac fallere seriùs obnitentes. Hic primus Caroli Imperantis scopulus, ad quem cum ipso allisum imperium hæsit, ac perniciosissimo errori vires cunctando indulsit, & quod celeritate malum sanari poterat, morâ incurabile reddidit. Quanquam in Catholicos Germaniæ Proceres hæc potiùs extremæ labes negligentiæ incumbat, quorum & consilio, & opibus, fervidus animosusque ceterà Princeps, Carolus destitutus; nec ad suadendum satis autoritatis; nec ad audendum facultatis abundè adferebat. His tamen, illâ animi sententiæque destinatione, vicariam Imperii potestatem

1521.

Ferdinandus Frater Cæsaris Vicarius, imbecillis ætate & viribus.

Cæsaris fervor, quàm potentia exequendi maior.

Palavic. in hist. T. d. ex Syllabo Aleand. ad Iuliũ Card.

 tradidit,

An. Chr. tradidit, ut sancitas decreto leges severè vindicarent: neque alijs alijsque ad nova consilia Ordinum conventionibus, ut factum posteà, moras viresque fidei adversarijs suppeditarent. Nullibi enim minùs ad rem tantam consilij, quàm inter tot consilia repertum: quibus, dum cunctanter opportunitas quæreretur, amissa est: dumque explicare sese erroribus Germania nititur, tanquam fera cassibus intercepta, magis sensit implicari, ut suo plenius loco accipies.

LXVII. *Lutherus inita cũ Diabolo disputatione ut ipse fatetur, mira de religione nova meditatur.*

Porrò Lutherus in sua hac solitudine minimè solus, illam quam ipse profitetur in libro *de Missa angulari*, cum Diabolo consuetudinem (quis non obstupescat?) contraxisse videtur. Illa certè, quæ ad ejus sacrificij abrogationem profert argumenta, dictata sibi à Diabolo esse, profiteri non erubuit; ut sectatores ejus intelligerent, quo cum suo Magistro spiritu ducerentur. Et tamen (ô incredibilis mortalium vecordia!) tot post illum myriades hominum, breviculæ libertatis fructu, ad manifestum ibant interitum, virumque Apostolicum, & S. Dei Scripturæ assertorem prædicabant. Qui (licet hæc professa cum Diabolo familiaritas defuisset) tot horrendis blasphemijs in Deum ceu autorem peccati, Sanctosque, & eorum imagines ceu idola Catholicorum, tot virulentis calumnijs convitijsque in summa orbis capita, in Ecclesiæ Doctores, in plures S. Scripturæ libros, tot denique petulantissimæ linguæ scurrilitatibus ac spurcitijs, quibus deindè, ex hac prorumpens latebra, non modò aures hominum; sed libros quoque ad posteritatis complevit memoriam, abundè, quo raperetur spiritu, sanæ mentis hominibus manifestabat. Quæ profectò ejusmodi sunt, ut fidem adhibere nemo posset, nisi vulgatissimis Lutheri ipsiusmet monumentis, typisque edita propalam in luce exposita conspicerentur, ut cùm ipsi demùm Lutherani velut collecta in sensum mente hæc intueantur sui Apostoli probra, iteratis scriptorum correctisque editionibus occultare conentur, atque hoc ipso cauteriatæ aperiant vulnera conscientiæ, quâ suæ denique religionis autorem improbitatis condemnant, seque ipsos observati, nec tamen deserti, erroris reos arguunt.

LXVIII. *Lutheri doctrina in Gallijs à schola Parisiensi, in Anglia à Rege damnatur.*

Sed & nota alia damnationis gravissima Lutheranæ nuper sectæ inflicta erat ab antiquissima celeberrimaque per Europam Parisiensium Theologorum schola, quæ post Coloniensium & Lovaniensium Academicam proscriptionem thesium Lutheri, ijsdem Theta nigrum præfixit, pronuntiavitque: *Doctrinam hominis execrandis scatere erroribus, quibus fidem moresque evertat, S. Scripturam depravet, & Spiritum S. blasphemet. Damnandam hanc, flammisque ultricibus, cum autore suo, nisi resipiscat, abolendam: ut populi seductricem, Doctoribus S. Ecclesiæ, ejusque potestati injuriosam, ac toti reip. Christianæ perniciosam.* Ad quam sententiam erubuêre tantò magis adversarij, quantò ambitiosiùs jactaverant, hujus se patrocinio schola niti. Melanchthon tamen, vernaculâ linguâ, à terra nigra, *schvvartz Erd* dictus, Palatinatûs inferioris incola, Lutheri recèns castris adscriptus, & Latiæ Græcæque linguæ peritiâ ferox, vindicias molitus est, hoc titulo: *Adversus furiosum Parisiensium Theologorum decretum.* Cui Lutherus vernaculo sermone mordacissimum scriptum adjecit, non tam rationibus, quàm probris dicterijsque res

serias

ſerias in ludibrium vertens: ut cum hiſtrione in theatro, non Theologo in cathedra agere viderentur. Non tamen intereà Melanchthon Lutheruſque deſperabat de Galliarum Rege Franciſco, adeoque & populo ſuas in partes adducendo, tum ob æmulationem cum Carolo Imp. ſuſceptam, tum ob illius ad luxum luxuriamque propenſos mores; quæ in multis potentiſſima erant religionis hujus perſuadendæ argumenta: ut & in Rege Anglorum poſteà compertum eſt. Verùm in Franciſco ſuâ expectatione fruſtratos eſſe, conſtabit annis ſequentibus. Rex etiam Anglorum Henricus, jam per Carolum annuo, quod Rex Galliarum antè dederat, ſtipendio conciliatus, ut erat eruditione non omninò vulgari, ſumpto calamo, Lutheri *de Babylonica captivitate librum*, perquam ſcite, aſſertis Eccleſiæ Sacramentis, confutavit, digno Chriſtianas mentes odio adverſus hominem illum inflammans, qui *velut peſtis quædam deterrima, & Antichriſti prodromus, in Chriſti ſeſe Eccleſiam infunderet*, ut iccircò Regi huic, ab ampliſſimo Romanæ ſedis collegio, *Defenſoris fidei* titulus decretus fuerit, quem lubrica deindè Regis vita in *Subverſoris Eccleſiæ* infame nomen, tanquam Circe quædam, tranſmutavit. 1521.





LIBER II.

Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imp.

An. Chr.

I.
Navigationis Indicæ prima ab Hispanis ducta auspicia.
Osorius lib. 11.
Maffeus in hist. Indica.
Viloa lib. 2. vitæ Carol.
Christophorus Columbus Ligur Ferdinandi Regis Catholici impensis ad Floridã Principesque Insulas, auri divites, penetrat.
Hispaniolam Cubamque, & alia loca Colũbus detegit,



Coeperat ingens hoc sæculo per ignotas oceani regiones in Hispana Lusitanaque gente peregrinandi ardor. Alios novarum mercium spes, & cupiditatis alimentum, opes; alios periclitantium in densis fidei tenebris animarum salus laudabiliori desiderio rapuit. Casus, an industria primam mortalibus viam huc fecerit, propemodum anceps. Navis quædam Africani maris sectata commercia, ubi ventorum fluctuumque arbitrio diu rapta esset, ijs se deniq; littoribus sensit adhærescere, quæ ignorata hactenus vectorum scriptorumq; diligentiam subterfugissent. Reditus navarcho periculosior, quòd in extrema rerum indigentia fames plerosq; absumeret. Maderam tamen, Lusitanorum imperio subjectam Insulam, tenuit, & Christophorum istic Columbum hospitem natione Ligurem nactus, exhaustæ laboribus penuriâq; vitæ reliquias expiravit. Relictos ab illo institutæ navigationis commentarios, dum Columbus evolveret, incognitas Occidentem gentes colere, pro indubitato habuit. Ergo Lusitanum Regem, Anglum, Gallum, Hispanumque, deluso sæpiùs, ob viri humilitatem, reique novitatem, conatu, adijt. Dum apud Ferdinandum denique Castellæ Regem septennij pertinaciâ tres naves regijs impensis obtineret. His anno 1492. Franciscanæ familiæ religiosis sibi additis, ex Bætica per Atlanticum oceanum Insulas Canarias petijt, indè Occasum versùs magnis aquarum delatus spatijs, non tantùm adversus infesta æquora; sed etiam desperationem convitiaque sociorum pugnans, Insulas aliquot, quarum unam Floridam, alias Principes nuncupârunt, exoptato cursu tenuit: cùmque hic aliquod dedisset tempus ad barbarorum hominum ingenia humanitate atque arte sibi concilianda, non inutili rerum, quas terra istic gigneret, auri inprimis copiâ, ad suos reversus, Europæ Regum, populariumque suorum animos hoc studio vehementer inflammavit, ut impendiò hanc navigationem curarent. Ipse Columbus repetitis excursionibus dux additus, quodcunque ab oceano Magellanico ad Boiadoris promontorium terræ propemodùm marisque excurrit spatium, inprimis Hispaniolam Cubamque, latiores ceteris Insulas, obeundo lustravit. Columbum, immortalis memoriæ virum, alij post alios subsecuti, tot tamque ingentia terrarum oceano innatantium corpora repererunt; ut non immeritò

Lusitanisque ardorem quoque navigandi injicit.

meritò alterum orbem nobis adversum constituant, Lusitanis potissimùm ad laborem illum gloriamque æmulatione primùm succensis, mox etiam connitendi industriâ ac felicitate superantibus. 1521.

Non enim mediocris Joanni II. Portugalliæ Regi ex navigatione suis auspicijs neglectâ injectus dolor: ut proindè arma etiam cogitârit ad vindicandas regno suo Insulas Principes, maritimæ navigationis jura sibi præripi arbitratus. Sed Alexander Pontifex, cùm ingentium sese terrarum spes, etiam præter has Insulas, aperiret, medius controversiæ arbiter, suam cuique Regum orbis regionem descripsit, & circulo, ultra Hesperidum Insulas, centum quadraginta leucis à Septentrione ad Australe cœlum circumducto, nondum repertum plenè orbem, ex æquo, in orientis occidentisque Solis regiones bifariam partitus est. Illæ Joanni; hæ Ferdinando Pontificio diplomate concessæ sunt: quamvis omnis controversia hac definitione non steterit. Brasilia quidem Americi Vespucij, aut certè Alvari Capralis, ut alij contendunt, diligentiâ, anno MD aperta, Lusitanis ab eodem Pontifice adjudicata est.

II. Lusitani sui sibi oceani loca præripi indignãtes, Alexandro Pontifice arbitro, cum Hispanis eâ lege partiuntur, orientalẽ illi, hi occidentalẽ Indiã obtineant.

De Molucis contentio ad Carolum etiam Regem delata est: de qua Maffeium, disertum rerum Indicarum scriptorem, audire juverit. * ,Ferdinandus ,Magellanes agebat Olisipone, ingenti animo vir, & rei navalis apprimè callens. Is, quòd in India sub Albuquercio duce stipendia multa fecisset, nequaquam pro spe præmiorum (ut in suis plerumque meritis æstimandis nimium sibi favet humana cupiditas) ab Emmanuele tractari se questus, ad opulentiorem ,Caroli Cæsaris Castellæ Regis aulam transijt: ibi, cum Astronomis aliquot communicato consilio, & implacabili odio in Emmanuelem accensus, Cæsarem & ,consiliarios docet, Molucas insulas, quarum celeberrimis toto jam terrarum ,orbe divitijs Lusitani fruantur, intra Castellanæ conquisitionis limites haud ,dubiè contineri. Idque non pluribus tantum argumentis è mathematica supputatione contendit; sed etiam acceptis indè literis à Francisco Serrano, in ,quibus de admirabili quadam ejus regionis, cùm opulentiâ, tum ab aurea Chersoneso longinquitate dissereret. Profectò, si à fortibus & peritis hominibus ,tentetur ex Occidente iter, haud ita magno negotio è Peruana terra in easdem ,insulas penetrari posse. Opem dein addit monitis: ac se, modò in eam expeditionem necessaria præbeantur, in omne discrimen experiundi causâ paratum ,ostendit.

III. De Molucis sub Carolo V. nata cõtentio.

Ex historia Indica I. Petri Maffeij verbis autoris.

Fernandus Magellanes ab Emmanuele Lusitaniæ Rege ad Carolum trãsiens, Moluccas huic deberi contendit.

,Movit Cæsarem & magnitudo promissi, & Fernandi authoritas cum testimonio Serrani conjuncta. Quinque compactis egregiè navibus, eximio & nauta & milite ad Hispalim instructis, (quo in numero exules erant Lusitani complures) unus Magellanes cum summo imperio ac potestate præficitur. Cum ijs ,navibus, Bæti fluvio in altum oceanum evectus, Canarias primùm insulas, tum ,Brasiliam certo jam pridem itinere petijt. Indè, velis in Austrum datis, ,cùm ignota littora diu legisset, ad magni fluminis ostia ventum est, quod sancti ,Juliani vulgus appellat. Is locus quinquaginta gradibus ab æquinoctiali abest ,circulo: neque indè longè infesto rigore & æterno pressa gelu, nivosa montium

IV. Caroli auspicijs expeditionem, sed irritam, & occumbens ipse, molitur.

An. Chr. irritâ & occūbens ipse moritur.

,cacumina in cœlum exsurgunt, terram incolunt homines immani duodecim ,amplius dodrantium staturâ, efferis moribus, crudis in cibum carnibus adsue- ,ti: è quibus duo ad classem attracti, blandimentisque ac muneribus è Magellane ,deliniti; intra paucos dies ex insolita victus consuetudine periêre. Ad eam o- ,ram explorandam missa navis una, cui præerat Joannes Serranus, in scopulos ,illata, salvis tamen hominibus, frangitur. Hisce rebus conterriti classiarij, & ,præter alia maris incommoda, sævissimo frigore afflicti; incertâ vitæ & perve- ,niendi, quò intenderant, spe, reversionem plerique suadere, quidam etiam con- ,vitio efflagitare instituerunt. Hosce Magellanes, obfirmato ad omnem patien- ,tiam animo, benignis adhortationibus aliquamdiu sustentare conatus: comper- ,tâ demùm conjuratione, partim capite, partim exilio punijt. Quâ supplicij ac ,minarum acerbitate, obstupefactis interim ob omni rerum novarum conatu ,reliquorum animis, ultra eum locum tres fermè gradus, hoc est, leucas circiter ,quinquaginta, processit; atque ibi demum sese ostendit Euripus, sinuoso meatu ,oceanum utrumque conjungens. Eâ re tum ex incitatissimo aquarum æstu a- ,nimadversâ, tum ex cetorum ossibus in littus ejectis, quasi peracto jam itinere, ,gratulatio ingens à Magellane facta, & Euripo ipsi ab inventore perpetuum ac ,nobile nomen inditum est. Ibi, commeatibus valdè imminutis, cùm denuò fre- ,mitum ac querimonias quorundam inaudisset, capitis panâ propositâ vetuit ea ,de re sermones inferri. Tum alia navis ad inquirendum exitum præmissa; du- ,cem frustrata, per tenebras retrò, undè venerat, Hispalim revertit, octavo men- ,se, quàm ex eo portu discesserat. Eam navem missis, qui quærerent, incassum ,aliquot dies præstolatus, cum reliquis tribus audacter ille progreditur: perque ,varios mæandros & cæcas ambages, crebro velorum flexu, tandem ex altera ,parte vastissimum rursus in æquor evasit.

Euripus repertus, qui Magellanicũ fretum ab autore est dictũ.

V.

Duabus navibus amissis, cũ tribus reliquis Molucas inquirit.

,Et quoniam sub æquatore ipso positas Molucas esse didicerat, in eam par- ,tem proras dirigere magistros jubet, leucas mille quingentas procul ab omni ,terræ conspectu provecti, in desertas aliquot insulas incidêre: quas ex adverso ,Italiæ oppositas nonnulli arbitrantur. Indè continuato in Septentriones itine- ,re, ad Subum insulam leucarum fermè duodecim ambitu, auri feracem, fre- ,quentem incolis ventum est, ibi Magellanis labores exitu nec opinato conclu- ,si: quippe insulæ Regulus, quod armis eo tempore cum finitimo Rege Mathani ,contenderet, oblatâ recentis auxilij spe, advenas non solùm hospitio libenter ,excepit; sed etiam in eorum gratiam sese cum uxore liberisque, & popularibus ,circiter octingentis Christianum fieri voluit, & honoris causâ in sacro bapti- ,smate Fernandi nomen assumpsit. Hisce necessitudinum vinculis magis ma- ,gisque Lusitanus obstrictus, petenti opem & Christiano & hospiti negare non ,potuit. Descensione cum præstantibus aliquot factâ, Magellanes cùm semel i- ,terumque fudisset hostem; tertio denique ex insidijs ipse circumventus occidi- ,tur. Ceteri, partim circa eum interfecti, partim elapsi, vix ad navim cum tristi ,nuntio pervenêre. Neque hic finis miseriarum fuit. Ex quo facilè existimari ,potest, quàm non temerè, nec sine diligenti præparatione Barbaris Christiana ,sint impertienda mysteria.

A Regulo Subinsulæ fictè converso fallitur, & in prælio occũbit.

,Regu-

,Regulus,qui vix adhibito catechismo, vel anteactæ vitæ sceleribus cum salu- 1511.
,tari detestatione damnatis , amicitiæ & temporis causâ peregrina sacra susce-
pisset; quâ mobilitate Christum induerat, eâdem paulò post & Christum ipsum,
,& unà cùm Christo jus federum,fas,humanitatem,fidem penitùs exuit. Obla-
,tam ab hoste pacem, cum eo, si advenas è medio sustulisset, recentia merita, &
,junctas nuper dextras oblitus, minimè recusavit. Tam scelerati dein facinoris
,perpetrandi cum in aperta vi nulla esset spes, primarios è classe ad viginti, per
,officij ac benevolentiæ speciem ad ferale convivium invitatos, repentè inter i-
,psas dapes & pocula contrucidat; uno Joanne Serano vel ad ludibrium, vel ad
,,lucri speciem reservato : quòd ex redemptione se partem aliquam sulphurei
,pulveris, & aliquot tormenta (cujus machinæ in ijs locis nihil unquam simile
,visum fuisset) capturum esse confideret. Atque una hæc spes salutis afflicto
,quoque Serrano restabat: verùm utrumque postmodum eventus fefellit. Nam-
,que productus in vinculis ad mare Serranus, novâ clade exponendâ primò so-
,cios ad misericordiam lacrymasque commovit: eodemque interprete, per con-
,suetos jam nutus ac symbola, cum incolis agi de pretio cœptum. Paciscceban-
,tur utrinque pecuniæ loco duas minoris formæ bombardas , & pulveris ali-
,quantum. Ea cùm lintribus ad terram nautæ admovissent, subitò pretium au-
,gere Insulani, & recedere à conditionibus, ac redemptorem varijs artibus de-
,tinere : indè altercatione cum jurgijs ortâ, cum major majorque hominum fre-
,quentia ad littus afflueret, veriti fraudem & injurias classiarij, sese ad naves re
,infectâ subducunt: anchorisque sublatis, miserum Serranum frustrà fas religio-
,nis, amicitiæ, patriæ, lamentabili vociferatione obtestantem, in barbara & cru-
,deli terra destituunt.

VI. Regulus perfidè invitatos è navibus viginti ex naviū procerib. in cōvivio sustulit.

Serranus procerum unus inter Barbaros destituitur.

,Ad insulam decem leucas indè provecti, varijs casibus imminutas recensent VII.
,copias, fusis ac laceris magna ex parte armamentis , centum & octoginta non
,amplius homines in universum inventi. Cùm in tres ipsas naves , neque nau-
,tæ, neque funes, neque vela sufficerent : alveo uno, qui præ ceteris quassatus e-
,rat, incenso, turbam cum instrumento omni in alteram transferunt: ita duabus
,tantùm reliquis navibus ex eo loco discedunt : ac proris in occidentem solem
,obversis, diu errabundi, ad Molucas insulas tandem aliquando perveniunt : ibi
,cum Tiderio Regulo haud ægrè societas juncta. Lusitana tum aberat classis :
,eò faciliùs corrasis undique frugibus, Regulo enixè adjuvante, per tot ærumnas
,& pericula petitum ex insula specimen avehunt : ac trito indè itinere utraque
,primùm institit navis : dein Lusitanarum classium injecto metu: altera flucti-
,bus quassata, cum omnibus compagibus aquam acciperet, ad molucas recurrit,
,ibique egressis in terram hominibus, ad scopulos allisa diffringitur: altera, In-
,dis ad dextram relictis, immani ausu protinùs altum præcidere , & rectà bonæ
,spei promontorium petere intendit. Eo superato , cùm ad Hesperidas usque
,insulas processisset, inaudito post omnium seculorum memoriam cursu totum
,orbem emensa , & æmulis classibus illuc usque feliciter evitatis , ab Lusitano
I ,de-

Ad duas se naves imminuti numero reducūt, & his Molucas attingūt.

Vndè Lusitanorū regressi metu, alteraque navium ad scopulos allisâ.

unâ reliquâ, per oppositam reversi viam, totū orbem circum emensi sunt. Navi victoria nomen impositū.

An. Chr.

,demum Limenarcha in eo portu detenta est, & pauci qui superfuerant semia-,nimes,in custodiam traditi : è quibus tamen aliqui navi deinde recuperatâ,in ,Hispaniam, unus etiam, patriâ Vicentinus, obstupescentibus cunctis miraculi ,novitate,in Italiam redijt. Huic navi non sine causâ victoriæ inditum fuerat ,nomen. Nauclerus erat Joannes Sebastianus Canus, ex oppido Guetaria Var-,dulorum ad Pyrenæum, vir animi fortitudine, peritiâ gubernandi, & inauditâ ,felicitate sanè promeritus, ut ipsius ac patriæ nomen nullus unquam casus, nul-,la temporum longinquitas obruat. * Hucusque Maffæi fide verbisque exhibere visum est. Hæc, post tentatum sæpiùs iter,navigatio ad Molucas, tandem hâc viâ quievit;tum quòd fructus labori impensisque minor;tum quòd Rex Lusitaniæ Joannes III. Molucarum commercium 350. millibus aureorum à Carolo redemerit.

**Hucusq; Maffeus.*

Desperata Hispanorum ad Molucas navigatione ha insula Lusitano relicta, & are redēpta à Carolo sunt.

VIII.

Ferdinãdus Cortesius Carolo in Mexicum seu novã Hispaniã viam aperit.

Erat, ultra novi orbis Isthmum,intentatum hactenus Hispanis regnum, quod occupatum novæ Hispaniæ nomen accepit,latissimo illud diffusum ambitu,Mexicum,vastissimam, nec absimilem Venetijs urbem, pro metropoli complectebatur. Huc Ferdinandus Cortesius,Hispanæ nobilittais homo,& arma, & religionem Caroli auspicijs,anno hujus seculi XX primus intulit. Magnis animis ac virtute rem ausus incredibilem;cum non magno suorum numero,qui veteris militiæ usu commeatum humeris atque arma deportarent : inter quos nonnulli equites,& tormenta bellica,obvium Barbarorum exercitum, admiratione & terrore ingenti consternârunt. Non enim equitatum hominum esse genus, at Centaurorum rati, neque aliter ad tormentorum ictus, quàm vibrata in se de cœlo fulmina exhorruêre : ita nonnullis cadentibus, facilè alij in fugam acti sunt,neque urbs,& innumerabili hominum multitudine, & loci situ munitissima occupatos horrore animos ad defensionem diu erigere potuit. Admissus pactione à Motezuma Rege est, qui inibi regni sedem augustissimam fixerat, illo denique per imprudentiam suorum, dum è palatij cancellis ad tumultum componendum prospicit,ictu lapidis obtrito, summa imperij potestas ad Cortesium delata est, qui excitatâ in foro,ad jus publicè administrandum, curiâ, jactisque religionis Christianæ fundamentis, expiatis delubris, ac vero Numini consecratis,infideles Christo populos initiabat.

Cortesius sublato Motezuma Rege, Prorex Mexici.

IX.

Regis Mexicani potentia & palatiũ ingens.

Quanta Regis illius potentia fuerit,Majestasque, vel ex illo intelligas,quòd prætorianæ cohortis milites,ipse sua in aula,suæ ex mensæ reliquijs, millenos aleret;plures etiam nobilium feminarum, suis officijs ac habitationibus distinctas. Par hominum multitudini palatium, viginti portis præbebat aditum, quod ex marmore, jaspide, porphyreticoque lapide à fundamentis per conclavia ambulationesque frequentes explicatum : alibi argento,alibi auro,unionibus gemmisque variatum effulgebat; tum regio eminebat oratorio, ubi in multam sæpè noctem Idololatricis officijs Rex intentus, familiari sui Numinis, coram apparentis, alloquio fruebatur. Cultus regius ex pretio & varietate mirabilis erat;cùm habitum in dies singulos quater mutatum, nunquam eundem resumeret. Subditum Regis sui intueri vultum, aut palatium tectis subijsse pedibu

Cultus regius admirabilis.

Urbis magnitudo.

dibus, piaculum erat. Urbem sexcentis familiarum millibus cultam, suis ipse hortis ad omnem voluptatem instructis, siluisque, omni animantium varietate ac copiâ latè diffusis, amplissimam reddidit. quæ præter interque moenia fleuntibus aquis, Venetorum præcipuæ vrbis quandam referebat imaginem. Motuzemæ imperium ipsius Oceani vtrimque alluentis terminis clauditur, sexcentisque passuum millibus terras complectitur, quæ regiones sub Novæ Hispaniæ nomine, magnis auri argentique proventibus divites, Cortesii operâ Cæsari additæ, tot regnorum facultates viresque magnoperè auxerunt. Ille, præter immortalem industriæ famam, sibi, posterisque, Vallesiorum Marchionibus accensitis, opulentum Principatum comparauit. *Regni amplitudo.*

X. *Regnum Peru. à Pizarris inventũ, mutuisq; ex æmulatione cædibus cruentatum.*

Maior etiam quinto ab hoc anno Francisci Pizarri in Regni Peruani occupatione memoranda felicitas esset; nisi, impari exitu, fortunam omnem consumpsisset. Is reperta ad levam Isthmi Peruviâ anno M D X X V. Cum denique Atabalipam, eius loci Imperatorem, perfidè vinculis ferroque abstulisset, fertilissimum in ceteris auri argentique regnum ad amplissimas Caroli possessiones adjecit. In illa rerum copia suis repertoribus *Optimum felicitatis condimentum pax d.erat, familiari opum vitio, quæ sive acquirantur, sive poßideantur seditosæ res sunt:* Siquidem prædæ magnitudine, quã ex sola domuum familiari supellectili, optimis metallis conflatâ, immensum augere poterant, inflammata ducum cupiditas, Almagrum, expeditionis alterum caput, cum Francisco Pizarro exitialibus odijs commisit. Is morte primus avaritiam luit, Ferdinandi Pizarri fratris ferro interemptus, cuius Manibus parentauit suo mox sanguine Franciscus, ad funus Almagri, filij eius Didaci scelere, additus. Nec hic impunè diu facinus tulit, Gonsalui, alterius è Pizarrorum gente fratris, insidijs circumuentus.

XI. *Casca Sacerdotis in conciliando Cæsari regno industria*

Sed & Gonsaluum, potentiâ atque opibus elatum, turpique defectionis crimine latrocinij malitiam cumulantem, Petrus Gasca denique & Juris peritus, & Sacerdos, à Cæsare ad remedium seditionis destinatus, se ipsim ingenio magis, quam viribus vltus est; Nam regiâ fretus autoritate, munera ac honoris officia sibi Regique accessuris ostentabat, suo in obsequentes arbitratu conferenda. Cuius rei gratiâ diplomata regia, sigillo tantùm Carolique notata manu, ceterùm pura & quibuslibet signanda immunitatibus apta, detulerat, quâ liberalitate atque indulgentiâ & rebellium inflexit pervicaciam, & clientium fidem muneratus est. Dum jam firmior viris atque opibus, morte in rebellionis Principem fautoresque decretâ, quod reliquum erat seditionis facilè oppressit. Ferdinandus vnus è tribus fratribus superstes, causam sublati Almagri, ex Hispaniæ carceribus, dicere multis annis coactus est. Ita ad Pizarros maior ex occupatis amplissimis Regni Peruani Provincis ignominia peruenit, quam gloria; quod minori prudentià felicitateque partas opes tueri, quam obtinere didicissent. Hæc regna alij sub Americæ, alij Indiæ Occidentalis nomine censent. Quibus titulis Canada etiam, nouaque Francia, Regis Francisci impendijs adita; Virginia Elisabethæ Britannicæ auspicijs detecta; Brasiliaque Lusitanorum classibus frequentata continentur. Quanquam

An. Chr. quam hæ tenuioris fortunæ provinciæ, ad Hispanicæ possessionis opulentiam minimè accedant.

Alia in occidentali India regna ab aliis Europæis Regibus adita

Eæ gentes moribus, à nostro orbe prorsus diversis, inter se parum differentibus viuunt. Plerique sub temperati frigoris elemento, nullis aduersus cæli injurias, vestibus teguntur, Verecundia nonnullos docuit partem corporis oculis aspectantium subducere. Deformis membrorum habitus est, simæ plerisque nares, æneæque speciei cutis, candorem nullibi, præterquam in dentibus amant, hunc mansis frequenter herbis in ore; ut per membra cetera atroré, pomorum succis alunt. Sunt qui faciem, atque imprimis labra, insertis velut opere vermiculato lapillis, proscindant; ornamenti sanè genere, quo ad turpitudinem ègregiè proficiunt. Mirum, quanta nonullis hic gentibus, in ipsa religionis ac vestium orbitate, pudoris cura, cum alibi puellis consutus à teneris uterus, marito post nuptias resecandus: alibi juuencularum partus in probro numeretur; ut proinde lapsæ abortu herbis procurato, opinionem castitatis tueantur, innocentiâ, quæ ipso sit scelere deterior. Libidinis tamen usus ubi promiscuus alibi est, ne ad incertos gentis suæ hæreditas proueniat, sororum filij in morientium possessiones adscribuntur. Puerperii labor multis parum difficilis, cujus ægritudinem, inter aquas propediem abluunt, quam vir, apud Brasilas vicinasque gentes ridiculâ morbi simulati curatione, absoluit; dum ipse vxoris in lecto vicem functus, à propinquis ad solatium affluentibus inuisitur, rarisque atque ad lautitiem exquisitis jusculis bellariisque tanquam puerpera, fouetur.

XII. *Varii variorum Indorum mores.*

XIII Mexicũ ceteris nationibus cultius inculti Brasili.

Mexicanis egregia est mercimoniorum cura, & apparatus domi multus: utpote in medio vastissimi lacus, sat procul à terra, positis. Per vicinas tamen regiones, ac per Hispaniolam, Cubam, Brasiliamque, vulgus, curis absolutum, in diem viuit, mitissimo terræ ingenio fretum. Non illic literæ, non mercatura, non leges, non judicia exercentur. Sibi quisque sufficit, ac cupiditatem rerum necessitate definitam gerit. Mexicum legibus regitur, ad duodecimuirûm, publicè controuersiis præsidentium, arbitrium. Tenui passim apparatu vivitur, alibi solis herbis, alibi& carnibus, etiam humanis. In hunc usum, nonnulli, eneruatâ venere, saginantur: alii captivitatem hac lege redimunt, ut opiparè ad epulas curentur. Paucis illa seruitus, aut miseria creditur, vitam ad hanc lanienam impendere. Mortem suplicii præmiique expertem Brasili autumamt, viuere tamen reductos ad corpora Manes, qui integos præter vmbilicum artus, possint resumere, aliis passim est persuasum. Quin & moribundis alii in sepulcro viaticum; alii, ex retinaculis inter arbores, commeatum suspendunt, agitatisque circum ægrotum, juxtaque accumbentem, choreis, ad mortem, aut sanitatem tripudiando ducunt: Mortuum Regem una alterave Reginarum, illo, quem amasset, habitu, clientesque nonnulli, eodem tumulo funerandi, comitantur: ne parum observasse viuentem crederentur, cum quo mortuo esse nollent. Nihil apud hos populos, neque in virtute, neque in vitio moderatum erat; ut qui nec benè quidem absque crimine scirent

Anthropophagia in usu.

Sepelien di moriuntur soleis.

agere,

agere. Reverentia Numinum apud Brasilos nulla, apud Mexicanos nimia. Ariolandi illi augurandique artibus, ad insaniam, dediti. Hi Deorum simulacra crudeli superstitione excolebant. Duo millia Deorum una Mexici civitas venerabatur humano sanguine. Viginti hominum atque imprimis puerorum millia quot annis in victimas absumpsisse compertum est. Pavimenta templorum, parietes, ipsa etiam simulacra sanguine oblita, horrorem oculis, fœtoremque naribus indignum suggerebant. Unius templi cura erat, vastitasque tanta, ut quinque illud incolerent personarum millia, quibus aliquod in res sacras demandatum officium. Pietas illa parentum erat, filiorum sanguine os vultumque Numinum oblinere; hæc conciliandi prima devotio. Suus etiam Penatibus honos, quos Hispaniolæ cives Zemes vocant: hos lanâ contextos, bellum adituri capitibus alligant: quo nullum præsentius adversus discrimina remedium habent. Ab his sua etiam oracula promunt, monitosque se, non multò ante Christianorum accessum, memorant: venturam brevi gentem, quæ vestimentis accincta niveoque corporis habitu, aliam his oris religionem, Dijs spretis abolitisque illatura sit. Cujus facti laudes, cùm ad Carolum Imperatorem etiam perveniant, hæc obiter tangenda duximus.

1521. Idololatria apud Brasilos nulla, apud Mexicanos nimia.

Humana victima.

Penates Hispaniolæ fatidici.

XIV. *Carolus tot regnis sibi partis fortunatus simul & infelix quòd cum potentia curæ augerentur.* Jovius in Hadriano. Ant. de vera in Carol. Heuterus & Haræus.

Tot regnorum administratio, ut Cæsaris dignitatem, sic curam magnoperè augebat. Vix à prima regni, in Hispania aditi, sede digressus, in Germaniam abierat; cùm omnia seditionibus illic quassari cœperunt: ut regnum propemodum amitteret Carolus, dum regnum quæreret. Reliquerat discedens cum summa imperij potestate Hadrianum Cardinalem, virum in quo nihil reprehendere Hispani possent, quam quòd illum mater Hispanum non genuisset. Sed adultam jam magnis viribus conjurationem, varijsque Croyi exactionibus adversus omne Belgicum nomen odiosissimè inflammatam, neque humanitate suâ, neque vi extinguere potuit. Ingenio tamen ac potestate utendum ratus, cùm Toletum ac Salmantica Ronebilium Regis Ducem Segobiensi obsidione depulissent: Antonium Fonsecam in auxilium adhibet, qui exiguo militum comitatu Medinam Campi, nobile ejus loci emporium, profectus, tormenta ex Regis armamentario in usum militiæ postulabat; sed ubi bis incolæ federibus rebellium illigati, pro retinendis sibi armis, armati stabant.

XV. *Medina Campi à regijs inflamata conjurationem auxit, ut ex 18. provincijs quatuor tantum in fide manserent, rebellarent ceteræ.*

Id verò ferendum non existimans Fonseca vir nobilis, & ingenio ferox, fœdo consilio ignem tectis subjicit; ut ad privata quemque pericula ab armis avocaret. Sed tanta obstinatos ad tormentorum defensionem animos pertinacia obfirmaverat: ut miserabile tectorum patriæque bustum, quam hostis victoriam spectare mallent. Vicerunt igitur, sed ita ut deteriùs vinci non potuissent; tam ingenti maximarum opum dispendio flamma urbem est pervagata. Hanc injuriam tanta vicinarum civitatum exacerbatio secuta est; ut tredecim illarum, vindictæ cupiditate rebellibus accederent; ceteris Hispaniæ regionibus pari facilitate sensim affluentibus, ne vel ultioni capessendæ, vel occupandæ libertati, aut hosti, aut sibi deessent. Ita natum rebellionis incendium, unaque in urbe ve-

An Chr.

lut domo concitatum, totam latè viciniam in exitium traxit. Quatuor, ex octodecim provincijs, fide, quam Carolo dederant, nùnquam abierunt: quanquam & conjuratorum Principes, pro Rege, contraimpotentes avarosque externæ gentis præfectos, arma sese induere jactitarent, judicibusque, qui causas popularium audirent, constitutis, æquitatis colore seditionem ornarent. Vallisoletieo tempore Cardinalis agebat copijs auxiliarijs parandis intentus; sed antequam fidissimi quique procerum opem expedirent, federatorum miles, Gironio præcipuæ nobilitatis Duce, urbem insperatò premebat: ut, inter occupata fugientium agmina, ipsum etiam Hadrianum repertum hostis sisteret, quem summâ verborum humanitate redire ad urbem Gironius & Padillia coëgerunt, professi, nihil se ipsius regioque nomini omnibus caro, adversum moliri; sed iniquam rapacissimorum præsidum tyrannidem à suis populique cervicibus amovere. Cardinalis nihil obluctari ausus, armatæ benevolentiæ paruit, dum insequenti nocte, perfosso urbis muro, captivitatem honestam honestiore fugâ redemit: quod licet improvisum molestumque Vallisoletanis; tamen familia apparatusque omnis postero die venerationis causa submissus est. Hinc Tordesillam profecti, admissique cum exercitu in urbem rebelles, Regis matrem Joannam, jam, à viri fato, mentis potentiâ dejectam, frustrà in eam pertrahere sententiam conati sunt; ut proditorijs tabulis subscriberet: cùm illa matrem se esse Caroli identidem ipsis exprobraret. Ad hujus oppidi custodiam perduellis Zamoræ Antistes, cum trecentis Sacerdotibus, rebellionis armorumque socijs, relictus est. Carolus ubi hæc apud Belgas etiamnum in procinctu coronationis subsistens accepisset, opportuno consilio duos Hispanorum summæ virtutis autoritatisque proceres, Henricum Medinæ Rivisicci Ducem maris præfectum, & Ignatium Velascum equitum magistrum, bello administrando præfecit. Hi Cardinali ad consilia, alijsque regni proceribus ad auxilia prudenter adhibitis: non multo tempore octodecim armatorum junxerunt millia, quæ rebellium triginta millibus opponerent. Primus illorum conatus Tordesillæ admotus: ubi cùm vim, quam pacem, etiam contumelijs laceratam, mallent, pars militum per apertas murorum ruinas immissa, ferro obstinatos fregit, Sacerdotum propè omnium internecione. Plenis subindè castris ad Medinam Campi uterque concurrit exercitus. Conjuratorum quidem Padilliâ & Bravio Ducibus (jam enim Gironius & Lassus ad regias sese partes receperant) sed majori impetu, quàm consilio pugnantibus. Siquidem equitatu solo in regios invecti, numero deniquevirtuteque impares, frustrà absentem longiùs peditem desiderârunt. Ita dissipati ordines Braviusque ac Padillia in pugnantium corona occupati, suo denique sanguine inter manus Carnificis quadripartiti seditionis temeritatem expiârunt. Ædes, quas Toleti habitabant splendidissimas, è fundamentis dirutæ, sparsâ sale areâ, columnâque marmoreâ ad æternam ignominiosæ defectionis labem memoriamque erectâ. Urbium pars maxima rebellium armis pecunijsque oblatis in gratiam fidemque sacramento firmatam properè redijt. Ita exclusi seditionis Principes, cùm ad Regem Galliarum irrito plerique effugio con-

Vallisoleti Hadrianus Card. à rebellibus interceptus dimissusque à Gironio Duce.

Ioanna Caroli mater frustra à rebellibus ad subscribendum conjuratorũ tabulis invitatur.

Carolus rebellioni sedandæ Duces mittit.

contenderent,alij intercepti lictoribus traditi;alij, ut tormenta mortemque infamem declinarent, spontaneo invisam animam præcipitio elisêre. Ma..... 1521.
cæca indomitæ ferociæ mulier, nec viri Padilliæ casu deterrita, cum Valencianis etiamnum armata obluctabatur, dum & illa præsidio fortunâque deficiente, lictoris dextrâ Marti immolaretur. Valenciani, ex Maurorum reliquiis truces ac barbari, post fœda sacrilegæ libidinis, & exercitæ in omnem sexum immanitatis exempla, ultimò ad pacem obsequiumque sese recepêre, postquam invisum Proregis Jacobi Mendosæ jugum excussissent.

XVI. *Franciscus Rex Gall. hac occasione fretus, Navarræ regnū invadit, & Pampelonam regni caput occupat.*

Rex Franciscus hoc tumultu Regisque absentiâ invitatus, Gallorum exercitum Andreâ Foxio Asparotti Domino Tornonioque præfectis, ad Navarram occupandam destinavit: hanc clientelæ nomine, quo Joannes Rex Gallis obnoxius fuerat, suis armis in pristinam libertatem Henrico Joannis filio asserturus. Neque voto abludere primis successibus fortuna visa est: quandoquidem Foxius ingentibus atque improvisis infusus copijs, Prorege Nairæo nequicquam, inturbata seditionibus Hispania, auxilia quærente, terrorem latè divisit; cùm post insperatam quarundam urbium occupationem, immineret ceteris, frequentique nobilitatis, popularis sibi Principis favore, in Gallorum partes abstracta, vinci non metueret. Pampelona regni caput (olim Pompeiopolis) exemplo reliquarum urbium, præproperam quoque ante discrimen deditionem moliebatur; quòd Gallum amicum, quàm hostem mallet accipere. Sed pervicit Ignatius Loiolææ familiæ nobilis bellator, ut ex urbe secum aliquot ad arcis defensionem traduceret. Quam ubi in propugnatione glande tormentariâ in tibiam excussâ, suo cruore semianimis imbuisset, reliquis mens audaciaque concidit, ut quàm mox Gallos pactione admitterent. Ignatius ex clade sensim animum recolligens, ubi in manus Gallorum devenisset, illam in hoste (seu illius, seu virtute suâ incitato) humanitatem expertus est, quâ ab amicis majorem expectare non debuisset; cùm periculosè laboranti, & de hospitio, & de medicis sollicitè providerint. Quæ deindè beneficij memoria apud Ignatium nunquam consenuit; quin inter Gallos sacra deindè militiæ Societatisque JESU prima potissimùm rudimenta auctoramentaque concepit, ac salutem corporis in se impensè curatam, multarum animarum salute suis auspicijs procuratâ, rependit. Majori tamen beneficio Gallis obstrictus propter acceptam in tibia cladem, quàm curationem; quòd ab illa infelicitate, summæ deindè in vita sanctitatis felicitatisque exordia duxerit. Porrò Foxius incitato victoriarum cursu ad ultimos Navarræ terminos promotis copijs, Ibero flumini, Hispaniæ metuendus, imminebat; cùm annus seculi hujus primus & vigesimus in Majo efflorescere ret.

Ignatius Loiola arcis defensor graviter læsus felici eventu curatus est.

XVII. *Hispani sub Carolo, Duces victores rebellium*

Sed Hispani unâ subactis victoriâ rebellium copijs, trans Iberum flumen obviam se Gallis ferunt. Primo hi impetu in aliquot Hispanorum cohortes invecti, felici strategemate prælium auspicantur, hoste aut ferro, aut fugâ dejecto: sed ubi eosdem circumducta Hispanici equitatûs acies, immixto peditatu roborata,

Gallos profligatos, Navarrâ rursum pellunt.

An. Chr. rata, cinxisset, inclinari vires fortunaque, ac mox etiam confusis ordinibus destituere Gallos cœpit. Uterque Ducum captus, & unius victoriæ beneficio parta brevi hostibus Navarra, brevi in manus Hispanorum recidit, non ancipiti documento, inter victorem victumque nihil interesse, ubi, quæ parta sunt, tueri nescierit.

XVIII. *Marcanus Leodiensium Antistes defectionem à Carolo variis urbibus amissis luit.*

Eodem anno apud Belgarum populos Robertus Marcanus Leodiensium Antistes, rescissis ex fœdere pactionibus, Francisci partibus contra Cæsarem sese fautorem addidit: quæsitam belli occasionem Aimerius Princeps dedit sustinuitque; hic Cæsaris opibus, ille Gallicis innixus. Imperatorio per Belgium exercitui cum summa potestate, Henricus Nassavij Comes; regio Carolus Borboniorum Dux præficitur. Ille strenui Ducis ac militis officium occupans, adversus Marcanos profectus, Lognium, Jamertium, Fleuringam, Sancerum, Sedanum, Mosoncurtium, Bullonium, uno victoriarum impetu expugnat. Præfecti locorum, ac præsidarij omnes, quos fuga non servavit, laqueo hostilitatem luerunt. Moram victori, impetratis à Cæsare inducijs, Marcanus injecit: qui tamen hoc ocium, cùm ad oppidum Francorum Maseriam, oppugnandum vertisset, virtute defensorum, morboque per exercitum vulgato, depulsus, ad sua redijt, postquam felicem victoriarum cursum ad hunc scopulum infregisset. Rex intereà Franciscus Mussonio, Borbonius Hesdino occupato, in Hannones & Attrebates populationibus grassati sunt. Nec segnis rerum suarum Marcanus, Geldrorum Principe ad suas vires adjuncto, in Brabantinos Namurceosque agros vastitatem intulit. Remedium malorum interceptum, post longam obsidionem, à Flandris Tornacum fuit.

XIX. *Italia novis sub Carolo bellis petita, in suas regiones, possessoresq́ue distribuitur.*

Italia hoc tempore bellis etiam hostilibus utrorumque Regum quassata est: Leone Pontifice, datâ offensione, à Francisci ad Cæsaris fidem transeunte: quæ res florentibus illic Gallorum rebus egregiam cladem dedit. Quoniam verò crebris Italia bellorum tempestatibus sub Imperatore Carolo jactata fuit, operæ pretium erit diversa illius dominia, in quæ post Imperialem sedem ab ea in Germaniam translatam distracta fuit, obiter perlustrare. A flumine Arsiæ, Marchionatus occurrit Histriæ ac Forojulij ducatus, quæ Austriacis Venetisque divisim parent. Sequitur Lombardia haud exigua Italiæ portio, in qua Marchia Tarvisiana (Venetias, Patavium Veronamque includens) Venetos dominos agnoscit. Ducatus Mantuanus, cui Montisferratum cis Padum additur, Gonzagarum familiæ addictus. Ducatus Mediolanensis, Insubriæ etiam nomine, Cremonam, Papiam, Comum, Alexandriam, aliasque urbes complexus, quem Sphortiarum gens inconstanti fortunâ moderata est, dum Gallis, ac post illos Hispanis est relictus. Pars aliqua comitatûs Tirolensis Austriæ Ducibus adscripta. Rhœti, quibus Vallistelina Clavennaque subsunt, Helvetorum stipendiarij. Pedemontium Sabaudi Ducis Regio, Turino, Vercellis, ac Niceâ urbibus clarum. Nec procul hinc Brixia Bergomumque ac Crema Venetis serviunt. Denique cis Padum Lombardia tres Ducatus amplectitur: Parmensem, cui Placen-

Austria & Forojuliu. Lombardia. Mantua & Montiferratũ. Insubria seu Mediolanũ.

Tirolis. Pedemontium.

centia jungitur, Farnesiorum familiæ deditum; Ferrariensem & Mutinensem, (cui Regium Lepidi additur:) Atestinorum quondam Ducum possessionem. Hæc olim loca Galliæ cisalpinæ, sive togatæ, propria, denique à Longobardis occupata, excusso peregrinæ gentis jugo, nomina retinuêre. Vicinus his ager Genuensis, in quo præter Savonam, Genua inter omnes Italiæ urbes superbâ ædificiorum magnificentiâ eminet; cùm in vico novo domus quælibet regio hospitio par esse videatur: suburbanas verò basilicas habeat omni deliciarum genere excultas. Hæc Gallicæ quondam protectioni, pòst Cæsareæ, denique Hispanicæ commissa est. Hinc ad Thusciam deflectitur, in qua Florentia facilè princeps, Senæ ac Pisæ, liberæ quondam imperij urbes, nunc familiæ Mediceæ magnisque Etruriæ Ducibus subjecta. Luca sui etiamnum juris libertatem propugnavit. Nonnulla etiam Thusciæ sive Etruriæ pars, Hispanici demùm juris esse cœpit: pars alia nobilior D. Petri, ut vocant, patrimonium continet, ab illustri femina Mechtilde Ecclesiæ olim dedicatum: cui Ursinorum familiæ Ducatus, & Braxianum annectitur. Romaniola deindè Ecclesiasticæ jurisdictionis provincia, præter Bononiam longè celeberrimam, Ravennam, Ariminum, aliasque urbes, Ferrariam, à suis abstractam Ducibus, etiam Pontificibus subdidit. His marchia Anconitana, præter Anconam, Firmum complexa, sub ejusdem sedis dominio accedit; sed annexo Urbinatûm Ducatu, in quo præter Urbinum, Senogallia, Forumque Sempronij celebre est. Romanus denique ager, qui præter urbem, orbis principem, Romam, Tibur, in quo hortus Atestini Cardinalis amœnissimus, Præn[illegible]ste ac Tarracinam possidet: adjuncto haud procul Ducatu Spoletano aliquot urbibus cult[illegible] Reliquum Italiæ, quod à Fundis oppido, & Liri fontibus, Truento amne [illegible] montibus marique supero ac infero intercipitur, uno Neapolitani re[illegible]ine, ex urbe præcipua ducto gaudet. Magnis illud cultissimæ terræ incolis urbibusque frequens, olim à Tancredo Principe quodam Normanno, domesticâ liberorum copiâ, & rerum egestate compulso, occupatum est, cum haud procul semota insula, Siciliæ appellatione: pòst Rogerium, deindè Tancredi filium, Reges diversos, hodieque usurpatos utraque provincia titulos accepit. His Suevi, Germanorum populi, successerunt: quibus deindè victores Galli dominati sunt, qui Siculis, ut ferunt, vesperis per insulam trucidati, & ancipiti diu fortunâ pro Neapoli dimicantes, utroque denique loco Hispanorum potentiâ exclusi sunt.

1521. Gallia Cisalpina, seu Longobardia. Genua. Thuscia sive Etruria. Romaniola. Marchia Anconitana. Urbinates. Ager Romanus. Regnum Neapolitanum.

XX.

Adjecerat rursum Franciscus, obtentâ jam Insubriâ, ut supra meminimus, Neapolitano regno animum; quam in rem Pontificis favorem opemque, eâ sibi lege devinxerat; ut, postquam junctis viribus Hispanos de regni possessione deturbassent, pars illius minor Pontifici, potior Regis filio, ubi adolevisset, de manu ejusdem concederetur. Sed suspectæ Francisco rationes federis cunctantem in varia consilia distraxêre; quòd Pontificem semel obtentis minimè cessurum existimaret. Hinc occultè hostilia machinari: Alphonsum Eistensem, ne Pontifex ex animi destinatione Ferrariâ illum moveret, pro viribus tueri: Regium Lepi-

Franciscus Gall. Rex Insubriæ possessor ad regnu Neapolitanũ aspirat, cui Leo Pontifex, ad Caroli partes transiens, obsistit.

An. Chr. Lepidi admoto milite per speciem retrahendorum perfugarum tentare : Romanæ sedis per Insubriam sacerdotia pro Gallorum arbitrio ac cupiditate collocare: spretamque Pontificis contra obnitentis autoritatem negligere. Urebat ad hæc Leonem Parmæ Placentiæque amissæ memoria; tam abs se turpi federis pactione in Gallorum manibus ante quinquennium destitutæ, quàm insigni Julij antecessoris gloriâ Apostolicæ sedi conjunctæ. Accedebant querelæ Insubrum contra Lautreci præfecti Gallici exercitam impotenter in subditos tyrannidem: ut neque à mulierum pudicitia, neque civium opibus violentas manus contineret. Accessit & Caroli recens in Pontificia autoritate apud Germanos defendenda studium, Wormatiensi edicto declaratum : ut iccircò jurisjurandi religione, absolutum Neapolitani simul regni, & imperij legitimum possessorem declarârit. Quocirca Cæsaris rebus Italicisque juxta consulturus Leo, fedus cum illo ad communem etiam Medeceæ familiæ & Florentinorum defensionem ingressus est, eâ conditione; ut, cùm, sociatis ad Insubriæ possessionem adeundam viribus, illa potestati Gallorum excidisset, ad Romanam sedem Parma Placentiaque redirent: Mediolani principatus Francisco Sphortiæ, ob diploma patri à Cæsare defuncto concessum, & fratris Maximiliani cessionem traderetur.

XXI. *Mediolanensis principatus à Sphortijs possessus, quomodo ad Gallos pervenerit, & quid ex eo Pontifex, quid Cæsar sibi vendicaverit.*

Emerserat ad hujus imperij possessionem Sphortianorum primus Franciscus, humili parente Ludovico Sphortiâ natus, quem tamen Ludovicum (Galliæ quondam togatæ rusticum) virtus bellica Italicis gentibus observandum fecerat. Parenti Francisco Galeacius successit; sed, brevi imperij fortunâ potitus, fratri Ludovico moriens pro Joanne Galeacio filio principatûs administrationem reliquit: qui profundæ tectæque ambitionis homo, Carolum VIII Galliarum Regem, in Italiam contra Alphonsum Neapolitanum Regem Galeacij generum accersivit, ut sibi regimen stabiliret: quod, nepote, ut putant, per venenum sublato, impetravit; sed insigni totius Italiæ, ac præsertim Neapolitani regni pernicie: ut indignatione invidiâque adversus Carolum Gallosque concitati Itali, ipseque jam voti compos Ludovicus Sphortia, redituros propemodum oppresserit : quam deinde injuriam successor Caroli Ludovicus ferro ulcisci, simulque jus avitum decrevit repetere, quod ex proavi sui conjuge Valentina in hunc sibi Ducatum vendicabat. Nam priusquam illum Sphortiæ occupassent, Joannes Galeacius ex Mediolanensium Vicecomite Dux per Wenceslaum Cæsarem eâ lege creatus est ; ut sub fide ac clientela Romani imperij persisteret, filios post se geminos Joannem & Philippum Mariam, filiamque Valentinam reliquit superstitem. Joannem sua crudelitas improviso familiarium ferro objecit : Philippo sola proles spuria Blanca superfuit, quam Francisco Sphortiæ, postquam adscriptitio jure fecisset legitimam, tradidit cum dote Ducatus testamento pacti. Sed Valentina soror Ludovico Aureliorum Duci (is erat Caroli quinti Galliarum Regis filius) nupta, sibi suisque liberis tanquam legitimi tori successoribus, hereditatem arrogabat, tabulis dotalibus in eam rem prolatis, quibus soror germanis sine prole morituris sufficiebatur : quanquam hæ tabulæ

Pontificiâ conceſſione ſtabilitæ, Cæſareâ tamen auctoritate carerent. Quæ res cruentarum litium bellorumqne materies fuit, Ludouicus certè Francorum Rex Valentinæ, ex Carolo filio, nepos, grauiſſimis cum Maximiliano Cæſare bellis de Inſubriæ poſſeſſione contendit, eo quidem euentu, ut Ludouicum Sphortiam rerum ſuarum deſperantem, fœdiſſimoque Principis Chriſtiani exemplo Turcarum auxilia implorantem, bello victum captumque Gallico carceri, juſtiſſimâ poenâ, emanciparit. At Franci tanquam Inſubriam hoſpitio magis, quàm domo occupaſſent, Imperatoriis breui armis Trans Alpes rejecti, Maximiliano Ludouici Sphortiæ filio paternam ſedem vacuam reliquêre. Obtinuit tamen denique Ludouicus Cameracenſi Federe contra Venetos Cæſari ac Pontifici Julio ſociatus; ut Inſubriæ Dux, Imperatoriâ conſenſione, eſſe poſſet. Sed ubi, deficienti à Cæſare Julio Ludouicus integrâ amicitiâ adhæreſceret, Imperatorem ſibi breui infeſtum conceſſaque detrectantem offendit. Neque armis quicquam ad Inſubriæ poſſeſſionem poſtliminiò adeundam promouit: donec Franciſcus regni Francici bellorumque heres inſigni ad Marinianum cis Alpes prælio victor, Maximilianum Sphortiam, degeneris ignauique animi principem, in poteſtate ſimul cum Mediolanenſi Imperio habuit. Fratrem tamen Franciſcum poſt hunc in Italia reliquit, indole ſuâ ac virtute patriis terris digniorem; ut is opportunè abſtractus videretur, ne ſe meliorem ducatu excluderet. 1521

XXII

Hæc cauſſa Leoni fuit, hujus in federe legis conſtituendæ. Decretum quoque bellum eſt, aduerſus Genuenſium Ducem Octauianum Fregoſium; quòd is, ingrato pernicioſòque facinore clientis (quo nomine jam dudum Genua Cæſari Sphortianiſque addicta, contra Gallos, fuerat) hoſtem Franciſcum occultis innexum federibus in Italiam, pertraxiſſet, & patriæ libertatem externis gentibus ingratè prodidiſſet. His alia ad Romanæ ſedis dignitatem potentiamque amplificandam adjecta ſunt. Nec mora, opes uterque ſuas vireſque contulêre. Pontificiis Fridericus Gonzaga Mantuæ Princeps, Cæſaris pediti Ferdinandus Daualus, equiti Antonius Leua præfectus eſt. His ſummo cum imperio Proſpero Columna exploratæ virtutis prudentiæque Dux præerat. Galli cum Venetorum Heluetiorumque, tum priuatâ potentiâ nitebantur, quibus Lautrecus Inſubriæ prorex imperabat. Heluetii tamen non pauci, qui virtutem atque arma pretio elocant, Romanorum partes, quamuis timidè admodum, ſequebantur, operam ſuam aduersus vrbes, non Gallos pacti: ne veterem totq; coalitâ ſtipendiis amicitiam offenderent. Prima Romani exercitus vis Parmæ intentata, felicemque euentum ſortita Placentiam Ticinum & Cremonam traxit. Quod imprudenti pertinacique, contra Ducum ſuorum opinionem, innixus conſilio Lautrecus pugnam detrectaſſet, aduerſus hoſtem, iniquitate loci, & ſparsâ etiamnum potentiâ inferiorem. Quem errorem multarum urbium defectione, & ingenti demum ſuorum clade luere coactus.

Pontificius & Cæſareus exercitus ſub Proſpero Columna, aduerſus Lautrecũ Gallum Inſubriæ proregem felicibus auſpiciis ducitur.

Nam reductis ad Mediolanum caſtris, ubi nec ſatis opportunâ locorum munitione ſubſediſſet, ab hoſtili exercitu circumſeſſus, tantâ denique Hiſpano-

rum

An. Chr. rum virtute oppugnatus est; ut Veneti primum suo depulsi præsidio cesserint, Duce suo Trivulcio in aduersariorum manibus destituto, reliqua porro castra terrore magis tumultuque, quam ferro hostium disiecta fuerint. Lautrecus cum equitatu ad vrbem receptus, neque ingenio Mediolanensium satisfisus Comum versùs fugam properauit. Vrbs sub noctem voluntate ciuium, qui Gibellinæ factionis erant, Cæsarianis patuit; sed incendio Gallorum æstuans, ne deessent, qui in accepta exercitus sui clade lacrimarentur. Quod Mediolani exemplum ubi Comum, Lauda Pompeia, atque Alexandria sequerentur, breui Insubria Gallis purgata est. Memorabilis illa florenissimi exercitus, ex Venetis, Heluetis, Gallisque conflati strages fuit; quam præcipui ordinum ductores turpi effugio, duo tamen ac viginti suo etiam sanguine nobilitarunt. Nox propinqua ardorem pugnantium intercepit, multisque ad salutem fugitivis profuit. Ea verò celeritate ac virtute irrumpentium Romanorum confecta res est, ut ad postremam exercitus partem simul propemodum cum pugna nuntius victoriæ peruenerit.

Galli ad Mediolanum gravi clade profligantur, Cæsareique urbe & Insubria recipiuntur.

Pontificem rei gestæ fama incredibili lætitiâ perfudit, quod propter ambiguam Heluetiorum fidem, animus jam antè, incertæ victoriæ spe, suspensus, anxiisque cogitationibus jactatus, tam inexpectato gaudio profundiùs acquiesceret. At suprema hæc illi in vita gaudiorum materia fuit: nam intra sequentis cœnæ tempus vi subitò incumbentis morbi, obriguit, quo, licet per interualla sopito, denique nonis Decemb. exhaustus est, non sine veneni suspicione à poculorum ministro propinati. Quanquam alii immoderatam lætitiam pro toxico fuisse existiment, neque alienæ hanc mortem perfidiæ, sed propriæ tribuant imbecilitati. Subiit ad sacrum illud Romanæ dignitatis fastigium Hadrianus Florentii Vltrajectinus Cardinalis Derthusensis, Caroli quondam Adolescentis formator, qui & Mediceorum beneficio, & suarum virtutum merito, adeò tamen contra omnium exspectationem hanc sedem obtinuit; ut ad hominis ignoti electionem V idus jan. non minùs Cardinales ipsi, suffragiorum juri præfecti, quàm Italia tota obstupesceret. Certè Romanum vulgus, ubi solutis comitiis sententiam Cardinalium accepisset, fœdissimis probris sacrum senatum proscindebat; quòd à peregrino homine Pontificatum facilè Româ transferendum existimarent. Quibus Cardinalis Gonzaga gratias renidenti ore deferebat, cùm insaniam lapidibus etiam dignam, solâ verborum contumeliâ castigarent. Julii Medices operâ id potissimùm euenerat; quòd hic magnis cum opum, tum famæ subsidiis innixus, ubi se familiæ nomine, in hac antè dignitate versatæ, excludendum honoribus cerneret: beneuolos sibi Cardinales ad Hadrianum sua deflectere studia voluerat; ne si fortè inimicum Cæsari Pontificem Italia acciperet, cœptus victoriarum cursus Gallorum potentiâ abrumperetur. Siquidem illi per ocium, à morte Leonis permissum, vires bellumque diuersis locis instaurabant, jamque Vrbinum Francisco Mariæ Feltrio, ejectis à magistratu Florentinis, vulgo applaudente, restituerant: Mediceo cum Tusca militia Cæsaris in castris versato, minimè parsuri; cùm

Pontifex ingenti perfusus lætitia extingu tur Hadrino Bel a præter omniū spem succedente.

Jovius in Hadriani vita. Schleid. Guicciard.

majores ipsius Florentino Imperio deturbatos, populari urbis factione ad Gal- 1522.
los inclinatâ, non ignoraretur. Tantum igitur autoritate suâ, Hadrianique, à virtute literisque petitâ, laude potuit; ut obliti gentis dignitatisque propriæ, velut præsenti Numine incitati, Itali vota in externum peregrinumque hominem converterent, ac vix denique sibi crederent fieri potuisse, quæ fecerant. Hadrianus, eo vultu ac voce nuntium tam insperati honoris excepit; ut rapi se magis, quàm admitti ad hoc fastigiũ testaretur: indignarentur etiam Itali, hanc Pontificiæ sedis Majestatem talem sapienti homini visam esse, quæ contemni posset. Tam diversas humana sapientia à divina cogitationes possidet, ut quod illic ratio, hic sæpe stultitia habeatur. Certè Hadrianus tanto se digniorem ostendit, quanto censuit indigniorem. Nulla tamen veniendi morâ Romanorum exspectationem frustratus est; sed quamvis Hispaniæ proceribus obnitentibus, magnisque Pontificem, jam suo in habitu nunquam in Hispania spectatum, muneribus officiisque certatim colerent, ipse etiam Cæsar properatâ ex Belgio navigatione Asturum in Hispania oram attigisset; ut observantiæ negotiorũque causâ eidem adesset, perfregit nihilominus moram omnem Reip. Christianæ cura, Turcarum, in Rhodi obsidione versantium, successibus non mediocriter aucta. Quare Nonis Augusti Tarracone profectus, Genuam pervenit, occupatam paulò antè Cæsari urbem, hinc Romam profectus, IV cal. septemb. solenni hanc pompâ subiit.

Hadrianus, omniũ Rom. admiratione, invitus honorem admittit.

Interea Galli per Italiam, instaurata novis subsidiis militiâ, instructissimo sexaginta millium exercitu Mediolanum aggressi fuerant, quod ingenti novi operis fossâ arci objectâ, quâ & fuga suis, & hosti aditus prohiberetur, tum conspiratione armatorum civium Prosper Columna egregiè defendit; ut hostis potiundæ urbis spe depositâ, aliò mentem, armaque deflecteret, sed majori apparatu viriumque ostentatione, quàm successu, alibi etiam bellatum est; dum ad Bicoccam denique, Aprili mense, totis uterque exercitus castris, fatali Gallorum exitu concurreret. Ubi Ducum magna imprimis strages fuit, Helvetiorum tria millia, Gallorum quinque hanc pugnam funestarunt, ad quam cladem quicquid Gallico per Italiam Imperio parebat, magnis terroribus concussum est. Genua cùm pertinaciùs Cæsarianorum conatibus obluctaretur, per apertas murorum ruinas occupata, victori militi in prædam cessit; Octavianus verò Fregosius, fax horum bellorum, in urbe cum aliis Principibus deprehensus, Hieronymo Adurnio hosti antiquissimo, primam in Rep. dignitatem, ipse ad vincula ductus, aperuit. Jam enim à multis retrò temporibus duæ in Liguria apud Genuenses factiones æmulatione virtutis ac dignitatis contendebant: Fregosia Gallis, & Adurnia Cæsari, Sphortianisque addicta; ambæ tamen populares, & Gibellini nominis: ad quos, lege Majorum, Magistratus, à Guelfis ac nobilitate translatus, pertinebat. Quæ res adversis hos populos studiis favoribusque non rarò ad magnã Reip. perniciem collidebat.

XXIV
Galli in Italiam, cum exercitu 60 milliũ profecti rursum cæduntur.

Guicciard, l. 12. Belcarius lib.

Genua Gallis sub Fregosio favens vi occupatur, eique Adurnius Cæsaris fautor præficitur

Gibellina & Guelfica factionis homines Italiam sæpe turbarunt, sub diversis Dominis dissidentem.

An. Chr. quanquam tota Italia hanc factiosorum hominum, Guelfici præsertim Gibellinique nominis factionem aluit, postquam sub diversis principibus illam, quam perniciosè sectata est, libertatem amisit, & diversarum nationum populis, velut in audaciæ militiæque præmium est patefacta, ut ferè regnis evenit, unius imperium fastidientibus, quibus Domini plures uno pro Domino, non ad minuendam; sed augendam servitutem imponuntur. Sola Venetorum resp. & administrandi imperii ratione, & potentia per optimates sparsâ, contra hanc calamitatem multis seculis inconcussa perstitit. Quanquam sub Maximiliano Imperatore avo Caroli, propius exitio inter spem desperationemque penderet, facilè opprimenda, si Cameracensi fœdere, totius propemodum Europæ conjurati Principes, de oppidorum inter se partienda præda convenire potuissent. Ita cum alias suorum concordiâ, nunc etiam aliorum discordiâ servati sunt, mysterio politicorum sæpe artibus procurato. Hadrianus suo inter Pontifices contentus nomine ordine VI & Leoni Pontifici sub Carolo V uti alter olim sub Carolo Magno sed à fronte sociatus: ubi primum Romam ingressus est, non sedem modò vacuam sed & ærarium reperit, ipsumque etiam principatum multis partibus Leonis profusione oppignoratum. Vt his veluti injectis vinculis, ad subsidia adversus Turcam, præsidiaque Carolo contra Franciscum Galliarum Regem præstanda, impeditus teneretur. Magno tamen animo, quo in adversitatibus Deo fidere didicerat, remp. aggressus, primò sibi aulicæque magnificentiæ negare cœpit, quæ aliorum emolumentis impenderet, ut hanc avaritiæ quandam speciem Italorum vulgares interpretarentur, sapientiores piam utilemque parsimoniam agnoscerent, quam virtus juxta necessitasque suaderet. Receptis etiam in fidem Ferrariæ Vrbinique Ducibus eorum ope recuperavit Ariminum, à Malatestis per absentiam Pontificis occupatum. Omni deinde studio adnisus est, ut Carolum Imperatorem cum Francisco Galliarum Rege conciliaret, ac potentissimorum Europæ Principum animos viresque, adversus infensissimum Christianæ reip. hostem Solimannum, conjungeret. Hinc enim Ludovicus Hungariæ Rex ingenti Turcarum imminente exercitu; inde Liladamus, obsessâ jam Rhodo, ordnis Magister auxilium in summo discrimine postulabant, quando Pontifici voluntas subveniendi sine facultate, Hispanis, Gallis, Germanisque facultas sine voluntate fuit. Hispani enim seditionibus collisi omnem Caroli curam distinebant; Galli insubriæ recuperandæ ardore flagrabant, Germani perniciosis Lutheri cōcionibus, à Turca aversi in Ecclesiasticorum excidium armabantur, eis similes, *qui excitatum in vicinia incendium negligunt, eodem postea involuendi.*

Guicciard. lib. 14 Jovius & acta consistorialia an. 1522. apud Palav. de Conc. l. Tr. d. l. 2. cap 3.

Hadrian. Pontifex frustra conjungere Europæorum animos adversus Turcam nititur

XXV Novam in Germania tempestatem, velut mutato post Caroli abitum vento, & in austum rejecto, Lutherus eiusque assecla concitârant. Initium tragicæ procellæ Andreas Carolostadius Doctor, & Archidiaconus, unà cum nonnullis Augustinianæ familiæ cœnobitis Wittenbergæ dedit. Hi freti Lutheri de Missa abroganda libro, quam argumentis ex nocturna Dæmonis concerta-

Cochlæus in Vita Luth. Schleid. l. 3. c. 21. de statu Rel. sub Carolo

Iurg. in Com. Spond. in An.

tione

tione haustis (quod Schleidanus, ut alia illius opprobria dissimulat) maximè stabilivit, abolendi primùm in templis sacrificij autores extitêre. Consultus ea super re Fridericus princeps, ad Academicos Wittenbergenses rejecit. Ex quibus delecti quatuor, Justus Jonas, Philippus Melanchthon, Nicolaus Ambstorffius, Joannes Dulcius re cum Augustinianis communicatâ abolendam Missam, tanquam cœnæ Dominicæ probrosam Principi significant. Is verò, quâ erat providentiâ, quantos hæc novitas motus concitatura esset, moderatè regerit. Hoc enim sacrificiorum instituto usuque, pleraque à Majoribus fundata Sacerdotum collegia, ac templa subniti, quorum opes possessionesque cum Missis transferendæ videantur. Cùmque illi exciperent, hæc bona in Doctorum gymnasia ad eruditionem juventutis in pietate literisque formandæ, tum pauperum alendorum gratiam, potiùs esse destinata. Impudenter denique adjecerunt, à Bernardi temporibus hunc potiùs Missarum abusum, antea ignoratum, invaluisse. Adeò videlicet antiquitatum veterumque monumentorum ignari: ut aras etiamnum, non Saxoniæ tantùm; sed & orbis Apostolorum, eorumque liturgias superesse non expenderent: tum celebris sacrificij à D. Augustino pro matre defunctâ instituti, non meminissent. Verùm ipsi nec Principis, nec antiquitatis reverentiâ ducti, verbi divini prætextu, ejusmodi sacrificijs, ut ferebant, adversantis, plaudente, & soluto omni religione vulgo, sacrificiorum apparatum, & sacra vasa diripiunt, arasque Deo Divisque nuncupatas evertunt. *1522. Carolostadius hæresin absente Luthero promovet Missâ abrogatâ.*

Carolostadius hoc successu lætus, ne alienæ voluntatis manceps, sed suis ipse auspicijs, Luthero in latebris abdito, rem cœptam promoveret, nova adversus Sanctorum imagines, sacrum Eucharistiæ, & esurialium dierum usum, ex veterum hæresiarcharum sordibus ac sepulchris in lucem eruit, & vulgo ad omnia obsequente, regnum quoddam novatæ religionis occupare istic videbatur. Quare imagines templis exturbatæ, Laicorum manibus atque ori Eucharisticum epulum, profano ritu, sine ulla scelerum expiatione præviâ concessum; quòd inani persuasione præsentem in illo Deum hactenus imperitam multitudinem coluisse assereret, Iconoclastarum & Sacramentariorum hujus temporis primus. Denique eo insaniæ prolapsus est, ut Aristotele Academicisque studijs damnatis, cuilibet ex manuum labore victitandum esse traderet, ideoque desertis scholis, ipse ad aratrum, Melanchthon ad pistrinum diverteret. Quo, utinam, in studio consenuissent, molendino, quàm cathedrâ digniores! Lutherus his cognitis, vel ad insaniam delirantium comprimendam; vel certè veritus, ne quis palmam mutatæ cum plausu religionis sibi præriperet, inconsulto Principe, cujus repulsam formidabat, Wittenbergam sua ex eremo erupit, literasque hinc ad Fridericum dedit, quibus ob periclitantis Wittenbergicæ Ecclesiæ statum, hanc sibi emigrandi necessitatem injectam esse docebat; verendumque ne quorundam improbitate gravior per imperium tempestas concitetur, nisi tempestivè sedulâ morum correctione occurratur; quòd Evangelium plures ore, quàm vitâ profiteantur. In Carolostadium igitur, tanquam seditiosorum vexilliferum, bilem omnem acrimoniamque dicendi vertit, damnavitque universa, etiam *Nova insuper Iconoclastarum & Sacramentariorum revocata, Lutherum in se ex latebris erumpentem concitat.*

contra

An. Chr.

contra Missæ, quam prior ipse rejecerat, sacrificium decreta; quod sine lege, sine ordine, sine divinæ vocationis (quam sibi uni vendicabat) autoritate, constituta essent. Cujus furiosæ eloquentiæ cùm impar Carolostadius succumberet, Orlamundam se recepit, ubi fautores viresque nactus, semina alterius sectæ deterioris jecit, quam, ab autore postmodum desertam, Zwinglius atque Oecolampadius, denique subtilis perversique ingenij homo Joannes Calvinus ad insignem totius Europæ perniciem excoluit: qui omnes Eucharistica Christi verba, diversis commentationibus exposita, non proprio, sed tropico accepta sensu, nullam nisi spiritualem solum Christi præsentiam inferre memorabant, quâ non ori sumentium, sed animis credentium per fidem illaberetur.

Zuvinglius apud Tigurinos Sacramentariorum hæresin promovet.

Et Zwinglius quidem, inter Helvetos, antesignanus Tigurinorum, in hanc sectam ante omnes conjurantium, fuit: cui se Episcopus Constantiensis frustrà opposuit. Cùm is primùm literis, deindè concionibus Helvetios incitavit: ne Sacerdotibus, quibus hactenus indulsissent concubinas, legitimas deindè conjuges, sanctiore utique instituto, non denegarent. Ita alijs alij novitatibus delectabantur, postquam semel his Lutherus aditum ex libera verbi Dei professione, neglectâ Ecclesiæ autoritate, fecisset. Ad Salam quoque Saxoniæ flumen nova gliscebat Anabaptistarum secta, cui & Carolo-stadius favere creditus, qui in fluctuante illa Scripturarum interpretatione, ut certius sibi principium suæ religionis constituerent, asserebant Dei se colloquio, divinisque inspirationibus sua in fide firmari; undè & Enthusiastæ dicti, quòd, seu veris, seu fictis mentis in divina raptibus indulgerent, compositisque ad sanctitatem foris moribus, occultæ tamen promiscuæque suis in conventiculis Veneri indulgerent: ut quo ducerentur spiritu, suâ carnis libidine, haud obscurè profiterentur. Ex quibus post Nicolaum Storck sive Pelargum, primum autorem, Thomas Muncerus, popularis deindè per Thuringiam Franconiamque seditionis fuit concitator, quòd persuasum isset, novum à Deo mundum, improbis præsertim dominis, è medio sublatis, constituendum, in innocentibus solùm regnantibus, omnia omnibus ex Apostolico olim instituto communia fierent, etiam conjuges.

Meshovius de Anab l. 1

Enthusiastæ seu Aanbaptistæ novũ Christi ex scriptura regnũ vendicant Sanctorum.

In tanta non religionis modò, sed & rerum confusione, à Luthero primùm Germaniæ invecta, jam nec ipse quidem continere se poterat: *Illos* igitur *Absalones suos, à se educatos instructosque, ingratißimo Iudæ simillimos* proclamat, *qui sacrum Evangelium tanquam gladium abs se jure in Papistas strictum, proditoriè ad jugulum Magistri, propriæque religionis petendum stringant, & manifestam Scripturæ veritatem perversâ interpretatione malignè traducant.* Quare ipse sacrorum Bibliorum in linguam vernaculam translationem, cum Melanchthonis aliorumque ope aggressus, tantâ illud vertendi insolentiâ ausus est, ut mille quadringentis locis novi, ut vocant, Testamenti libros corrupisse argueretur. Cùmque ejus, ut leviter dicam, incuriæ per amicum reprehensus esset, quòd Romanorum se calumnijs opportunum fecisset, respondit obmurmurantibus Papistis dicendum esse: *Sic Doctorem Martinum voluisse, qui asinorum ruditu nil moveatur.* Eodem tamen vertiginis spiritu eadem Biblia ter quaterve ad incudem revocata, semper dissimilia

sibi

sibi, præterquam in pervertendi licentia produxit. Traditionibus deindè, Conciliis, ac Pontifici illum honorem habuit, ut omnia secus quàm hi statuissent, agenda diceret : *Edendum cùm illi jejunia imperant : abstinendum cùm ad usum Sacramentorum provocant.* Ego (inquit, in sua captivitate Babylonica) *si Concilium Eucharistiam sub utrisque speciebus sumendam præciperet: aut sub alterutra tantùm fruerer, aut certè neglectim præterirem.* Ille verò Divûm hominumque spretor, quantâ in Episcopos virosque Principes insolentiâ, quàmque furioso calamo, atque ore grassatus sit, dici vix potest. Sic in sua, quam vocat, Reformationis Bulla statuere audet : *Quicunque opem ferunt, corpusque, bona ac famam impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum regimen exscindatur, hi sunt filij Dei, & veri Christiani, observantes præcepta Dei, & ordinationibus Diaboli repugnantes : contra, quicunque defendunt Episcoporum regimen, hi sunt* Diaboli *ministri proprij.* Angliæ verò, cujus suprà meminimus, Regem Henricum Sacramentorum numerum ac dignitatem contra Lutheri injuriam vulgato libro vindicantem, tot scurrilium convitiorum sordibus (quod Schleidano tamen fuit jocose ludere) petijt, ut suis ipse puteret fautoribus, qui vix hominis verecundiam retineret. Cujus impudentiæ correptus, alio scribendi genere lenocinari, & inclementis scripti palinodiam canere visus est, Regemque insigni laudum præconio demulcere, spe illius pervertendi conceptâ. Irrisus tamen fuit, jussusque *suæ antè insaniæ remedium facere, quàm alienis sese impendere laudibus : cùm tam sibi Rex turpe putet, laudari à turpibus, quàm ob turpia : neque contra impensius commendari possit, quàm si à dissimillimo sibi Luthero reprehendatur.* Quanquam similis huic orationi mens consiliumque, degeneri subinde nimium Regi optanda fuisset : *Verba sæpè laudata è depravato pectore, tanquam speciosum herba ex venenata radice, florem pullulare conspicimus.* 1522. NB.

Intereà hærebant Noribergæ congregati Germaniæ Principes, ubi illos edicto Cæsaris exequendo Carolus convenire jusserat, quibus inter consultationes innumeras consilium penè omne everterant partium studia, frustrà Imperatore per literas executionem urgente : *Cùm remotæ nimium à muris machinæ vim non imprimant, nisi fortè imbellem.* Ferdinandus quidem frater Austriæ Princeps, latam adversus Lutherum anno superiori sententiam vehementer urgebat, fuisseque illam in ditionibus gravi interminatione pœnarum executus pro viribus est. Sed *frustrà pedis unius corruptio cavetur, quando totius jam corporis sanguis infectus est.* Noribergensi verò congressu, non tam remedium grassanti huic religionis seditioni, quàm dilatio & incrementum, velut receptæ in corpus gangrænæ repertum est; hujus jam corporis oculis Friderico Saxone, & Ludovico Palatino infectis ac cæcutientibus. Hadrianus igitur Pontifex non ignarus malorum, quæ universæ Europæ ab hac Germaniæ corruptione imminerent, Franciscum Cheregatum Episcopum Aprutinum, non, ut malè alij, Fabrianensem, multis legationibus exercitatum, Noribergam ad Principes cum literis mandatisque ablegat. Et illis quidem, postquam suum in patriam Germanosque amorem, tum orthodoxæ religionis Ecclesiæque tuendæ studium professus esset, magnoperè hortatus Principes est : *Ut ad communem tranquillitatis curam à pernicioso schismate,*

XXVI. *Comitia Noribergensia Principum Germaniæ.* Schleid. l. 3 ad an. 1522. Goldast. tom. 1. Const. Cæsar. Bzovius ad hunc an. Palavic lib. 2. c. 7. & seq.

Hadriani Pontificis literæ ad Noribergensem conventum.

An. Chr. *te, & à bellis civilibus arma animosque in juratum Christianorum hostem convertant. Se ad illius vim contra Rhodios infringendam, cùm milites non posset, suppeditasse pecuniam, nunc vehementer mirari, quòd Luthero homini nuper à præcipuis Europæ Academijs erroris damnato, à Leone Pontifice execrato, à Cæsare proscripto favere pergant, ad æternum gentis suæ dedecus, & Germaniæ ipsius ruinam. Magnoperè dolendum, eam gentem, ad quam cum Romana religione imperij quoque majestas delata sit, ab illa deficere fidei doctrina, quæ à Christo Apostolisque per sapientissimos Majores nostros ad nos usque propagata, multo umque obsignata Martyrum sanguine, nulla per omnes ætates hæresi ac defectione notata, tot Concilijs Patrum firmata, tot hæresum diversarum expugnatrix, invicta semper constiterit. Vnusne fraterculus Apostata, post tot secula latitantem hactenus Ecclesiam è tenebris eruat erigatq; collapsam, quam Christus nec portis quidem inferorum subruendam, suâq; firmandam semper præsentiâ addixit? Plusne ille tot retrò Majoribus sapere credendus ex Scripturis est, quas composito ad fallendum argumento, ut pleriq; novarum hæresum propolæ, venditat? Nimirum hoc agi, ut sub specioso verbi Dei ac religionis velo, sub dulci libertatis Christianæ illecebra, jus omne non modò Ecclesiasticum; verùm & civile projiciatur, Episcopi primùm sacerq; magistratus, tum Principes & disciplina politica contemnatur: neque enim humanas diu leges florere posse, ubi divinæ conculcantur. Hortari proindè, ut vel Lutherum pijs rationibus ad sanitatem reducant, vel ex Cæsaris imperijque decreto, juxta Constantiensium procerum exemplum in Ioannem Hussum designatum, progrediantur. Ita demum propitio Numine, conciliatis animis adversus Turcarum immanitatem magis valituros.* Plura ad hujus tam utilis consilij prosecutionem mandata abs se Cheregatum attulisse, cui fidem haberi postulet. Salubria planè monita, & futurorum præsaga: quibus par erat Fridericum (quem, ut alios etiam Electores, plenis humanitate literis, à schismatis consilijs avocârat) tempestivè assentiri, cúm jam nuper expertus didicisset, neque Wittenbergenses, neque Lutherum se habere suis obsequentes monitis; sed & illos, & hunc vano divini verbi prætextu, respondisse, *Deum præ hominibus audiendum esse:* quod erat sub umbraculo Scripturarum obedientiam suis negare Principibus.

Legati Pontificij ad eundē mandata. Porrò quæ in mandatis exponendis adferebat Cheregatus, alia ad Principes in hæresis subortæ excidium propellendos spectabant: alia ad spem, quam de seipso Adrianus in Ecclesiæ, inprimisque Romanæ curiæ objectis defectibus sedulò corrigendis faciebat. Et primò quidem monuit: *Abrumpendam in correctione hæresis turpissimæ moram, quæ Majores omnium tanquam veræ fidei religionisque expertes immani temeritate damnaret, orcoque, cum Romanis totoque orbe Lutheranismi experte, transcriberet. Cavendum igitur, ne huic malo cunctatione vires adderent, idemque Germanis, quod Bohemis superioribus annis, exitium incumberet: exemplum Majorum Constantiæ editum ante oculos habendum esse. Ad hæc suprà jam memorata, de eversione rerump. & contemptu suorum Principum, post eversa sacra, pluribus ingerebat. Denique hanc sectam Mahometicæ haud dissimilem ostendit, quæ Religiosis Ecclesiasticuque ad libidinem omnem, spretis votis Deo nuncupatis, frena remittat, adeoque sacra omnia profanaque confundat: quæ sanè ad ingentem Germanicæ nationis tam irrationali, crassæque hæresi indulgentis, contumeliam spectent.* Quia verò haud leviter fluctuan-

tes Germanorum animos comperit; quòd, tanquam desperantes religionis suæ defensionem, cum adversarijs ubique congredi, audireque, ac reddere fidei causas detrectarent; cognitumque esset, nuper apud Helvetios Joannem Fabrum Constantiensis Episcopi Vicarium, contra Zwinglium, Tiguri in senatu idem subterfugisse; cùm LXVII thesibus ad disputandum propositis ille quosvis provocasset, adeoque senatus ibidem decrevisset, Evangelium purè imposterum, omissis hominum traditionibus, docendum. Lutherus etiam nunc passim cum suis jactaret asseclis; non tantùm non Romanos cum traditionibus Concilijsque suis rejiciendos; sed nec Angelum quidem de cœlo extra verbum Dei, audiendum esse, Paulo ad Galatas monente: *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, & præter id quod accepistis, anathema sit.* Undè Lutherus in hac arce Scripturarum inexpugnabilis cum suis multis visus est, ob quod Romani suæ sibi imbecillitatis conscij pugnam vitarent, jactatumque est, non auditâ discussâque in comitijs causâ, Lutherum immeritò damnatum proscriptumque videri.

1522. *Procerũ diffidentia in causa Catholicorũ ob neglectã defensionem & Lutherũ non auditum.* Gal. 1. v. 8.

His igitur Cheregatus sic in comitijs occurrit: *Non dubium, quin regula fidei atque religionis à Christo Apostolisque tradita, illa sit, cujus solam autoritatem sequi oporteat; verùm hanc non scripto tantùm, sed & verbis exceptam tam à Galatis, quàm ceteris fidelibus, propagatamque per Majores nostros, Patresque ac Concilia fuisse. Vndè temerarium sit de hac amplius cum novitio, solius scripti verbi interprete, disceptare velle, præsertim talia docente, quæ in priscis Ecclesiæ Concilijs damnata ac proscripta jam dudum fuerint. Maximam sanè injuriam veteri orthodoxæ Ecclesiæ, ejusque synodis factu-rum, quisquis de illis, quæ constanter perpetuòque tradita sint, tanquam ambiguis disceptare, posterioribus hisce seculis, eorumque decreta convellere disputando privatim ausit. Sacrosanctum atque illibatum cuilibet debere esse fideli, quidquid jam olim in Ecclesia receptum creditumque fuit. Lutherum quidem audiendum fuisse, num in scholis & pro concione antiquæ fidei, hos illosve articulos contrarios tradiderit, hunc aut illum librum vulgárit? Sed sua hæc dogmata stabilientem argumentis, audiri prudenter non posse, cùm nefas sit in sua orthodoxum Christianum fide dubitare: nisi fortè in concilio publico coram Ecclesia universa, controversiarum judice, depromere errores jubeatur, tanquam ex sua confessione judicandus, corrigendusque. Has ergò inter privatos sine æquo judice, disceptationes inutiles noxiasque haberi: ad Lutheri verò damnationem proscriptionemque sufficisse, quod intellectum, ipso confitente fuerit, se contra receptam fidei in Ecclesia regulam, quæ nemini orthodoxorum dubia esse possit, novam doctrinam vulgasse.*

Legatus docet cũ Luthero disceptãdum non fuisse sine æquo judice: nec auscultari eũ posse, quæ recepta & indubitata fidei regulæ adversatur.

Hæc sapienter Cheregatus. Quæ verò Lutherus, ejusque asseclæ ex Paulo in ore ferunt, hæc illorum fundamentum, de sola Scriptura audienda, non modò non stabiliunt; sed prorsus etiam evertunt; cùm Galatis, non de scripto Dei verbo, (quod multis nondum partibus acceperant) sed de annuntiato, seu tradito abs se Paulus fidei verbo locutus sit, præter quod nec Romani quicquam in fide divina admittendum esse, statuunt. Quo in argumento & alia adversariorum fallacia, quâ plurimos Catholicorum tanquam fascino captos deludunt, meritò est observanda: quando nimirum verbum Dei Concilijs opponunt: illudque contra

Falsũ Lutheri fundamentũ, & Acatholicorũ huic insistentium fallacia.

An. Chr. hæc tanquam infallibilius amplectendum asserunt, quòd in isto mihi Deus, in his loquantur homines. Hoc enimverò Catholici minimè negant, falsòque ijsdem oppositum tribuitur: verùm asserunt, ubi de articulis fidei stabiliendis agitur, quæriturque quodnam de his verbum Dei extet, quove illud sensu, atque interpretatione accipiendum sit? tum Concilij totius sententiam unius hominis judicio præferendam, ut longè certiorem, videri: quod divinis æquè ac humanis rationibus fundatissimum axioma, mirum est quemadmodum ab homine non amente possit oppugnari. Demus enim in controversiam venire: num præter scriptum Dei verbum, traditiones Apostolicæ in Ecclesia Christi admittendæ sint? ac illa Apostoli sententia ad Thessalonicenses: *State & tenete traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, in disceptationem trahatur: Conciliumque adversus Lutherum definiat, non solùm hîc traditiones scriptas, verùm etiam per solum sermonem exhibitas commendari: an quisquam neganti hîc Luthero piè prudenterque adversus totius Concilij autoritatem suffragari poterit? Et si magis id nequit, quàm ut aureum unum centum alijs præstare sentiat, quâ fronte inficiabitur, præter scriptum Dei verbum, aliud traditum in Ecclesia conservari? ideoque blateronem quempiam ex sola Scriptura totam Ecclesiam arguentem non audiendum; sed tanquam insanum quempiam explodendum esse? ut jure hâc defensione Cheregatus in comitijs usus sit.

Ecclesiæ interpretatio verbi divini unius hominis interpretationi jure præfertur

2. Thes. 2.

At verò minus consultò, ex Hadriani mandato, in ceteris versatum esse accepimus, quando hic Romanæ cuiræ atque Ecclesiasticorum abusus excessusque confessus, suorum etiam decessorum existimationi non pepercit: simul quoque omne abs se ad emendationem curandam studium pollicitus, ut ab ipso fonte malum tollatur, si non repentè, sensim tamen: cùm *qui emungit nimium, sæpè eliciat sanguinem*. Quo plus in facto germani candoris, quàm maturi consilij Hadrianus ostendit: nam & confessione hâc adversariorum erga se gladios exacuit, & exaggeratis Lutheri accusationibus, ejusque defectioni, ceu minus iniquæ, pondus addebat, ac sibi denique necessitatem imponebat abrogandi illa, quæ Germani Principes iniquè Romæ geri interpretarentur, ut pleraque futura erant, quæ cum aliquo suarum opum & libertatis detrimento conjuncta essent, ceteris fortè, quæ Hadrianus in vitio ferret, præteritis. Consultius igitur Pontifex sedulâ correctione sustulisset offendicula ex oculis, quàm eâ confessione plurium conspectui, & supra veri æstimationem subjecisset. Lutherus certè eandem typis vulgatam suis Annotationibus locupletavit, teste usus ipso Pontifice; sed Italicarum adhuc rerum parum gnaro, quique ex fama magis apud Germanos Hispanosque collecta, quàm experientiâ Romæ haustâ loqueretur. Undè & hac simplicitate, quâ Germanis se aperiebat, & diffidentiâ, quâ minus se credebat, Italis, reconditi magis animi sensûsque hominibus, displicuit. Idque maximè, postquam Guilielmo Enkenfordio, Episcopo Dertusano, & Henrico Hezio, sibi à secretis addito, Belgicæ nationis viris, præcipuè se panderet; & humanitate magis, quàm liberalitate, cujus materia opes deerant, *amicitiam* Romanorum

Minus consulta Hadriani mandata quibus Romanæ curiæ abusus exponi jussit.

rum prenſaret, *quæ ſæpe ſine auro, tanquam focus ſine igne, friget*. Quo ex capite minor etiam ad membrorum curationem manavit virtus, quod *amore occupandi magis animi, quàm timore viderentur*, 1522

Inter hæc, cum Legatus quoque ſignificaſſet Pontifici, queri Germanos Principes. *Pauca olim cum Romanis Pontificibus inita non uno modo violari*. pari candore reſpondere juſſit Hadrianus: *Et ſibi jam olim illud viſum. De Majoribus quidem ſuis præſtare non poſſe, proviſurum autem, ne quid deinde lædatur, & communis æquitatis ſtudio, & Germanorum amore*. Monuit inſuper, ut ſiquos iſtic doctrina ac virtute præſtantes, rerum verò indigos reperiſſet ſacerdotio idoneos, de his ad ſe meritis honoribus ornandis, perſcriberet. Tum verò ut hortaretur Principes, ſibi ut ſignificarent, *quà viâ potiſſimum tam peſtilenti ſectæ latius indies graſſanti occurrendum ſentirent*? denique, ut ſacerdotes paſſim impunè ad matrimonia tranſeuntes iuſtis pœnis coercerent, poſtulavit. Quod verò rogaverant Principes, ut forenſes in curia Romana ſuſpenſæ Germanorum lites, in patriam decidendæ remitterentur, id ſe in præſentiarum negavit poſſe efficere; quod plerique Advocati Judiceſque cauſarum, quorum in manibus illæ eſſent, Româ metu peſtilentiæ abſceſſiſſent; facturum ex æquo, ubi rediiſſent.

Reſponderunt ad hæc omnia, quæ tum ex literis, tum ex mandatis Pontificiis acceperant, Principes, Ferdinandi Archiducis, Cæſaris fratris, Vicariique, autoritate addita, ac poſt officia gratulationis & venerationis erga Hadrianum præmiſſa, teſtantur *gratum ſibi exoptatumque fuiſſe, his tam exulceratis temporibus eum Eccleſiæ obtigiſſe ſummum Paſtorem, cui adeò illius ſalus inſtauratioque curæ ſit, voluptati ſibi fuiſſe, cognoſcere, quantum pro immanitate Turcarum infringenda, & velit, & fecerit, gratiaſque debere, pro tam benevola erga Germanos, turbatamque eorum remp. componendam voluntate. Neque enim, niſi civili ſubmotâ diſcordiâ, Turcis occurrere, Pannoniæque Regi, qui per legatos præſentes id obteſtetur, ſubvenire poſſe. Pacem aut inducias ipſius interventu conciliandas videri. Lutherum ex Pontificio Cæſareoque hactenus mandato, ſine graviſſimo ſeditionis diſcrimine, non potuiſſe corrigi; quod perſuaſum vulgo ſit, veritatem cum illo Evangelicam opprimi, & manifeſta Romanæ curiæ vitia defendi. Quæ cum ipſe cogatur Pontifex agnoſcere, ab ipſorum emendatione tanquam à malorum fonte auſpicandum; tum verò concordatis Germaniæ inſiſtendum, quod amanter fieri obſecrent, ut ab ipſo ſanctè paterneque ſit addictum. Poſt hæc rogant, ut Annatas beneficiorum* (ſic appellant primi anni à morte deceſſoris penſiones à) *Romanis in Germaniam, ad exhauſtum illius ærarium contra Turcas fulciendum, transferri patiatur, quod hæ principio à Pontificibus adverſus Turcas poſtulatæ conceſſæque, nunc aliis non ſine largientium indignatione uſibus deſerviant. Hu obtentu,* ajunt, *ſpem magnam conciliandæ rurſum tranquillitatis affulgere. Quod verò deinde, in hac religionis tempeſtate componenda, conſilium expromere quemque ſuum jubeat, Id ſaluberrimum videri univerſis; ut ipſius ac Cæſaris voluntate, in aliqua Germanorum urbe, uti Moguntia, Argentoratum, Metis, aut Colonia eſſe queat, concilium primo tempore cogatur, in quo liberè quiſque, cuiuſcunque demum ordinis, jurisjurandi etiam religione obligatus, & poſſit & debeat illam pronuntiare ſententiam, quæ ad Dei glo-*

Reſponſũ Principũ conventus Norimbergici ad literas Hadrianus, & mandata Cheregatti propoſito.

riam

An. Ch.

riam Ecclesiæque, ac reip. salutem spectet. Se interea etiam cum Friderico Saxoniæ Principe laudatissimo, daturos operam, ne quid deinceps librorum Lutherus vulget, aut is, aliive pro concione disserant, nisi Christi Evangelium, ex probata Ecclesiæ receptàque interpretatione proponendum, præteritis rejectisque ad futurum concilium gravioribus de fide controversiis. Quam in rem idonei ab Episcopis Censores deligendi sint, ut siquis fecisse secus observetur, impunis non abeat. Eadem animadversione obsevandos typographos, ne quid nisi à viris bonis doctisque probatum, typis vulgetur. Et hæc esse; quibus pro re nata consulendum optime tranquillitati publicæ arbitrentur. Quod verò legatus de sacerdotibus ad nuptias transeuntibus corrigendis petat, id dicebant cum politici juris non sit, ex præscripto Pontificij juris emendandum videri. Priora igitur, decerto publicè exposito Cæsaris nomine VI Martii die, anno MDXXIII sanciverunt: vicissimque rogârunt Pontificem libello exhibito, qui *centrum gravamina* Germanorum Principum continebat, & à Carolo in Comitiis Wormatiensibus rejectus fuerat, ut in his levare oppressos dignetur, ubi *præter libertatem ciborum, quam sibi volebant fieri, Clericorum libertatem etiam civilibus adstringi cupiebant judiciis, ac præcipue Annatas aliosque Romanæ curiæ census tolli*, quæ diverso quondam consilio indulta nunc velut usurpato jure ad quemvis usum traduci querebantur. *At Romani negabant, solis Turcis repellendis, sed ad quævis Ecclesiæ totius onera impensasque sustinendas hæc tribui sumique. Ali Romana in aula ex omni natione homines, legationes in Germaniam aliòve crebras destinari, consilia Romæ in totius Ecclesiæ usum, à senatu non modico illustrium Doctorumque hominum, agitari: ut æquum sit, totius Ecclesiæ impensis, tam gravia diversaque munia conservari. non hanc recens natam, sed diu inolitam consuetudinem, Turcarum viribus reprimendis, adjecta quandoque supra usum tributa, cum iisdem quoque amotis cessasse, adeòque has queremonias ratione destitui. Alia quoque gravamina, justam summi in Ecclesia capitis autoritatem infringere, & libertatem Germanis postulari nulli æquitati congruentem.* Vnde hæc pleraque in ventum abiere; cùm, ut optimè Germanis Hadrianus vellet, aut senatu obluctante, aut conscientiâ, non poterat voluntati plerorumque servire, morte demum conatum intercipiente. Nec decreti Noribergensis vis major; cum illo neque Romanis neque Lutheranis, nec denique Cæsari factum satis. Hic cum illis querebatur, edictum Wormatiense negligi, atque impunè Lutherum cum suis, publicâ in luce grassari. Lutherus novo etiam decretum commentario illustrare suumque in usum ausus vertere, *Evangelium se non quidem ex Thomæ, Scotique; at ex Hilarij, Cypriani, atque Augustini sensu interpretari jactabat; quibus tamen universis biblia S. præferat. Conjugia quæ natura suasit, negabat Sacerdotibus posse à quoquam eripi. Verbo: decretum in cœlo latum asserebat, quod omne mortalium decretum elideret.* Ita Lutherus omnium conatus autoritatemque uno sacrarum scripturarum prætextu, tanquam machina quosvis muros evertente, explodebat. Post hæc Hadrianus anno 1523. Romæ XXIV septembris, vita ac munere abiit sepultus in Vaticano hoc epitaphio. *Hadriauus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* Postea tamen ad S. Mariam de Anima ædem Teutonicorum nobiliori monumento est conditus. Post quam

Centum gravamina à Germanis proposita, sed à Romanis neglecta,

Lutherus nec Romanorũ, nec principum decreto movetur

Julius Mediceus Clementis VII nomine locum tenuit. Cui quod neque concilii in Germania celebrandi facta spes, nec gravaminum sublevandorum in Germania placeret expectatio, Laurentium Campegium Cardinalem ad principes, novumque quem Cæsar urgebat Noribergæ, conventum destinabat, sub anni exitum. Et concilium quidem aversabatur, quale Germani spectabant, in quo libera cuique sententia esset, sacrique cum profanis confusi, nullius supremo regerentur arbitrio, cuius proinde exitus futurus esset rerum sententiarumque confusio, omni posthabitâ Pontificis autoritate. Sed neque bellis inter Carolum ac Franciscum Galliæ Regem concitatis, aliorum sociari Episcopi regnorum poterant, adeòque generali concilio hæresis infirmari. Germani autem soli, quales in concilio futuri essent, jam ex habitis inter illos comitiis exploratum, quibus controversiæ auctæ potius, quàm imminutæ fuerint; ut oleum pro frigidà affundere incendio videantur, & pestilen-,tiam plures contrahere, dum mederi conantur. Frustra etiam prætendi illa ,esse gravamina, quæ jam olim in usum recepta, nisi temerè convelli nequeant, ,Ecclesiam suis abire juribus, viresque ac libertatem cedere profanis non posse. ,Si per vim auferantur, levius detrimentum laturam, resque suas, non jura ,amissuram. Concordata Germaniæ inter Nicolaum V & Fridericum III ini-,ta minimè violata. Census ex sacerdotiis collectos Romanæ esse curiæ, totius ,orbis laboribus natæ, alimentum; & tenuius, quàm ut impensæ Germanis ,respondeat operæ. Si de aliis Romani non accusentur vitiis, jam esse excusatos, laboraturum tamen Pontificem, ut siqua Clericorum moribus adhærescant vitia, expurgentur, plebique consulatur adversus immoderata Ecclesiæ onera. Hæc aliaque disserere, & privatim publicèque Cardinalis suadere jussus est, aliquantò diversâ, quam Hadrianus dederat, instructione: ut *non nunquam diversis ad eundem terminum viis contenditur.* Verum Germani, inprimisque Saxo & urbes liberæ, aditus hisce consiliis omnes obstuxerant; sperabantque futurum, ut injecta denique necessitate, & Germaniæ à Romanis avellendæ discrimine, perculsus Clemens, levioribus malit commodis, quam universâ privari Ecclesiâ. Quare, ut Germanorum mos est, comitiis semper futuris spem conciliationis alere, præsentibus verò sine definitione controversiarum immorari, & veluti *ex mora ut negligentes solent Medici, captare remedia.* Ita nunc quoque ad Comitia spiræ indicenda, totius causæ arbitrium, ut infra videbimus, rejecerunt. Inter hæc, sub Hadriano etiamnum Pontifice Rhodus, nobilissima urbs ac insula, à Militibus Hospitalariis, nunc Melitensibus, tunc Rhodiis à loco dictis, fortissimè contra Solimannum defensa, sexto obsidionis mense, qui december erat anni MDXXII, Mahumetanis cessit, æterno Christianorum Principum opprobrio, qui privatis æmulationibus bellisque distracti, hoc commune religionis suæ propugnaculum neglexère. Veneti induciarum fide ligati, nec artifices quidem è Creta suos Liladamo Gallo ordinis Magistro, & loci propugnatori impunè indulgebant. Hadrianus Pontifex vanum sine opibus moliebatur auxilium, & hoc quod paraverat trium onerariarum, ventorum iniqui-

1522

Novus Pontifex Clemens, & nova ad alium Noribergensem conventũ per Campegium legatum mandata.

Leuncl. lib. 18. Guicci. ard. l. 15. Jovius in Hadr. Bosig p. 2. lib. 19.

Rhodus à Turcis obsessa, & à magistro fortissimè defensa postremò tamen ob defectum Christia. subsidii tradita.

An. Chr. iniquitas tenuit. Rex Anglus quàm procul à calamitate, tam à voluntate quoque subveniendi aberat, maxima spes in Carolo Hispaniarum, & Francisco Galliarum Regibus; sed ad anchoras nullibi solutas, hæsit. Pro exigua hi Italiæ portione, decies retro actis temporibus, sine magno emolumento occupatâ, & amissâ decies, vanissimâ æmulatione decertabant, ac Turcæ in orienti, hæresi in Germania liberè grassanti, validissima Ecclesiæ membra discerpenda relinquebant, tam pertinaciter probrosèque divisi, ut his denique, quam sibi invicem, licet Christiani & consanguinei, adhærescere maluerint. Vnde Solimannus, audaciam ab aliorum dissensione mutuatus, ter in expugnatione Rhodi profligatos suorum, cum robore exercitus, animos à desperatione ad spem revocavit. Primum ipse cum nova classe allapsus, deinde, & hujus viribus consumptis, Mustapham sororium obsidionis, ut primùm auspicandæ, sic nunc solvendæ autorem, ab exercitu submovit, & Achmeten Bassam fortem navumque militem cum summo imperio præfecit, ac demùm, cum & hic, confectis jam sæpius instauratisque copiis, deficeret, milesque sese in certam ulterius mortem ingerere tergiversaretur, discessurus erat, nisi Andreas Amaralus Liladami Cancellarius, occultus, ob præreptos sibi Præfecturæ honores, æmulus, ideòque proditor, per literas sagittà missos, propugnatorum ex imminuto numero imbecillitatem significasset. Qui tamen cum servo, quondam Judæo, proditionis deprehensus, illo quidem exitu sublatus est, ut servus in Christiana, Amaralus in Mahumetica religione decesserit, digno videlicet perfidiæ pretio. Solimannus igitur, qui se vivum Rhodo nisi interceptæ nunquam cessurum juraverat, suos iterum, novis etiam Janizaris advocatis, hostili confessione animavit, monuitque Liladamum, ne extremo sese discrimini pereundi obiiceret, honestâ etiamnum deditione secum licere pacisci. Is cum nec paucitatem suorum, quotidianis per cuniculos, stratosque aditus incursibus sufficere diu posse; nec spem auxiliorum à Christianis affulgere per hiemem intelligeret, hostique jam obfirmato hæc constare non ignoraret, Solimanno certis legibus Rhodum cessit. Qui hanc festo Corporis Christi obsideri cæptam, festo Nativitatis ejusdem ingressus est, ac Liladamo fortissimo heroi præcipuos inter suos honores, si Mahumetum sequeretur, nequicquam detulit, asserenti: Rhodo sese, at religione avita dejici non posse, Christum sibi Mahomet semper potiorem futurum, atque ita calendis Januarii classe reliquias suorum in Cretam transtulit Turcis aliquando prædæ cessuram; quia cum Rhodo auxilium negavit, sibi ejusdem opem sustulit, unàmque manum resecuit, sola deinde alterâ in fortissimum & ambidextrum hostem pugnatura. Tanta Christianorum Principum cæcitas est, pro modicis inter se terminis ditionis suæ digladiantium, dum integra eis regna eripiuntur, qui nequid amicus præ illis possideat amplius, malunt juratum hostem Dæmonemque rapere universa. O Reges ac Pastores gentium, quam difficilis vos coram Christo reddenda administrationis vestræ ratio expectat, qui hædum vagantem captatis, & integras greges negligitis! Certe Carolum quantumvis adhuc adolescentem dolor

dolor pudorque haud levis facti occupavit, indignatioque adversus Turcam inflammavit, quem & Ludovico Hungariæ Regi sororio suo incumbere gravissimè, citra præsentem ex Germania per hæresin dissipata, opem, intuebatur. Nequè hucdum ipsi Hispaniæ, minus ad externi Principis obsequium firmatæ, efferre tutò pedem licebat; ne dum aliena tueretur, negligeret propria: denique tamen, ubi facultas se obtulit, omni ad vires illius infringendas conatu intentus vixit.

1522. *Carolus & Pontifex quo animo cladē acceperint.*

Ceterùm Rhodij milites ex hac insula dejecti, vagâ aliquamdiu navigatione circumlati, demùm Melitâ insulâ, quam hodiedum adversus Turcarum vim strenuè tuentur, à Carolo Imperatore recepti sunt. Eo die, quo Rhodus tradita est, prodigioso casu epistylium portæ sacelli in Vaticano, cùm Pontifex ad sacrificandum subiturus, vix altero abesset passu, duobus prætorianis oppressis concidit, tantæque cladis omen fuit. Accedentem ad se Liladamum obvius Hadrianus cum lacrymis amplexus est, magnumque fidei Catholicæ propugnatorem appellavit. Ex quo deindè Magister Ordinis in symbolo ad armatum quod gerebat brachium, pugnum quoque cum exerto gladio, manipuloque sacerdotali adjecit, cum hac inscriptione: *Pro fide.* Nihil indè ad pacem studij laborisque omisit Pontifex, ut pertinacem Cæsaris Gallique ad bellum voluntatem infringeret, atque intempestiva, & utrisque Regibus probrosa arma, in communem Christianorum hostem averteret. Id verò obtinuit, ut Legatis Romam missis, pacis consilia repudiare non viderentur. Sed hi tantis subitò difficultatibus pacis tractationem implicatam senserunt, ut ad illam procurandam cum desperatione accederent. Induciarum breve tempus tanquam rebus suis inutile nolebat Cæsar, longum Franciscus, Mediolani amissi impatiens, recusabat. Quamobrem ubi se pacis spe deturbatum videt Pontifex, sive veteri in Carolum benevolentiâ ductus, sive recenti in Gallum à pace alieniorem indignatione, Cæsaris se partibus magis est visus adjungere. Postquam vèrò comperisset proditorijs Soderini etiam Cardinalis literis, quo familiariter inter suos utebatur Hadrianus, ad Siciliæ occupationem invitari Gallum, jamque fama venientium armorum præoccuparet strepitum, questus in sacro Purpuratorum senatu gravissimè est Pontifex: *Franciscum esse, qui & Turcarum imminentium vim Europæ metuendam faceret, & Siciliam Pontificiæ clientelæ regnum bello petendum designasset. Proindè muneris sui esse providere sedulò, ne quid aut communis Ecclesiæ, aut Italiæ salus detrimenti accipiat. Pacis remedium ab armis petendum videri, post impensa nequicquam ad quietem consilia: à desperatione spem pacis inchoari posse, si junctis animis opibusque Franciscus cogatur.* Nec moratus tertio Nonas Augusti se federi adjunxit, quod inter Cæsarem, Henricum Angliæ Regem, Ferdinandum Austriæ Archiducem, Franciscum Sphortiam Insubriæ ducem, Julium Mediceum Florentinumque imperium, Genuâ, Mantuâ, Senâ, Lucâque conspirante, ijs legibus constitutum est, ut anno etiam post mortem valiturâ societate, alter alteri hostiliter petito opibus, aut armis speciatim pactis, jungeretur.

An. Chr. 1523.

Jovius in Hadria. Guicciard. l. 15. Belcar. l. 17.

XXXI. *Pontifex Venetos*

Egit postremò apud Venetos per Campegium legatum Hadrianus, ut arma fede-

An. Chr. *contra Turcam frustra excitat; contra Gallum deinde ut hunc ab Italia averteret, sollicitat.*

federatis ad impendentem à Turca Europæ tempestatem faciliùs dissipandam sociarent, Majorumque gloriæ æmuli, contra immanissimum tyrannum ferrum stringerent, qui magnis incrementis ferox, Italiæ Pannoniæque cervicibus superbâ destinatione incumbat. Verùm egregius ille Hadriani conatus, post inanem consiliorum jactationem, vanis speciosisque delusus titulis, Europæ multa quidem ostendit vulnera, nulla sanavit. Quocirca allaboratum est, ut à Gallicis saltem partibus ad Cæsareas Venetorum rempub. traduceret, & Franciscum, ijs destitutum subsidijs, Italici belli proposito deturbaret. Quâ in re licet Anglus Pontifici suam pro Cæsare operam adjungeret, res tamen varijs difficultatibus ac disceptationibus protracta, tardum habitura exitum videbatur: quòd Veneti Turcæ magis, quem pactionibus sibi placaverant, quàm Galli (quicum bellis superioribus contra Maximilianum Cæsarem Sphortiasque fecerant) offensionem metuerent, si Cæsari ad Neapolitani regni defensionem jungerentur, ex quo in Epirum aliasque Ottomannici imperij provincias facilis accessio pateat.

XXXII. *Eosdem ad suam Gallus opem nequicquã invitat.*

Nec defuit hisce consilijs dissipandis Orator Gallicus, qui veteris amicitiæ pacta emolumentaque opponeret, Regique jam ad Italicam expeditionem in procinctu stanti militem subsidiarium postularet: ut senatus ancipiti sententiarum varietate, ac perplexis rationum momentis distractus, neque fidem cuiquam addicere, neque disertè negare auderet, periculis in omnem sese partem objicientibus, quòd utriusque partis & amicitiæ suspectæ, & metuenda hostilitas. Denique Senatus consulto Gallis responsum est: *Venetorum remp. optimâ semper in Regem potentissimum voluntate ea observantiæ benevolentiaque dedisse argumenta, quæ ab amicissimis regiæ dignitatis hominibus expectari possent, superiorem ætatem abundè testari; cùm opportunis Regi auxilijs contra adversarios nusquam defuerint. Illam horum temporum naturam esse, quæ ob invalescentem Solimanni potentiam paria non ferant. Summum hierarcham omnibus votis viribusque orbi Christiano quietem procurare, adeò quidem, ut pertinaciter repugnantium contumaciam anathematis inflicti pœnis cohibiturus sit. Trepidare jam vicino Turcarum furore perculsam Pannoniam, suæque defensionis spem in Europæ consensione habere collocatam. Nolle se illos videri, qui flagranti bellorum incendio faces adjciant, & interversis domesticâ seditione Europæorum Principum auxilijs, terrorem afflictæ patriæ augeant.*

XXXIII. *Post ambiguã disceptationem Veneti tandem Carolo accedunt.*

His vulgatis, nulli etiamnum parti operam suam addixêre. Erant qui societatis cum Francisco initæ religionem urgerent, negarentque, *aut deserendum Regem, cui receptæ nuper Brixiæ Veronæque gratiam deberent: aut adjuvandum suis opibus Carolum; qui post Insubriæ Siciliæque regnorum possessionem Italiæ cervicibus immineat, tot præsertim in ea Ducum summique Pontificis favore subnixus. Venetos, si impotentioris Galli conatibus fautores accedant, eos esse posse, qui immodicam utrorumque Regum cupiditatem, æquis successuum momentis librent, ijsque cohibeant terminis, quibus & se invicem formidare, & Venetæ reipub. incolumitatem tolerare cogantur. Divisum utriusque per Italiam imperium minùs esse metuendum, quàm alterius, vel nimiùm auctam, vel debilitatam potentiam.* Sed ista sentientibus gravium omninò

viro-

virorum, atque ipsius Gritti Ducis suffragio reclamatum est, existimantium: *non eum esse Carolum, cui impunè Veneti obluctari possint, tantas haberi potentissimi Principis per Italiam, Hispaniam, Germaniamq; vires. Anglum etiam, nuper Carolo Hispaniam repetenti novis devinctum federibus, Franciæ arma illaturum; ut alienæ regionis trans Alpes quærendæ cura facilè Gallo adimenda videatur, ubi proprijs Penatibus ignem admoveri senserit: æquius esse, ut nativi Insubribus Duces imperent, quàm alienis nobilissima Italiæ regio Principibus emancipetur.* Obtinuit hæc sententia, ut Veneti ad Pontificis Principumque Italorum societatem, pro Cæsare datâ acceptâque fide accederent, certis in eam mutuæ obligationis pactionibus, ultrò citroque receptis, quibus armorum pecuniarumque subsidia præscripta ex æquo continebantur, quæ alteri quisque in discrimine exhibere teneretur. Anglo tamen ac Pontifici integra libertas his oneribus favoribusque utendi facta est, reliqui suprà recensiti subscripserunt. 1523.

XXXIV. *Frãciscus nihil motus Italorum cum Carolo societate in Italiam exercitũ ingentem mittit, ipse cum altero secuturus. Sed Borbonij Ducis defectio hunc sistit.* Belcarius l. 17. Jovius. Guicciard.

Nihil hæc omnia valuére ad Gallorum constantiam imminuendam, aut infringenda belli consilia. Per Alpes ingentibus sese copijs jam tunc in Italiam transfundebant, quas alio propediem exercitu Rex ipse Franciscus consecuturus erat, nisi intempestiva Gallicis conatibus Caroli Ducis Borbonij ad Cæsarem defectio Francisci studia animique destinationem intercepisset. Causam mutatæ fidei, quam raro Gallorum exemplo, suo Regi prodidit, in regiæ matris immoderatum amorem referunt. Ludovica hæc erat, Sabaudiæ quondam Ducibus nata, quæ adolescentem omnium Franciæ procerum formæ corporisque dignitate longè pulcherrimum nuptijs sibi devincire studuerat; magnis in aula regia honoribus iccircò præfectum: sed cùm is effætæ sterilisque feminæ thalamum fastidiret, Susannâ Borbonij Duce præhabitâ, dignitate atque aulâ propemodum excidit. Quas, Susannâ nuper extinctâ, eâdem facilitate rursum amantis Reginæ procuratione adijt; sed obfirmato ad omnes mulieris blanditias Carolo, versis in odia amoribus, (quæ & amantem, & feminam, & Reginam denique potenter juxtà atque impotenter inflammabant) de Borboniorum ducatu litem intendit, atque etiam filij Regis patrocinio freta, nihil minùs opinantem deturbavit. Quæ cùm ignominia cladesque altiùs Borbonij pectus insedisset, quam ut leni remedio sanari posset, à rerum suarum apud Gallos desperatione consilium mutuatus, Cæsaris militiæ nomen dedit, Eleonoræ sororis nuptijs in præmium defectionis ab Imperatore propositis. Elapsus in Italiam ex quærentium ad vincula insidijs, cum duodecim peditum, ære Cæsareo Anglicoque collectorum, millibus, Burgundiam aliaque Franciæ loca petiturus erat; quòd ex insigni, quâ apud Gallicæ nationis homines pollebat gratiâ, successum victoriarum metiretur. Quæ res, post transfusum jam Alpibus Goufferium, Franciæ militiæ Ducem, Franciscum intra patriæ defendendæ limites continuit.

Causa defectionis amor atq; odiũ Reginæ non redamata.

XXXV. *Carolus Imperator in Hispaniam rediens, Anglum sibi rursum auro conciliat,*

Inter hæc Cæsar anno præterito in Hispaniam se receperat; ut compositis istic tumultibus tranquillitatem firmiorem adderet. Ex itinere rursum in Angliam deflexerat, Regemque Henricum auro expugnandum ratus, eâ facilitate à Gallo ad se magnis pollicitationibus reducit, quâ traductus fuerat. Pendebat

An. Chr.

Rex Galliæ quot annis Anglo centum triginta aureorum millia, hoc quoque venalem Regis militiam conduxit pretio Carolus, simulque Mariam se Henrici filiam, ubi ætas nubilis pateretur, thalamo accepturum promisit, aut mutatam fidem XL aureorum millibus luiturum. Nec mora, Henricus conscripto in Cæsaris subsidia milite, tredecim millium exercitum cum insigni tormentorum apparatu in Belgium transmisit: qui, cùm totidem ferè Cæsarianarum partium millibus, flammâ ferroque per universam Picardiam grassati, non magno belli emolumento, pestilentiæ, laxatæque alvi malis Hesdino dejecti sunt, postquam illud bimestri oppugnatione nequicquam tentassent. Non tamen omissis; sed dilatis belli consilijs hujus seculi anno vigesimo ac tertio, admotis Braiæ, Roiæ, Mondisiderioque castris, expugnant, incendijsque vastant; ut Parisij, si minùs clade, certè horrore cladis perculsi trepidarent. Belgarum agmina Florentio Buranorum Comitum viro, belli strenuo; Anglorum miles Nortfolcio, majoris nominis, quàm experientiæ Duci, parebat. His Trimulius adversariarum copiarum dux, quamvis triginta censeret armatorum millia, pugnæ facultatem nusquam fecit, donec Vendomium auxilio subvenisse altero exercitu intelligeret: quos, diducto in hiberna milite, suâ vicissim expectatione Cæsariani Duces frustrârunt.

Picardia ab Anglis Belgisque magnis cladibus afflicta.

Hæc Carolus in Anglia sibi auxilia paraverat, ubi mensem propè integrum moratus, Asturam posteà, Hispaniæ oram, felici cursu tenuerat. Magno illic exceptus cultusque Ibericorum procerum studio, nuntium victoriæ, in Catalauniæ finibus contra Gallos obtentæ, lætus accepit, qui Beoviæ ac Maiæ arces inprimis munitas, non levi hostium strage in manus Hispanorum recidisse, jamque spem esse propinquam Fontarabiæ, post longam obsidionem occupandæ, diceret. Hinc digressus ante vigesimum & tertium hujus seculi annum Augusto mense Vallisoletum subijt, incredibili honoris significatione ab omni ordinum genere exhibitâ, eâque passim spectaculorum imagine objectâ, quæ rebellionis culpam aversari deprecarique videretur. Cæsar deindè Tordesillam ad matrem veniens, magnis illam obsequij ac reverentiæ officijs coluit, simulque Manes paternos sacris anniversarijs, profusâque in pauperes liberalitate, expiavit. Nec multò pòst seditiosis Castellani regni civibus gratia delicti facta est; Pimentello tamen Maldonato alijsque seditionis autoribus legibus ferroque castigatis, ut remissionis juxta ac severitatis memor, alios metu, alios amore obligatos haberet. Valentianis Mendozæ Proregis, quam protulerant, inclementia ad defensionem, & culpæ veniam profuit: quòd satis ad pœnam crederet, injuriam pertulisse, & non facilè plectendos existimaret, ubi omnes deliquissent: ne exulceraret potiùs vulnera, quàm persanare. Maiorica tamen Balearium insularum Princeps exemplum rebellionis secuta, atroci quorundam autorum exitu luit audaciam: existimante Carolo, puniendum nonnunquam in capite, quod membra reliqua deliquissent. Ceterùm ad hæc moderati Principis argumenta, fortissimi simul Ducis experimentum addidit: cùm Vallisoleti inter Hispanos proceres generosus juvenis in ludicro equestri, præstantissimos quosq; Principes sub ignoto pugnantis habitu provocaret, tantâq; felicitate artes viresq; singulorũ eluderet

XXXVI. *Magno in Hispania apparatu exceptus, post honorem parenti habitum, in rebelles animadvertit.*

In ludis deinde equestribus egregiam fortitudinem probat.

ut

ut deniq; agnitus omnium in se spectatorum applaudentium voces, admiratione virtutis, concitaverit, cùm ex hac pugnandi imagine & belli ludo pro gloria instituto, seriò nonnunquam pro salute patriæ dimicaturi successus metirentur. 1523.

XXXVII *Duo ex nobilitate juvenes duelli, in quod juraverant facultate postulantes, in arena coram Cæsare producti sunt cumque à dimicatione quisque victor pronuntiari à Carolo vellet aut arma rejungere, tum pariter ad vincula amandantur.*

Quantùm hæc illi, cùm virium, tum artis inter pugnandum exercitatio placuit, tantùm jam tum prudentissimus juvenis fædum duellantium morem aversabatur, in quo & irarum parum justi vindicatio, & publicæ tranquillitatis frequens subversio, & præsens non corporum modò, verùm & animorum esset periculum. Ejus rei exemplum id temporis perquam rarum Hispania spectavit, in quo non minus Caroli æquitas, quàm insana duellantium pertinacia admirationi fuit. Duo adolescentes Petrus Torellius & Hieronymus Anca genere, quàm virtute illustriores ex alearum lusu, subitâ contentione exarserant, ac duello congressi litem cum morte alterius finire, constituerant. Evenit, ut dum punctim cæsimque mutuò concurrerent, Torellius excusso manibus gladio, ad certum alterius ictum pateret. Ergo supplex vitam victoriamque alteri se debere fatetur. Eâ tamen lege se ei submittit, ne mortalium quisquam factorum sit conscius, ceterùm mortem sibi ignominiâ cariorem fore. Non diu res latuit, sive ostentatione gloriantis Ancæ; sive alterius observatione ac relatu prodita fuerit. Hoc Anca, illud Torellius asserebat. Unde vulgatis jam offensionibus, publico concertationem duello statuerunt absolvere. Hoc igitur à Cæsare supplici libello postulant, ex Aragonici & Castellani regni more; diemque se in foro Vallisoletano sistendi nonum & vigesimum Decembris accipiunt. Illic quinquaginta passuum area palis in terram defixis cincta, & scena hinc atque inde surgebat gemina, una Cæsareum sub umbella thronum, altera Præfecto Castellano instructam sedem continebat. humiliores scenæ sedesque pugnantium consanguineis patebant, ad harum utrimque latera duo surgebant tentoria armandis in pugnam duellantibus parata. Solenni procerum comitatu cultuque omnium magnifico, progressus ante omnes in scenam Carolus, sequebatur cum illustrium nobilium cœtu Præfectus, aderant tibicines ac tympanistæ, qui comparendi pugnandique tempora distinguerent; à codicillis seni alii, uno omnes cultu. Post hos Torellius provocator certaminis comitatus legato Castrensi instructore, alioque illustrium virorum stipatus agmine, bipennis illi rostrata, gladiusque Hispanicus, quo punctim feriunt, ac denique armatura militaris præferebatur. Ante hæc tabula una gentilitiis insignibus signata; & certaminis leges complexa altera, ad Cæsarem ac deinde Præfectum magnâ venerationis significatione cum divertisset, suo denique tentorio successit, quem Anca pari, & cultu, & comitatu insecutus, se recepit tabernaculo. Ad Præfecti majoris scenam suspensâ cum tabulis arma, atque educti pugiles coram sacerdote ac Christi à Cruce pendentis imagine, manu sacris bibliis imposita, sacramento recipiunt, justæ se caussæ opinione in certamen protrahi, nulloque præstigiarum aut veneficii, dolive illiciti genere ad pugnam venturos, sed Dei Divinoque Georgii & Virginis Matris subnixos auxilio, corporis ingeniique tantum vires ad victoriam collaturos. Subinde in statera utriusque pugilis arma examinantur, quæ,

Duellantium coram Cæsare apparatus comitatusque.

Jurant bona fide certamen se inituros.

Utrinsque arma ad stateram expenduntur.

An. Chr. quæ, ut minimùm, pondo nonaginta appendere debebant, coram testibus ea deinde quilibet suo in tentorio induit. Mox tubis indictum silentium ac voce præconis sub capitis pœna interdictum: ne quis ullo, aut verborum aut corporis motu, signoque pugnantes, vel animet vel terreat, armaque, aut sumere aut ponere jubeat, nisi ex officio constitutus. Post hæc Torellius, ferro corpus, manum bipenni, latus gladio armatus, cum suo instructore in arenam progressus, publicè à Præfecto nomen caussamq; adventûs enuntiare jubetur, ac levatâ casside agnitus remittitur. Ita postquam & Anca paruisset, tubis ad preces concipiendas insonatur, quas ubi quisque absolvisset, suosque instructores amplexus valedixisset, tertio tubarum sonitu ad pugnam evocantur. Torellius provocator, arenam primus ingreditur, gressu concitatum animi ardorem exprimente, temperato magis gradu Anca advesùm subit, quem præoccupato Torellius ictu tam validè secundum caput perstringit, ut loco quamvis obnixum propelleret. Ille tamen collecto in vires animo vix imparem plagam reposuit. Ita congeminatis in se mutuo ingenti furore sævire ictibus, impellere punctim, cæsimque artus contundere, magno brachiorum corporumque jactatione; dum convulsis bipennibus, ad luctam convolarent. Tum Cæsar fortissimos juvenes atque idonea bello corpora nobiliori servaturus cladi aut victoriæ, aureâ, quam manibus tenebat, virgâ in aream projectâ, dirimendæ pugnæ signum dedit. Ad quod triginta in eam rem parati nobiles convolant, invitosque ac renitentes pugiles suas in stationes abstrahunt. Ortâ deinde inter eos de victoria controversiâ, ejus honorem suâ Cæsar sententiâ atque autoritate ad utrumq; pervenisse declaravit: quâ cùm neuter acquiesceret: neque gravior Cæsaris sufficeret admonitio, cum experimento armorum contra Turcas oblato: turpiter areâ ejecti sunt, ac denique etiam vinculis mancipati; dum ficta magis, quam verâ amicitiæ specie postremùm convenirent, quæ inimicitiis ad mortem usque exercitis est dissipata. Ita dum victoribus esse liceret, suis fœdè affectionibus victi gloriam quærendo perdiderunt.

Acris concertatio.

Signum pugnæ finiendæ

Sentētia.

Interea Francorum res parum secundo per Galliam, Hispaniam, Italiamque eventu ferebantur. Goufferius Insubriam primis successibus non infelici bello petiisse est visus; cùm, transfusis per Alpes quatuor & triginta hominum millibus, terrorem fugamque hærentibus ad Ticinum Cæsarianis incussisset. Sed dum ad minoris momenti oppida primum impetum viresque impendit, Cremonam deinde ac Mediolanum urbes per moram confirmatas, irritâ obsidione pressiit, fortunàque sensim adversante, cœli injuriis, ac Cæsaris Ducibus Columnâ & Lanoio ita denique attritus est; ut virorum fortium istic sepulcra quidem multa, tropæa nulla erexerit. Fontarabia etiam Galliæ in Hispanorum terminis finitima, Fraugeti parum diligentis Præfecti manibus custodiæque subducta est, & insperatâ Gallis deditionis pactione, ad Hispanos conversa.

XXXVIII. *Gallorū in Italia parū felix successus.*

Sed importuna Caroli rebus mors Hadriani Pontificis fuit. Quem conciliandæ paci nequicquam incumbentem, ac denique Cæsaris contra Franciscum rebus

XXXIX. *Hadrianus Pontifex moritur.*

rebus inclinatum, inter ipsam publice evulgati fœderis solennitatem, morbus, 1523.
qui illi supremus esset, occupavit. Erant, (ut magnorum principum fata magnis suspicionibus obnoxia sunt) qui repentini interitûs principia veneno accepto imputarent. Certiùs medici ad conceptum animi mœrorem, quem tot orbis Christiani mala, sub ipsius principatu nascentia, incusserant, morbum referebant. Cùm ad pacis artes frustra se cogitationem omnem studiumque impendisse animadverteret; ut proinde à sua ipse dignitate aversus, infelicem se primùm expertus sit, cùm aliorum judicio felix esset. Hinc & illa conditi monument data Epigraphe. *Hadrianus sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit.*

XL *Inter candidatos Medicæus (Columna ultro cedente) quem Cæsarei favebant, prævalet, & Papa Clemens VII nuncupatur.*

Non defuerunt tamen, qui hunc locum cum fastidio possessum, ambitiosè prensarent, duo Purpuratorum, nobilitate, potentiâ, virtutisque existimatione egregii, Pompeius Columna & Julius Mediceus. Hic ante biennium repulsam passus, minori nunc redibat invidiâ, majori etiam juniorum adhærescentium favore: ille seniorum autoritate innixus, tantò honestiori æmulatione contendebat; quòd aliis cano venerandis senio, non sibi dignitatem illam visus sit quærere. Pompei pertinacem spem Galli fulciebant; alterius imperatori, adeo ut Patrum comitia diversis invidentum atque ex opposito faventium æstibus ad quinquagesimum penè diem jactata, vulgi etiam contumeliis acerbissimè proscinderentur. Tædium denique morbusque intra unius conclavis angustias coercitis incumbens Pompei consilia inflexit; quòd, Cæsari non aversus, seniores plerosque Gallicis studiis occupatos intelligeret. Itaque animum ab alienæ felicitatis obtrectatione generoso proposito ad favorem transtulit, Julioque, modò inimicitiæ in se aliosque susceptæ oblivisci vellet, dexteram exhibuit, quam vicissim ab illo, cum magna amicitiæ fideique obligatione delatam, suscepit. Neque verò jam plerorumque suffragatione electus Julius fefellit, cum ipso etiam nominis Clementis Septimi usurpatione suam adversariis humanitatem, odiorumque omnium memoriam abolitam profiteri voluerit. Quàm ingrata Romanis purpurati senatus cunctatio, tam accepta Julii electio fuit, qui tantâ populi gratulatione applausuque ante Basilicam Vaticanam Pontificalibus insignia induit, quantâ ante illum nemo alius, quòd spes ingentes, ex magnis ad familiæ dignitatem adjunctis virtutibus aleret; & procul ab infamibus voluptatum vitiis, inter maxima quæque utriusque fortunæ experimenta, versatus esset, eâ Princeps moderatione ac singularis laude sapientiæ; ut ad summum Ecclesiæ bonum, orbisque Christiani tranquillitatem, natus assumtusque videretur.

Jovius in vita Pompei. Gucciard. l. 15 Onuphr. in vita Clem.

XLI *Privatũ erga Cæsarem affectum electus deponit.*

Nec inani sanè Romanorum persuasione. Nam privatum, quod Cæsari hactenus impenderat studium, quam mox, ubi sacrum hoc in omnes Europæ nationes imperium cœpit capessere, cuivis etiam genti debere voluit ne omnium malè pater audiret, qui amorem ex æquo in filios non partiretur, tum, ne divisis in certos Reges affectionibus, pacis, ab omnium consensione expectandæ, copiam difficiliorem faceret; tum denique ne auctâ per Italiam Cæsaris poten-

An. Chr. potentiâ, in illo regnandi cupiditatem, in popularibus jam conceptum servitutis metum incitaret: quorum uterque *affectus difficilè regitur, ubi vel ad spem, ad desperationem immoderatè propellit.* Hanc quamvis aliquamdiu mentem, solitis in Carolum obsequiis, tegeret; tamen occasio dissimulationem prodidit. Iam Galli, ut diximus, variis in Italia cladibus per imperatorios Duces, atq; inprimis Prosperum Columnam attriti, non tantùm Mediolanensis imperii possessione exciderant; sed etiam victorem militem in patria regione exspectabant.

XLII *Cæsariani in Italia victores Borbonio autore Galliam petunt, sub Piscario Duce*

Nam Borbonius Galliæ magnâ aviditate imminebat, & hanc se non magis armis, quàm benevolentâ expugnaturum sperabat. Nec diversus ab hoc consilio Cæsar, quærere suos peregrè hostes, quàm domi expectare maluit. Quocirca, jam Prospero Columnâ vitâ functo, Ferdinandum Davalum Marchionem Piscarium, superiorum temporum bellorumque virtute probatum Ducem, Italico exercitui præfecit summum Imperatorem, cum quo Hugo de Moncada, classi, pari cum potestate, jussus ex lege præesse, ut ad Borbonii vterque consilia in hac expeditione spectaret: interea Carolo Lanoio Proregi Neapolitano cum exiguo Milite res Italicæ commissæ sunt. Rex Anglus, atque Imperator ex diuersis sese locis Galliam, ubi primus mars auspicatò cederet, invasuros receperant; ut tribus eodem tempore Franciscus exercitibus circumsessus, non tam de recuperanda Italia (quod vi totâ regni moliebatur) quàm de retinenda Gallia cogitaret. Bellum ita novum sapientûm virorum judicio ambiguê ventilatum est. Multi illud plus terroris, quàm damni illaturum hostibus existimabant, quòd non magnæ copiæ in terram, militaris vulgi fecundissimam, se temerè infunderent. Alii etiam majorem hinc Italiæ, quàm Galliæ ruinam ominabantur, quòd illa necessariis exuta præsidiis parum consultò hostili audaciæ ferroque nudaretur. Sed Borbonii spes omni difficultate superior trahebat reliquos, quæ tamen *ex vulgi gratia non minus, quàm ex vento classis pendebat, hæsura facilè cum aura deficeret.* Provincia, Galliæ pars, experimentum fortunæ datura erat. Huc Piscarius per Alpes maritimas, ne à classe longiùs abesset, cum exercitu millium quindecim contendit, Moncada sedecim triremiùm classe, apparatu bellico ac defensoribus plenà vicinum mari iter legit; sed ad ipsos Provinciæ fines se se Andreas Doria Regiæ classis Præfectus, majori triremium militumque copiâ, objecit; ut Moncada littus, ubi suis adjungeretur, trium navium detrimento, sit coactus respicere. Quin & Philibertum Orangiæ Principem, ex Hispania ab Imperatore submissum, improvisâ ignotaque Gallorum in mari classis fefellit: cùm ad hanc, velut amicam, delatus, pro hospitio carcerem haberet. Res tamen magis ad votum sese inclinare est visa, postquam expositis tormentis Provinciam subirent.

Iovius in Piscario Belcar. l. 17.

Copia maritima cladem patiuntur.

XLIII

Borbonius multorum gratulatione exceptus, ad Marsiliam habit.

Siquidem Borbonius ad Aquas Sextias delatus, magnâ civium gratulatione, acceptus est, & vicina hoc exemplo Castella pari facilitate ad eius voluntatem patebant; ut hinc statim Avenionem, ubi sedem belli figeret, cogitaret; nisi aliorum Ducum consiliis Marsiliæ oppugnatio velut tutior persuasa esset. Sed illa ingenio loci apprimè firma ac partim alluente mediterraneo, partim montibus

tibus

tibus altissimis defensa, quamvis difficilem oppugnantibus accessum faceret, 1524.
salo tamen soloque fortissime quassata est: neque Borbonii favor hic tantùm potuit, ut civitas venienti pateret, cuius licet obtinendæ aliqua se Principio spes ostenderet; obstitit tamen & Brionii Præfecti vigilantia, & inducta per Rhodanum ingentis apparatus bellici; Italicique militis præsidia. Cœptæ nihilo minùs oppugnationi naviter Cæsariani incumbebant, quamvis inutili XLIV
morâ ac labore aliorum favorem, & spes suas consumerent.

Multis de causis expugnatio Marsiliæ non procedit

Enimverò inclinatos Borbonio multorum animos regii militis, in diem magnis augmentis invalescentis, timor & Cæsariani exercitus impotentia inter Francisci obsequium detinebat. Cùm ille, coeuntibus jam copiis, in procinctu staret; hic consumptis inutili labore, ac morâ viribus audaciam constantiamque brevi amissurus videretur, fidem igitur malebant sine periculo Regi servare integram, quàm cum discrimine amorem suum probare Borbonio. Accedebat Henrici Anglorum, ac Caroli Imperatoris neglecta promissio, quorum uterque bellum aliis Galliæ partibus inferendum morabatur; hic quidem argenti frustra in armorum usum postulati, inopiâ ille fidei rerumque Cæsari præstandarum incertus: quod post ingentes militiæ impensas spem pecuniæ à Carolo numerandæ amitteret; ut qui impar propriæ seu indigentiæ, seu cupiditati ærarium possideret, vastissimi imperii, tamquam corporis moderator, in quo necessitas non parum alimentorum requireret. Præterea ex Italiâ nullæ à Lanoio, ut convenerat, missæ suppetiæ, quod Itali Principes, Cæsari ex fœdere addicti, sublato Pontifice timidè parcèque opem sufficerent. XLV

Franciscus Gal. Rex ingentes in Italiam copias ducit, statimque Mediolanum occupat.

Inter tam dubiæ suspensæque felicitatis auspicia, illud magis etiam Cæsarianorum animos consiliaque turbavit, quod Rex Franciscus egregius periculorum, quæ domi imminerent, contemptor, magnis se copiis, audaci proposito in Italiam transfunderet, eâ deliberati animi destinatione ac dissimulatione, ut militem Ducesque, consiliorum ignaros, promptâ festinatione secum magis raperet, quàm duceret: tanta spe rei bene gerendæ prædæque ac gloriæ expectatione suos impleverat. Tam insperatum Regis facinus neque Piscario ceterisque Cæsaris Ducibus prævisum, omnium animos atque arma ad Italiæ defensionem à Marsilia convertit: ne Insubriam præsidiis nudam feroci ac non feriaturo hosti relinquerent. Quocirca non intermisso trium ac viginti dierũ itinere per abrupta deviaque locorum Papiam eo tempore pervenerunt, quo Franciscus per Alpes Peninas Turinumque ingressus, haud procul Mediolano, ad Ticinum flumen constitit. Vbi occupatis ille, quos in navibus reperit Hispanorum tormentis, fecialem ad urbem destinat, qui se dedentibus pacem, recusantibus arma offerret. Simul equitum turmam cum Mediolanensium transfugis ad portarum aditum invadendum submittit. Franciscus Sphortia, ubi destitutam urbem milite vim Gallorum minimè diu laturam videret, fugâ præsenti se se periculo subduxit, nec multò post Lanoius cum Piscario nonnullisque copiis ingressi, postquam exigua vastæ urbis & à militari annona & ab incolis præsidia comperissent, jamque ad mœnia Galli maximum admovissent exercitum

An Chr urbe excessêre, nihilque ad salutem civibus deditione certius, præsidiariis fugâ tutius visum est. Quare eodem, quo Franciscus tempore, porta Vercellinâ exceptus est, imperatorius miles Romanâ abiit, tantâ omnium trepidatione, ut neglectis armis, ordine, Ducibus, nec consilia, nec imperium admitterent, totiesque victores fortissimorum hostium, nunc sine hoste propemodum vincerentur. Certè hæc Regis Francisci incuria, quâ recenti felicitate ebrius, hostem timidè sparsimque vagantem neglexit opprimere, magnam benè auspicatæ victoriæ partem corrupit. Vrbi, victoris clementiâ, deditio innoxia fuit, nec sanè magnæ hæc cladi opportuna erat, ita sævissimus pestilentiæ furor æstate proximâ grassatus, quinquaginta millium funeribus omnia deformaverat; ut miserationem hostium magis, quàm indignationem mereri videretur. Rex ante illam cum castris substitit, tanquam dignus videri nollet, quem Metropolis acciperet, cùm cetera regni membra nondum ad obsequium in-
XLVI flexisset.

Cæsariani interea Papiam necessario præsidio muniunt, quam tamen Franciscus obsidet.

Piscarius ubi spe Mediolani defendendi excidisset, ad Papiam (olim Ticinum) omni curâ studioque muniendam conversus est. Hanc Antonio Levæ, experti roboris constantiæque viro, cum Hispanis quingentis & quinis Germanorum millibus, propugnandam tradidit, summisque periculis remedium, opemque à se promisit. Interritus ad hæc Franciscus ubi plurimum valere hostem sensit, istuc vires omnes impensurus, obsidione Papiam sub Novembris principia cinxit. Piscarius reliquum militem Laudi Pompeæ colligebat, ad hostium conatus observandos, atque opportune nonnunquam infringendos, quod, neque ipse, neque ex urbe Leva negligenter præstitêre. Hæc inter, cùm ex Angliâ Hispaniaque auxiliariæ nullæ copiæ subvenirent, in Germaniam ad Austriacos magnâ celeritate Borbonius se contulit, ut Ferdinandum
XLVII Cæsaris fratrem ad subsidiorum gratiam inflecteret. Lanoius ex confederatione Italica spem opemque rebus inclinatis expectabat.

Pontifex cum Venetis metu Gallorum, à Cæsarianis se subtrahunt, neutri partium adhæsuri.

Sed jam Pontificis, Venetorum, ceterorumque Principum animi ad fortunæ motum fluctuantes, à Cæsare ad Gallum spectare cœperunt, incertum metu, an spe, an utroque? Metuere quidem & Regem & Cæsarem videbantur; illum ingentibus modo animis viribusque inter secundos rerum cursus subnixum; hunc affectatæ Insubriæ suspicionibus gravatum, ut eluso denique Sphortiâ rerum per Italiam potiretur. Nec argumentum timoris deerat. Cùm & Maximilianus olim Carolo Mediolani Principatum destinasset, & frequentibus legationibus, totiusque propemodum Italiæ querelis efflagitatum possessionis diploma, nondum Sphortia à Cæsare obtinuisset. Metum auxerat indignatione permistum suscepta nuper in Gallos à Cæsare expeditio, quæ necessitatis omnino nihil, temeritatis ambitionisque habere plurimum existimabatur. Quæ enim ratio tam exiguo milite Galliam petendi illis, qui, nisi im-
XLVIII mensâ omnibus imperandi cupiditate tenerentur, parti acquiescerent, & ante incertam belli aleam, certam pacis possessionem haberent?

Itali divisum.

Spem igitur majoris tranquillitatis divisi inter Gallos, Hispanosque Italiæ

termini

1529. termini nonnullis fecerant: alios Neapolim, Mediolanum alios obtinere malebant: quasi nondum, tot ætatum experientiâ docti scirent, alterutram ab Italia gentem arcendam esse, ut quiete integrâ fruerentur. Nimirum perniciosa semper Italis illa studiorum in hanc alteramve nationem, pro temporum factionumque diversitate, inclinatio comperta est: qui si uni constanter, aut nocere, aut favere pergerent, bello frequenter carerent. Hæc, quamvis nonnulli sagaciores non ignorarent, scire tamen nolebant, tum ne potentioribus inter suos facultatem, per externæ gentis otium, sese opprimendi facerent; tum ne, unius peregrinæ nationis auctâ per Italiam potentiâ, in antiquam tyrannidem reciderent: quâ nihil acerbius formidare poterant illi, qui tot retrò seculis, aut libertatem domi, aut foris etiam imperia possederant. Nullum iccircò in Italia Regem esse cupiebant, qui non majorem se Regem, aut æqualem metueret, quorum vim potiùs ipsi spectarent, quàm paterentur, victorias ita subministratis auxilijs moderarentur, ut alter alterum magis premeret, quàm opprimeret. Ita sibi minùs putabant metuendum, si alij in Italia essent sibi mutuò timendi. Plebi etiam Cæsareus Gallusve miles remedium avertendæ servitutis non rarò visus est; cùm sub procerum suorum tyrannide gemeret, & dominorum odio servitutem, si non excuteret, saltem cum dominis (quæ est aliqua oppressorum voluptas) mutaret.

Gallos Hispanosque imperium habere in Italia, quàm alterã plenè istic gentem dominari malunt, servitutis sibi ab alterutra imminẽtis metu.

XLIX. Sed eo res Italiæ loco erant, tanta utrorumque Regum ambitio, ut neuter alterum secum regnantem toleraturus esset. Vix Mediolano potiebatur Franciscus, exclusus etiamnum Papiâ, ceterisque Insubriæ partibus; cùm jam regnum Neapolitanum consilijs armisque peteret. Egerat jam evicceratque apud Pontificem Venetosque, ut medij utrorumque, ac velut fortunæ bellorumque arbitri consisterent; neque opis quicquam ab illis, neque offensionis, aut Cæsari, aut sibi accederet. Sed ubi Rex per Romanam ditionem aditum suis ad Neapolitanum regnum postulasset, anceps rursum consilij Pontifex, suâque expectatione frustratus, animadvertit Francisci quoque cupiditatem Insubriæ terminis includi non posse. Jam se eò propemodum necessitatis recidisse viderat; ut dum neque Cæsarem, neque Regem cuperet lædere, in alterutrum, aut etiam utrumque offenderet. Cæsar se desertum esse, hostili propemodum indignatione, acceperat: Franciscus hanc repulsam armis etiam vindicaturus credebatur: quidquid ageret, intra Romani agri fines exercitus, forsan & bellum admittendum erat. Urgebat pro Cæsare ratio, quâ nuper Apostolicæ sedis beneficio, ac voluntate Leonis Pontificis, Rex Neapolis dictus fuerat, contra quam Franciscum dissimulatione suâ atque etiam indulgentiâ adjutum, quicquam moliri indignum videbatur.

Franciscus nondum Insubriâ potitus, Neapolim cogitat, postulatq; militem per Pontificis ditionem transmitti.

L. Operam proindè dedit Pontifex, ut Regem ab hac mente averteret: ostendens, quantum periculi hæc expeditio habitura esset, incertâ etiamnum apud Insubres belli aleâ. *Rem difficultatis atque etiam discriminis plenam esse, in Cisalpina simul Galliæ, extremisque Italiæ oris armorum fortunam experiri: non temerè dissipandas unius exercitûs vires, in quem propediem, auctis ex Germania hostes copijs, vim suam* ex-

Pontifex frustrà Regem ab hoc consilio avocaret, idque Cæsari indicat.

An. Chr

experturi essent. Insubriæ primùm integrâ possessione potiretur; ope se etiam studioque omni illud enixè acturum, ut hæc illi salva perpetuaque maneat. Simul per literas Cæsari indicat, non permissurum se, ut Galli ad regnum Neapolitanum aditum reperiant. Hoc pacto spes Regum Pontifex morari atque alere, amicitiæ erga omnes ostentatione, cupiebat; dum ab implicata consiliorum ratione illum, aut inclinata belli fortuna, aut pacis agitatæ persuasio expediret: quam se, ijs utrimque legibus, impetraturum conceperat; ut Cæsar Neapolitanis, Rex Insubribus imperaret: Franciscus verò Sphortia, in Cardinalium adscitus collegium, viginti aureorum millia ex ducatu quot annis haberet.

LI

Miles Gallicus Neapolim improvisò penetrat, Pontifice pacis eas leges nequicquā suggerente, quibus Gallus Mediolanum retinere queat.

Sed cùm Rex, non expectato Pontificis responso, Joannem Stuardum Albaniæ, ex sanguine Scotorum, Ducem, cum expedito milite Romam Neapolimque iter accelerare jussisset; Paulum Victorium ad Proregem Lanoium Pontifex ablegat, monetque, hostem, sese inconsulto, frustraque sine viribus obluctaturo, Neapolim per suas ditiones iter capere, novamque sibi imponere necessitatem, per honestas cum Rege pactiones suorum indemnitati consulendi, in quibus tamen nihil Cæsari noxium admissurus sit. Suadere tamen, ut ab armis tantisper ita dubium belli negotium ad inducias transferant, pace fortassis remedium denique malis facturi. Id, modò ipsi non detrectent, spem esse abs Rege impetrandi, si Mediolanense imperium alteri filiorum Regis permitteretur, certâ pecuniæ vi, ejus facti gratiâ, ad Cæsarem redeunte. Et quidem plerisque Cæsarianis ducibus non iniqua hæc Clementis postulata visa sunt. Sed Piscarius atque etiam Prorex contendebant, arma sibi adversus Insubriæ invasores à Cæsare commissa esse, quæ, dum vita viresque sinant, in ejus defensione posituri nunquam sint: aliter Pontificem tranquillitati publicæ debuisse servire, quàm ut infestam Italiæ gentem suis finibus acciperet.

LII·

Cæsaris in Pontificem gravis indignatio.

Cæsar etiam ubi societatis cum Rege, occultè quidem antè contractæ, sed tum primùm vulgatæ literas à Corso Oratore accepisset, animi indignantis offensionem tantò acerbiùs prodidit, quantò *acriora sunt odia amicorum, quàm hostium, obliteratæ benevolentiæ injurijs provocata.* Ego, inquit Cæsar, *non ambitione, non aliâ cupiditate inflammatus, sed Iulij quondam Medicei* (nunc Pontificis) *apud Leonem omnia moderantis, consilio impulsuque hoc bellum suscepi, quo amotis ab Insubria Gallis, Italiæ universæ quietem defenderem. Vnus ipse id temporis quàm vehementissimè rationibus contendebat, multùm ad publicam Italiæ salutem allaturum præsidij, qui inquietam Gallorum gentem trans Alpes amoverit. Vnus ipse maximus, & autor, & promotor federis, quo Hadrianum imperio obligavimus. Eò certè molestior accidit, perniciosa illa sententiæ inconstantia, quâ tam lubricâ inflexione, in adversam partem delabitur, ac damnatam jam pridem opinionem amplectitur. Quæ ratio, ab amicissimo sibi homine, tam levi rerum momento deficere, nisi omnis illi benevolentia nostra vilis sit? An ignorat, quantùm in electione nuper pro illo dimicationis mihi susceptum, quos amicos, quos adversarios expertus sit? Quæ verò necessitas, nisi ab inutili metu inflicta? Adeòne properè & Cæsaris gratia, & Gallorum odia obliterata sunt? Nondum animadvertit, quantum Francisci victoria spei intercipiat, timorisque non modò Pontifici, sed Italicæ libertati conciliet? Sed non sum*

is,

is, quem tam iniqua atque inexpectata decreta terreant, cœptis obfirmatè contra vim omnem machinasque adversariorum insistam, neque regnorum ceterorum discrimine, neque vitæ ipsius periculis retardatus. Ad quæ Orator Pontificius ea reposuit, quibus ostenderet: *Pontificem, ubi privatam personam unà cum Iulij nomine deposuisset, ibi & privatas, Cæsarique olim addictas animi affectiones reliquisse, ne ad communem Christianæ reip. curam partium adferret studia, tranquillitatis arbiter impulsorque constitutus. Si olim bella suaserit; jam divisis in gentes amoribus, pacis suppeditasse consilia: atque etiam temeritatem illam Ducum imperialium damnasse, quâ Galliam nuper periculosè adire, quàm tutò Italiam defendere maluerint. Vitio neglectæque fidei nemini dandum, si in discrimine securitatem, etiam apud hostes quærat: hanc tamen nonnisi coactum accepisse Pontificem: ut cum Gallos finibus non posset, damnum arceret.* Sed & scriptis literis Cæsari grati animi, officiorumque neglecta erga Clementem memoria exprobrata est: ostensumque, quàm iniquè Alphonso Ferrariæ Duci Regij Lepidi Rubeiræque, per interregnum Pontificium, invasori Lanoius faverit, atque etiam per contumeliam *adjiciendam illi, tanquam in præmium factorum, Mutinam*, dictitârit. Eò verò odiorum Cæsariani in Clementem provecti erant, ut protervè, velut spuriâ electione constitutum, Pontificiâ sede, universalis Concilij autoritate, eliminandum minitarentur. 1523.

LIII. *Pontifex inter armatos, neglectis proprijs armis, indefensus.*

Inter hæc Veneti, pari cum Pontifice obligati Gallis fœdere, tanquam spectatores fabulæ aderant, in eventum intenti, quo sua consilia moderarentur. Quos quidem si audijsset Pontifex: armatus, majori apud Regem utrumque autoritate, & sua tueri, & partium medius, illi, qui iniquiùs pacis, justive belli rationes detrectasset, armorum cum hoste jungendorum terrorem intentare poterat. Idem se Veneti facturos receperant, modò socium adjutoremque consiliorum haberent. Sed ne rem laudis securitatisque plenam expediret Pontifex, magnopere & ærarij tenuitas, & ingenij minimè profusi tenacitas deterrebant hominem, cunctatione prætereà gaudentem, atque ex alienis rerum successibus rationum suarum momenta ponderantem. Dignæ quidem illæ artes moderato Pontifice; sed ad parandam Italiæ tranquillitatem parùm opportunæ.

LIV. *Cæsaris Duces anxij, an ad regnũ Neapolitanũ defendendũ sequerentur; tandem consultò subsistunt, ne utrumq; simul amitterẽt.*

Hæc tamen Clementis ad Gallorum conatus dissimulatio, & inexpectata magnanimi Regis audacia, quâ ad utriusque imperij possessionem uno marte contenderet, anxios perplexosque Cæsaris Duces tenuit, Insubriam, an Siciliam defenderent? ad tuendam illam, diviso licet Gallorum exercitu, vires etiamnum manebant impares: ad hanc si abirent, metuendum, ne brevi post se victores toto exercitu traherent, & Neapolitani antiquis adhuc Gallorum studijs occupati, facilè impetum belli fortunæque sequerentur. Lanoio Proregi Neapolis defendendæ injecta cura est; ne Galli jam velut de Insubria triumphantes, ubi ad regnum, ducibus præsidijsque destitutum, venirent, apertis urbibus ab ambigui favoris populo admitterentur. At Piscarius, qui ad infracti animi robur militaris disciplinæ calliditatem adjunxerat, longè diversa sentiebat. *Ignominiæ plenum esse, ita neque armis, neque alia necessitate impulsos parto recens imperio discedere, hostiumque spem, atque amicorum desperationem augere. Nondum experimen-*

An. Chr. *tum fortunæ in Inſubria à virtute adverſariorum deſumptum : incruentam hactenus eorum eſſe victoriam : intercepiſſe Mediolanum ſine æmulo ac ſanguine : eandem nunc viam ad cetera habituros, ſi artes ſuccederent, quibus amoturos ſeſe Inſubriâ adverſarios ſperent. Non uſque adeò, aut Neapoli timendum, aut fidendum Papiæ; ut illa, ſubductis præſidijs, munienda, hæc deſerenda videatur. Inane ſtratagematis Gallici terriculamentum eſſe, quo fortes circumſpectique Duces moveri non debeant. In detrimentum hoſtium hæc brevi conſilia detorqueri cautiori arte poſſe; modò in rebus dubijs non dubiæ virtutis animum gerant. Sex in caſtris Germanorum peditum millia cenſeri, robur exercitûs: majora etiam præſidia haud multò pòſt cum Borbonio adfutura. Hæc in unum corpus eſſe colligenda, ac de ſumma rei cum Franciſco decernendum, cujus vires diſtractæ pronam Cæſari ſpondeant victoriam. Quâ ſemel impetratâ Neapolitanos extra periculum ſtare : qui etiam victi, ejectis de Inſubria Gallis, facilè ad obſequium reducendi : amiſſis verò Inſubribus, ne victores quidem in officio retinendi ſint.* Valuit ea Piſcarij ſententia ad perſuaſionem. Neapolis tuendæ curam Honoratus Caietanus, & Aſcanius Columna accepêre.

LV. *Regis Angliæ & Germanorũ, duce Borbonio, copijs Cæſarei augentur.*

Pacis & induciarum repudiata conſilia, omnis utriuſque partis cogitatio, atque induſtria ad vires exercituum augendas converſa. Rex Angliæ miſſis ad imperatorios ſuppetijs robur illorum auxit, Borbonius etiam, officiorum ſuorum impiger, cum quindecim facilè Germanorum millibus, mediâ hyeme, menſe Januario, Alpium juga nivibus glacieque impedita penetravit, atque eodem abiens rediensſque veſtigio, Franciſcum ante Papiam reperit, injurijs ac Germanorum virtuti nequicquam obluctantem. Jam tum primum fortunæ principio arridentis favorem, in ſuſpicionem inconſtantiæ traxit, & formidare magis bellum quàm hoſtem cœpit.

An. 1524.

LVI *Antonius Leva fortiſſimè Papiã contra Franciſcum tuetur.*

Enimverò caſtra parum felici ſucceſſu Papiæ jam in tertium menſem admoverat, fruſtrà hyemis aſperitatem laboreſque obſidionis tulerat, Antonio Levâ ad omnem ictum fraudemque intercipiendam intento. Sphortiæ diligentiâ, extra pecuniam, ceterarum rerum in urbe penuria opportunè levata eſt. Æris etiam inopiam liberalitas atque induſtria Ducum utcunque minuit; cùm vaſa ſuppellexque argentea in monetam uſumque militum recuſa, hoc titulo vulgaretur : *Cæſariani Papiæ obſeßi MDXXIV.* Urbs ipſa non tam loci ingenio, quàm invictâ Germanorum virtute, quæ etiam poſt murorum ruinam muro erat firmior, contra vim Gallorum durabat.

Vrbis & caſtrorũ ſitus.

Planitiem illa nonnihil declivem occupat, quam Ticinus fluvius, ex Alpibus per Lacum Verbanum fuſus perluit, & amœniſſimâ hortorum fertilitate beat. Diſtributum juxta urbem, in geminos aquarum alveos, flumen, inſulæ ſpeciem effecerat, quam ex lapide elegantis duraturique operis pons muris adjungebat. Hanc cum parte exercitus ad meridiem ſitam obtinebat Mommarantius.

Circus ingens.

Ex oppoſito Circus erat ſedecim paſſuum complexus millia, cum agris omni fructuum varietate excultis, tum frequentibus ad ferarum cuſtodiam ſilvis diſtinctus. Hic Occidentem verſus ad Ædem Salvatoris caſtra Franciſcus muris vicina metabatur. Orienti indè Palicia alter Gallorum Dux cum reliquijs copiarum acceſſerat. Primam vim ter-

terroremque ad desperationem obsessorum valiturum Rex existimaverat. Quocirca robur omne virorum machinarumque admovet, nec conatu irritum: cum fatiscentibus longè murorum ruinis pleno agmine succederent Galli, non minori inclamantium horrendè militum, quàm armorum strepitu. Leva, qui majorem in virtute propugnantium, quàm urbis munitione fiduciam collocaverat, nil contrà trepidè, nil segniter aggrediebatur: aciem suorum pro muro objecerat, quorum animis sola Germanici nominis gloriæque injecta recordatio, ad constantiam sufficiebat. Acris hic cruentaque, adversus & pro mœnibus stantium, decertatio; quam funesto spectaculo extractam, hiatus denique Gallorum cadaveribus oppletus ita diremit; ut Germanos hominum, Gallos tantùm lapidum stragem edidisse diceres. Per hæc deindè ad urbem incedere immane nimium Francisco visum est. Igitur arte magis ac tempore premendam ratus, aliò ingenium viresque convertit. Pontis usum resciderat Leva Mommerantio, ut hàc aditum sperare desinerent. Ergo ad totum ab urbe flumen avertendum succincti Galli: illo capite, quo per divortium in bina velut brachia Ticinus solvitur, ingens terræ moles alteri ostiorum fluminis objicitur; ut intra remotioris alvei ripas coactus denique Ticinus, urbem aquarum præsidio nudaret. Neque vanus Gallorum labor jam fluvium per objectos aggeres constrinxerat: cùm cœlum felici obsessos tempestate propugnavit, solutisque profusè imbribus, tantâ undarum colluvie Ticinum auxit, ut hic repagulis terrarum laxatis operam ingeniumque Gallorum facilè eluserit: adeò pro Cæsare, non homines modò, sed & elementa pugnabant. Attamen hac ope dejecti hostes nondum animos consiliaque à proposito inflectebant; sed contra fluctuum contumaciam obnisi, majori sibi opere victoriam spondebant, nisi jam periculorum ex observatione cautior Antonius Leva, murum vallo fossâque ingenti urbem inter Ticinumque egestâ, munijsset, ac spem industriamque adversariorum novis objectam difficultatibus fatigasset.

1524. Oppugnatio & repulsa cruenta.

Flumen ab urbe aversum & redditum.

LVII. *Expeditio Neapolitana infelix.*

Accedebat ad hanc obsidionis tarditatem, cœpta hominibus Divisque obluctantibus Neapolitana expeditio, quam Regis auspicijs Dux Albaniæ moliebatur. Hic præter equites sexcentos, decem peditum millia secum trahebat, jamque regno infusus, vi astuque incolarum in Hispanos fidem exploraturus erat. Et certè res ex voto acta, debellatumque istic non magno negotio fuisset, nisi eodem penè tempore, quo Franciscus Cæsarianorum vim ad Papiam experiebatur, alia de cœlo pestilentiæ tempestas adeò hic in Gallos atrociter grassata fuisset; ut neque socijs, qui vincerent, neque hostibus, qui vincerentur, relicti essent. Nec multò hâc levior clades illa, quamvis sine funere, censeri potuit, quia Rhætorum populi Gallicis stipendijs adducti, domesticis suorum periculis revocati sunt, astu industriâque Jacobi Medicei. Hic ex illustri Mediceorum, qui Insubriam incolebant, familia, cùm ancipitis fidei suspicione apud Sphortiam laboraret, illam inaudito fortunæ casu promeritam, rarissimo quoque exemplo statuit avertendam.

LVIII. *Jacobi Medicei*

Rem posterorum dignam memoriâ repetitis paulò altiùs principijs lubet

facinus, ingenium & stratagema, quo Rhæti à Gallorum castris abducti sunt.

com-

An. Chr. commemorare. Astorem Vicecomitem populari Mediolanensium favore ad Sphortiæ metum usque, & summam Hieronymi Moroni (qui in aula Ducis omnia moderabatur) invidiâ subnixum, mediâ urbe ac luce, tanquam perniciosum Reip. civem Jacobus trucidaverat, & Mussiana illi ad Lacum Larium præfectura in præmium audaciæ, Moroni sponsione, promissa erat. Sed cùm autor et crede batur Sphortia, ac perpetrator tanti facinoris Mediceus extremâ apud populum infamiâ odijsque conflagrarent; Dux ipse Sphortia extra necis intentatæ periculum vix consistere poterat, nullis ignorantiæ voluntatisque à cæde alienæ, excusationibus apud cives satis defensus. Ut proindè (Moroni vaferrimi hominis persuasione) percussorem Astoris Mediceum, per honoris delati speciem, popularibus odijs immolare statueret. Quocirca literis instructum tanquam ad præfecturam Mussij capessendam ablegat. Sed Jacobum omni fraudûm disciplinâ solerter imbutum, hoc consilium non fefellit; cùm ignoraret minimè eam cruentorum plerumque facinorum gratiam esse, quæ flagitio parta, flagitio compensetur. Principum scelera non raro subditorum pœnis castigari, ut suam innocentiam alieno sanguine contestentur; & cùm virtute non possint, novo crimine suspicionem criminis amoliantur. Serâ igitur equinâ solutis à cera literis, ubi parùm vano timore se ad cædem Præfecto arcis tradi comperisset: novam alio argumento epistolam concipit, quam eâdem consignatam cerâ Præfecto obtulit: adeoque præclarè fraudem ultus fraude est; ut illo cedente locum arcemque occupaverit. Non multò pòst Gaufferius magnis in Italiam copijs per Alpes illapsus, & denique Franciscus ipse, anxium licet fluctuantemque Mediceum, ut sibi certiori spe salutis adhæresceret, frustrà persuadere sunt conati; quòd amissæ fidei damnum infra vitæ periculum non æstimaret, malletque cum discrimine fidelis, quàm cum securitate perfidus haberi. Spem tamen magnam hoc ultimo præsertim bello Gallis, Rhætisque Gallorum confederatis fecerat; sed vafrè illorum, cùm promissa expectarent, conatibus delusis, fraudem pro virtute habuit; ut cùm fidem hosti falleret, suis probaret. Nunc etiam cùm res Insubrum lubricæ ac præcipiti fortunâ niterentur, in omnem opportunitatem vigilabat; ut egregio facinore, veterem apud populares ignominiam, ac Sphortiæ indignationem detergeret. Neque occasio volenti defuit. Erat in Rhætorum finibus Clavenna oppidum Alpium radicibus, in reducta valle, accumbens, geminâ ex proximis rupibus arce defensum: quarum altera supra vim omnem repentinam collocata, adiri, nisi angusto per rupes inciso aditu, non poterat; altera oppido arcique, humiliori loco, interjecta, ultrò citroque commeantium viam intercipiebat, ceterùm habitatore vacua, ac suis propemodum ruinis sepulta. Huc Mediceus Riccium animosum juvenem, ejusque loci accolam, cum novendecim socijs destinat, qui experirentur casu aliquo, an virtute suâ hostibus arcem solius præfecti custodiâ defensam extorquere possint; se, ubi fortuna audaciæ faverit, cum milite subsidiario adfuturum, quo oppidum cogat. Nihil actum à Riccio meticulosè, aut segniter: noctu adiuit, Meramque, arci vicinum amnem, penè glacie rigentem vado cum socijs transgressus,

Clavennâ Medicei astu interceptâ, Rhæti ad defendendâ patriam revocantur.

1524.

greſſus, inter deſertæ arcis rudera reliquum noctis, ægrè madidum corpus contra frigoris injuriam tuitus, ſubſtitit; dum exacto diluculo, Præfectus arcis, ex ſolemnis diei, qui aderat, conſuetudine, oppidum, filio ac paucis ſatellitibus ſtipatus, peteret. Hunc ubi tranſeuntem per inſidias occupaſſent, ferro per filii etiam corpus adigendo ad deditionem arcis coegerunt, tanto rei patratæ ſilentio, ut quadraginta facilè ex urbe, qui Præfecti abſentiam morbo improviſo imputarent, alii poſt alios affluerent, omnes captivitate intra arcem cum Præfecto collecti. Hoc viginti hominum facinus erat, quod cùm diu in urbe latere non poſſet, vis ab incolis accoliſque arci parata eſt; ſed admonitus Mediceus tempori adfuit, quem, numero licet oppidanorum viribus imparem, conſuetis ingenii artibus fidentem nihil deterruit, expedito agmine noctu urbem aggreſſus, turmis lociſque diverſis, ad magni exercitus ſimulationem tympana increpuit. Valuit ad terrorem apud fraudis ignaros fallacia, pars improviſo metu dejecta omne ab armis ad fugam conſilium tranſtulit; paucis audacia & præſens in diſcrimine animus ad reſiſtendum ſuffecit, facilis erat contra obnitentes, atque in varias ſententias viaſque diſtractos victoria, quanquam Mediceo non omnino incruenta, ſed ille licet plumbeâ glande debilitatus, nihil ex animi vigore remiſit, dum oppido atque utrâque potitus arce, in vacua propemodum civibus urbe dominaretur. Lætus his ſucceſſibus Sphortia cum majoribus copiis Archianum ſubmittit; ne Rhæti, gens pugnaciſſima, animis viribusque ad ſui defenſionem collectis, hoſtium imbecille præſidium urbe exturbarent. Sed Archianus, Medicei conſilio, ad proximos vallis Telinæ incolas converſus omnia latè belli tumultibus implebat. Vt Theganus, Rhætorum Gallico ære militantium imperator, literis periculiſque ſuorum revocatus, Rege nequicquam ſtomachante, precibuſque promiſſa ingentia cumulante, ad patriæ defenſionem abſcedere ſit coactus: quanquam corruptæ largitionibus fidei, objectæque avaritiæ infamiam non evitarit, ſingulari etiam certamine à Leſcuto, fortiſſimo Gallorum Duce, ad diluendum ſanguine crimen ſit provocatus. *

* Ericius Puteanus in hiſt. Medicea his verbis diſſerit.

„Hac defectione, concuſſis reliquorum animis, à metu & torpore ad ſpem „novam fiduciamque Sphortia erectus pugnandi cogitationes inſtauravit. Lanoium reliquoſque duces Moronus incitabat, quia belli aleam tentare placuit, exploranda jam militum quoque voluntas erat, qui ſtipendia nuper flagitarant, per inopiam obſtreperi, & ad tumultum proni. Piſcarius igitur gloriæ deſiderio maximè flagrans, undique copias contrahit, & conficiendi belli occaſionem commendans magnis promiſſis variâque oratione omnium animos implens, obnoxios ſibi reddit & ad pugnam capeſſendam animat. * *Ne recuſarent fortes eſſe, aut ſummam bello manum imponere. Se virtute eorum fretum, quàm pluris ſemper gloram, quam pecuniam fecissent, nunc, cum maximè ſtipendia numeranda eſſent, ad diſcrimina adhortari. Sed Cæſarem eſſe, qui deberet: eius nemini unquam militiam fraudi fuiſſe: brevem dilationem æris liberalitate penſatum iri. Adjungebat certiſſimis ſe nunciis admonitum, ingentem pecuniæ vim ex Hiſpania jam tranſcriptam eſſe;*

LIX
Rhætorũ diſceſſu erecti ingẽ pugna Cæſariani ad caſtra Gallica expugnãda animantur.

O

An. Chr. *esse: ne ambigerent potentiam maximi Imperatoris etiam fide vinci: ut bella sunt, impedimenta quoque obiicii, in angustiis autem rerum amplius esse, moram ferre, quàm stipendium meruisse. Hæc se illis dicere, quos sciret famæ desiderio duci. Sed si fructum militiæ spectarent, suavius post victoriam æs fore. Notum, & infelicitate sua contemptum evibiluisse hostem: superari & fugari posse, nuper virtute ipsorum victum atque Italiâ expulsum. Ipsum quidem jam adesse Regem post tot clades, non præsidium virium, si fortes essent; sed augmentum prædæ, si victores. Circa muros unius urbis desidere, lente agere, & victi imaginem induisse; exhaustum robore exercitum, abiisse Rhætos, cum reliquiis tantùm copiarum rem fore; & has obsidionis tædio potius, quàm otio elanguisse. Nihil se de ingenio hostium dicere, omnem in primo impetu vim esse: sustinerent, facilem successum fore. Vt flammæ quædam è paleâ, aut stupa plus lucis, quàm ignis habent: sic terrorem omnem esse, ostentari magis, quàm inferri, effundi iram ut deficiat, quemadmodum & animalia quædam amisso aculeo torpent: mox in pavorem minas commutari. Itaque animos sumerent Cæsaremque cogitarent: pro tanto nomine fortunam fore.* * Facilis ardor Hispanos corripuit: & horum exemplum Germani secuti pollicentur operam, generosum rati, trimestri obsidione obsessis opem popularibus ferre. Sed ampliùs quoque fata destinarant: præcipitare Gallorum vota, & prostrato atque exciso exercitu regio, novis dissidiis armisque Italiam distringere. Vt fallax fotunæ vultus est, repentinam rebus mutationem una dies, unumque prælium attulit, cum magna pecuniæ inopia duces Cæsarianos premeret, & non pugnare quoque clades esset. Egestatem seditio sequitur, & hæc corrumpere spem relictam poterat. Sic verò Piscarius, quæ in promptu non erant stipendia, rapere statuit, & quicquid miles flagitaret, hosti extorquere. Vniversum exercitum in duo equitum, quatuor peditum agmina distinxerat. Primum ex Hispanis, Germanis, Italisque; Secundum è solis Hispanis; tertium quartumque è Germanis conflatum erat. * Ipse enim Piscarius licet sine imperio penè esset, postquam Alphonsum Vastium patruelem, loco suo, peditatus constituisset ducem.

hucusq; Puteanus.

LX *Piscarius admirabili judicio, prudẽtia, ac memoria Dux.*

Tamen unus militum Ducumque arbitria, admirabili judicio prudentiâque ita moderabatur: ut ipsius consilium nutumque spectarent universa: incredibili memoriâ, plerorumque, etiam gregariorum nomina, officia, virtutisque, ac rerum fortiter gestarum argumenta ita complexus fuerat; ut enarrare singula, & pro cuiusque indole ac facultate laudem impertiri, muneraque imperare nosset. Ita duobus ad Gallorum castra transfugis militibus, qui pœnæ ex delicto imminentis subterfugiendæ gratiâ, fidem militiamque Cæsaris deseruerant, rursus denique est, factâ sceleris veniâ, ad obsessas in urbe cohortes pecuniarum indigentia utcunque sublevandas; cùm revocatos, magnâque vi auri inter vestium sinus oneratos, ad hostium castra remiserit; ut hinc ad urbem sese opportunè transferrent. Quod inter mutuas velitationes insigni illorum fide, & obsessorum solatio perpetratum est. Temerarium id videri poterat, nisi Piscarius, egregius animorum explorator, à perfidis etiam fidelitatem expectare potuisset. Pari arte, ingenioque nascenti per castra ex inopia seditioni occurre-

Quâ arte militẽ placavit, & continuerit, in rerum inopia.

currebat; dum cautè alios largitionibus; alios promissionibus ad spem magnam voluntatemque pugnandi erigeret. Ingens ad victoriam momentum Francisco hac Piscarii diligentiâ ereptum est, quem, missis etiam legationibus, ab omni pugnæ consilio avocare Pontifex moliebatur; quod Cæsarianum militem stipendia importunè flagitantem, diu inopiam sine rebellione toleraturam non existimaret. Sed Rex confirmato, ut poterat, suorum numero ac robore ex Heluetiorum Italorumque subsidiis: cùm nec quicquam hostibus de virtutis laudisque æmulatione concedendum putaret, extremum fortunæ periculum pro Insubriæ possessione non recusabat, nec Mediolani quidem, cui Tramulum præfecerat, oppugnationem Cæsarianis impunem facturus. At illi cogitationem omnem ad pugnam transtulerant: ex qua certam illis victoriæ spem rarò falsus augur Piscarius fecerat, qui ad immensum prælii ardorem tantam animi alacritatem adferebat, ut jam ante victoriam vicisse cum crederes.

1524

Ducis alacritas & imperterrita fortitudo

LXI

Nihil tamen, præproperâ festinatione, temere peccabat. Quin auctor fuit ut S. Angeli castrum opulentâ annonæ merciumque instructum copiâ Pyrrho Gonzagæ, Gallicarum partium defensori relictum expugnaretur; ne quem à tergo hostem, ad commeatum frumentationemque intercipiendam, vigilaturum desererent. Hùc munitis opportune castris ipse cum delecto millte, Vastioque, quem ad difficillima quæque adhibebat socium, progreditur. Noctis beneficio propositum hostes latuit, dum adhibitis ad auroram tormentis turris muro incumbens ingenti hiatu, mox invasuro militi, discederet. Piscarius audaci ac propemodum temerario facinore cum Præfecto sclopetariorum primus sese per ruinas in murum oppidumque conjecit, hunc tanto certatim irruentium impetu milites consecuti sunt; ut ceterorum Ducum obliti, Vastium armorum pondere fascibus immersum incumbentium tumultuariè numerus penè oppresserit. Pyrrhianorum virtus impar, repentino metu armisque consternata, aut in fuga, aut cæde disjecta fuit. Dux ipse arcis præsidio receptus, cùm vim expectare nollet, maturâ deditione incolumitatem suam pactus est. Arx militi in prædam relicta cessit. Mille aureis in Pyrrhi loculis repertis Casadæ murum occupantis virtutem dux est muneratu. Ex septingentis facilè equis, Ibericum longè præstantissimum Vastius, Saballam nomine, abstulit, quo in vario præliorum discrimine feliciter deinde est usus. Piscario hic atque alibi sola ad gloriam præclarè factorum fama sufficere visa est. Cùm moriens, tot urbium hostiumque triumphator, paternam apud Neapolitanos hereditatem, ære alieno non mediocriter gravatam Vastio patrueli reliquerit. Vbi castra dux victor milesque repetiisset, exercitus Cæsaris per turmas ordinesque velut in aciem distributus castris propius admovetur. In quos Joannes Medices Gallicæ militiæ Achilles, permixtâ equitum peditumque alâ, invectus, vim tantam armorum intulit; ut Germani decretoriâ pugnâ certandum rati, veteris militiæ consuetudine, collectum manù pulverem spargerent, caputque ac vitam pro Cæsare devoverent. Sed Rex, suis in castra receptis, Cæsarianis locum Circo (Parcum Itali dicunt) vicinum ad ignobilem Pratæ vicum cessit, quem sex

Castrum S. Angeli ipsius, & Vasti Ducis virtute expugnationis.

Liberalis in milite, & propriis etiam æris profusus Piscarius.

An. Chr. stadiorum intervallo, vix à Gallorum munitionibus dissitum, hostilia etiam tormenta infestabant.

LXII. *Franciscus ob castrorũ propugnacula & cõmoda prælii subterfugiturus videbatur.*

Prælij aleam non temerè subiturus Franciscus videbatur; utqui novis vastisque operibus ad aggeres, fossas, ac propugnacula castrorum adjiceret indies; nec loci æquitate tantùm, sed & commeatûs abundantiâ hostes vinceret; ut qui suos contra hyemis inclementiam, omnemque aëris injuriam latis templorum porticibus tectisque collegisset, Ticinum gemino junctum ponte ad frumentandum in potestate haberet, militem aleret nullâ stipendiorum indigentiâ exacerbatum. Piscarius ut pugnandi necessitatem hostibus imponeret, incredibili vigilantiâ atque audaciâ Gallorum opera stationesque explorabat; nec diurnis nocturnisque tantùm, pro loci commoditate, velitationibus; sed justis quandoque prælijs hostes fatigabat: factumque, ut dum umbratili per tenebras irruptione castra diversis partibus lacerasset, ipse inopinato eventu vicinis extra castra stationibus expugnatis, intrà valla cum effusè fugientium turmâ admissus sit, tormentaque Præfecto capto occupârit. Dubium nulli erat, quin eo tempore debellari castra regia potuissent, nisi ad fortunam hanc imparatus Piscarius, nullis post terga subsidiarijs cohortibus accessisset. Ita locum deserere coactus, lætari hoc casu magis, quàm uti potuit. Nox tamen ea cœci terroris discriminisque plena Gallorum audaciam alacritatemque vehementer attrivit. Quanquam & gens brumalis injuriæ vigiliarumque inter hostium incertos conatus ducendarum impatiens, aperto campo semel simulque experiri hostilem vim mallet, quàm ijs perpetuò calamitatibus vitæ, victoriæque spem extendere.

Piscarius in ipsa fortuitò castra penetrat.

LXIII. *Franciscus cum pluribus Gallorũ pugnæ avidus.*

Neque Franciscus ingentis animi, suæque propemodum fortunæ securus Imperator, pugnam defugiebat, quam sibi non minori fiduciâ, quàm Cæsari Piscarius addixerat. Ergò proximas in subsidium cohortes designat: Salassum Principem, devicto interceptoque Hugone Moncadâ, non infeliciter contra Genuenses pugnantem, Savonâ accersit. Tramulium Mediolano cum magna præsidiarij militis parte adesse jubet: Mommorantium, nonnullis ad insulæ custodiam relictis, advocat. Quanquam Salassus intercepto aditu, cæsisque quatuor millium copijs, parem cum Moncada sortem inter vincula adierit, tanquam aleæ, sic belli casu: mox victor, & subito victus. Ita collecto citra Ticinum exercitu, intra castrorum septa Rex substitit, quæ fossis vallisque præaltis exurgebant, præterquam latere dextero, quod muro Circi defensum satis tutumque videbatur. Plerique Ducum, qui bellicis artibus experimentisque clariores apud Gallos censebantur, Galeacius, Trivultius, & Palicia Franciscum à pugnæ consilijs ac discrimine avocare conati sunt. *Quid enim perindè stultum ac temeritatis plenum*, inquit Palicia, *quàm regij capitis, & universæ simul Galliæ fortunam, dignitatem atque incolumitatem unius certaminis periculo objicere? Quid festinamus cum vitæ salutisque discrimine ad incertam victoriæ possessionem, quam sine prælio ac sanguine certam penè atque exploratam habemus? Cùm solâ hostes morâ profligare possimus, quid arma & cædes quærimus? Rerum necessariarum ad longum bellum desperatio adversarios*

Palicia vetus Gallorũ miles dissuadet prudẽter pugnam.

rios ad pugnam evocavit. Militem in castris frequentem spe solâ alunt stipendiorum prædeque, quam sibi ex nostra clade pollicentur. Vicimus, si non pugnamus. Neque enim à Cæsarianis ducibus stipendia, quæ nulla suppetunt; neque à nobis prædam, si pugnam detrectabimus, expectare poterunt. Ne rogo desperatis ferocissimisque gentibus, majori numero præmioque victoriæ certantibus, fractas jam longâ obsidione copias opponamus. Noster exercitus morâ attritus, morâ valescere rursum poterit: ille, quas impetu vires collegit, amittet tempore; ubi magnas pollicitationes inani spe vanescere sentiet. Inutilis modò nobis illa militum ad pugnandum alacritas fuerit, ubi cunctatione vincendum est. Abeamus Ticino, *atque extra vim indaginemque hostium, Bisnaco tutiori loco castra applicemus, minor certè nobis unius jacturæ urbis, quàm totius exercitûs futura est. Implebimus longâ obsidione exhausto queruloque, atque ad præmium militiæ aspirantium numero castra hostium, qui sopitas utcunque seditiosarum cohortium voces, suâ rursum miseriâ ac querelis facilè excitabunt. Muta igitur consilium, O Rex, & cogita hosti nonnunquam opportunè cedendum esse, ut denique cedere ac vinci cogatur.* Plus hæc oratio admirationis atque autoritatis habuit, quòd ab homine nequaquam timido, sed præferoci, atque ad præliandum semper prompto dicta esset, ut iccircò ex ratione magis, atque experientia, quàm naturæ impellentis affectione profecta videretur. Eadem Regis Legatus Româ ex Pontificis sententia perscribebat, eadem Francisci avunculus Renatus Sabaudius studiosè monebat.

Bonivettus pugnam suadet, cujus sententiâ ut magis gloriosâ Franciscus amplectitur.

Unus ex regijs ducibus Bonivettus, qui solerti ingenio multisque artibus intimam Francisci familiaritatem occupaverat, hanc opinionem acerrimè, non tam rationum pondere, quàm alienæ inertiæ accusatione oppugnabat. *Quid*, inquit, *à senibus his, annorum jam pondere, ætatisque vitio ad pugnam frigescentibus, præliandi consilia expectamus, quibus ego sexcentos opponam metu vacuos, atque ad decernendum ferro inflammatos? Nesciunt illi, quantum Gallico nomini ac præsertim Regi, tot sapientia virtutisque titulis nobilitato infamiæ concilient degeneri hâc atque ab omni remotâ laude sententiâ. Vidimus olim Gallis Regis præsentiam ad victoriam sufficere. Testatur hoc ad Tarrum Carolus, ad Abducam Ludovicus: testaris ipse bis jam Mediolani, atque hostium tuorum victor, quos nominis tui famâ magis, quàm ferro terruisti. An tædet vincere, qui ab urbe jam ad desperationem inclinata cedimus, tantâ impensarum temporisque jacturâ? His castris abire non possumus, quin totâ abeamus Insubriâ, sine pugna profligamur, modò cesserimus: sine pugna etiam vicimus, modò steterimus. Hæc valla ac munimenta castrorum pro nobis pugnabunt, si consistimus; sin abimus, ne milites quidem, quibus metu nostro, ille quem conceperant, pugnandi ardor refrigescet. Quos, obsecro, qualesque viros opponimus irrupturis in castra adversarijs? Germanos Germanis; sed veteranos recentibus: addimus Helvetios antiquo Germanorum sanguine nobilitatos, quem & nascentes acceperunt, & fuderunt pugnantes. Italis obijcimus Italos, Hispanis Gallos, hos tantò feliciores animosioresque, quòd cum Rege, capite suo, dimicaturi sint pro capite.* Franciscus excelsâ animi magnitudine fretus, quanquam anxiâ deliberatione suorum Ducum consilia expenderet, tamen ea sibi inprimis sequenda est arbitratus, quæ cum honore atque existimatione regiæ virtutis essent conjuncta: cum periculo igitur certare, quam cedere cum dedecore maluit.

An.Ch. LXV.

Cæsariani Piscario autore murũ Circi perfringunt, & Mirabellum Palatiũ occupãt.

Porrò Cæsariani, ac præsertim Piscarius omnem ad conferendas manus occasionem explorabant. Cùm verò castrorum propugnacula absque ingenti suorum clade penetrare non possent: visum est Piscario, effracto Circi muro Marabellum palatium expugnandum esse; quod venationibus aucupijsque in medio Circi eductum, partem unam castrorum muniebat. Salsedo subruendi muri negotium Piscarius dedit: quod magni laboris opus, arietibus denique integrarum cohortium vi adactis, ægrè per noctem confectum est.

Vastij fortitudo & felicitas in occupando hostium munimẽto.

Vastio deindè patrueli fortissimo Duci, Mirabelli oppugnationem imperavit, rem discriminis plenissimam; ut familiares mirarentur, taciteque reprehenderent, quod heroem tantum, nec sanguinis quidem religione motus, in tam manifesta pericula conjiceret. Verùm ille egregius difficultatum contemptor, hanc suam ratus gloriam, quòd præ ceteris servaretur ad ardua, exultanti similis, fortunam audaciæ comitem sortitus est, ac præter suam hostiumque expectationem absque offensione Mirabellum attigit, tantâque illud virtute aggressus est, ut perfracto superatoque aditu, Gallos defensores possessione dejecerit, signaque illic fixerit Hispanica: ingenti prædâ ex congestis in arcem mercatorum opibus, regiâque, quæ hîc asservabatur, supellectile potitus.

LXVI.

Piscarius copias in Circũ adversus Gallorũ castra ducit, inexpectato Romæ nũtio, & per ludibria jactato.

Piscarius hoc fretus successu, nil cunctandum ratus, dubiâ etiamnum luce cohortes inducit, tunicis interulis super arma conspicuas (quod suis familiare signum fecerat) ut hâc etiam imagine majoris, quàm pro numero, exercitûs terrorem inspectantium Gallorum oculis animisque ingereret.

Inexpectata hæc Cæsariani exercitûs audacia, non Gallis modò; sed & Italis fuit: quæ etiam Romam usque cum admiratione penetravit. Ubi Pasquinus nuper, cùm ad primum Gallorum in Italiam transitum, relicto Hispani campo murorum sese receptaculis abderent, sic per ludibrium in affixo schediasmate nugabatur: *Num quis Hispanum in Italia vidisset exercitum? amissum ubique quæri: repertori sua manere præmia.* Et verò tam repentè emergere, velut Cadmæum, è sulcis militem, qui haud multò antè Gallis longè inferior, nec subire quidem campum ausus, nunc etiam suis in castris Gallum circumvallatum lacessere non modò; sed & invadere audeat; hoc, Martis qualecunque in peritis ducibus experimentum planè videri eximium. Quare & nonnemo Hispanorum fautor, ubi fama hujus facinoris Romam invasisset, sic famosum ejus urbis idolum respondere ad nuperrimam quæstionem fecit: *Repertum modò Hispanum militem, evigilasse de strato, & mane suo amictum indusio visum adire in castris Regem Galliæque proceres, ut salutatis locum indicaret carceris præparatum.* Ita incruentis Romæ dicteriorum velitationibus tanquam in comœdia ludebatur, quando Mars cruentam planè apud Insubres tragœdiam adornabat.

Franciscus Rex Gall. imperterritus occurrit.

Jam toto sese exercitu Hispanicus/Germanicusque miles in Circum, versus castra Gallorum effundebat, petiturus hostem, qui nuper ad pugnam, sed immaturis etiamnum rebus, provocaverat. Nec Franciscus illa quicquam adversariorum turbatus audaciâ, verùm præsentis animi infractæque virtutis consilia secutus, exercitum vallis castrorum eductum, rectâ ad Mirabellum tendentibus obji-

An. Chr.

objicit: ut occupatæ arcis præsidium, opportunitatemque in pugna præriperet. Eâ progressus oris verborumque alacritate, ut ad victoriam magis, quàm cruentum suos certamen præcedere videretur: cum Heluetios Germanis opponendos, nihil infra ipsorum virtutem ausuros crederet. Nigram verò Germanorum ex suis Legionem, quam in Hispanos destinaverat, primo hos impetu obruturam persuasum haberet. Nec sanè pugnæ initiis par voto atque expectatione fortuna defuit: ut ex Jovii fidelissimi gestorum expositoris verbis malo exponere.

Ex P. Jovio verbis autoris, in Piscario.

Erant (ut Jovii verbis utar) in postremo Cæsarianorum agmine Italicæ cohortes septem, cum tribus Hispanicis, custodiæ quinque tormentorum muralium præpositæ: eæ cùm vix ingressæ Parcum reliqua antecedentium agmina ægre sequerentur quod aquoso loco devoratis rotis tormenta subsidissent; factum est, ut qui novissimi erant, primi omnium Galliæ hostibus occurrerent. Eas namque Franciscus longè à reliquis copiis disjunctas conspicatus, eò cum festim mittit Philippum Brionium & Fridericum Bozolum cum valida cataphractorum equitum manu, expeditisque aliquot tormentis, aggregantibus etiam se extraordinarijs peditum manipulis. Ii celeriter parent, & hostes sublevandis tormentis occupatos adoriuntur. Fit prælium atrox: sex cohortes quanquam singulari promptitudine dimicarent, neque tormentorum procellam, neque vim equitatus sustinentes, in proximam silvam se recipiunt; ut objectis arboribus insultantium equitum impetum evitarent. Ita Galli succisis jumentorum cruribus tormentis potiuntur, eodemque impetu pervadunt in silvam: ibi inusitati certaminis iniquitate oppressus Sebastianus Squarcia vir eximiæ virtutis cadit, & cum eo strenui aliquot centuriones, atque signiferi, & cohortes quatuor integræ conciduntur. Ea res in oculis omnium prosperè gesta sicuti Regis & Gallorùm animos vehementer extulit: ita Piscarium, qui opem adferre non quiverat incredibili dolore affecit.

LXVII *Galli primo felices congressu tormentorum custodes profligant occupantque machinas.*

Sed contrà vir pugnæ avidus, conspecto regio excercitu quem, nequaquam in aciem è castris proditurum sperabat, veluti conceptâ victoriâ maximè est lætatus. Nec mora, Falcium notum equitem ad Lanoium mittit, qui admoneat in itinere subsistendum, rebusque omnibus postpositis & versis in hostem signis protinus esse confligendum: hoc item Borbonio & Nicolao Salmæ significat, seque ad accersendum Vastium citato equo proripuit: sed etiam ille extemplo conspectis hostibus, relicto Mirabello ad Vernaculam regressus, densatis copiis in hostes signa converterat, cùm in eo temporis momento, nequaquam prioribus mandatis parendum, sed novo consilio, quod casus offerret maturè utendum esse judicasset. Itaque Piscarius, rectè, inquit, frater, quod volebam effecisti: idcirco ab læva ad hostes plenis passibus contende, & enitere audacter, ut abs tuo maximè cornu victoria feliciter oriatur. His dictis ad legiones Germanorum convolavit, in quarum virtute ac robore summæ rei gerendæ & totius victoriæ momentum constare providebat. Interim Cæsarianorum levis armaturæ equitum manus audacter ad nigram usque legionem provecta à Germanis

LXVIII *Piscarius tamen interitum suos in hostem destinat, altero rursum impetu pulsos.*

facile

An. Chr. facilè submovetur, & in subjectam Vernaculæ vallem fœdâ perturbatione detruditur: tormentaque item Gallica, citatis equis, admirabili solertiâ & celeritate in omnes partes opportunè raptata, ita hostes petebant; ut Hispani demissis etiam humi pectoribus vix depressioris loci beneficio pilas evitarent, & Lanoius & Alarco paventes alas rusticanæ casæ, quæ objectu ipso fortè protegebat applicare cogerentur.

LXIX

Gallicus cum Rege equitatus nimio provolans impetu, peditatum Germanũ Helvetiũque malè suo nudat præsidio.

Tum verò Franciscus his veluti non dubiæ fortunæ initiis suopte ingenio & suorum hortatú vehementer incitatus, quin dato signo procurreret, minimè dubitavit. Idem ceteri faciunt & ante alios Palicia primi agminis ductor à dextero cornù Cæsarianos equites impigrè adoritur. Is Gallorum impetus sicuti Lanoio gravis, atque terribilis fuit, ita postea multorum opinione visus est victoriam è manibus Regis haùd dubiè rapuisse: nam præcipiti eo dicessu, non modo Heluetii nigrique Germani, nequaquam pari passu subsequentes, equitum præsidio sunt nudati; verum etiam tormentorum usu magna ex parte sublatus; cùm libratores cessare cogerentur, ne Regii agminis effusè prætervecti ictibus terga simùl & latera verberarent. Ceterùm ætate nostrâ ab equitatu nusquam alacrius atque validius est concursum; cùm veterani utrimque duces, & equites, flagrantibus animis, non de gloria modò, quæ una maximè veræ virtùtis aciem exacuit; sed de Italiæ imperio dimicarent. Galli vindictæ avidi, unum ante alios Borbonium, uti Regis & gentis, cum ignominia perfidiæ, desertorem, omnibus pugnæ locis requirebant; cum ille ad tutiorem

LXX

promptitudinem, Pomperano familiari traditis insignibus, tunicati & privati equitis habitu depugnaret.

Feliciter tamen cũ Rege pugnat, & Noricum equitatũ aliorum præsidio destitutũ variis legionibus variè sparsis, profligat.

At Rex ipse argentea in trabea, cristis, & suâ maximè proceritate conspicuus, cohortantis ducis & strenui bellatoris munus implere, hostilem aciem concitato equo perrumpere, aggredi obvios, & purpurâ auroque præcipue insignes. In eo tumultu Ferdinandus Castriotus, qui originem à Macedoniæ Regibus ducebat, dux illustris, regiâ manû confossus cadit: sternitur & Vgo Cardonius alæ Piscarianæ legatus: Vexilla duo discerpuntur, & Noricus equitatus, quem Ferdinandus Cæsaris Frater auxilio miserat, dum impigrè pugnam subit, & constantissimè repugnat, gravi acceptâ clade profligatur. Ita, ut jam penè Laonii atque Borbonii signa & agmina nutarent. Nam vel ea re Gallus numero & viribus superabat, quòd Cæsariani cataphracti levis armaturæ militum subsidiis carebant: siquidem ex tribus agminibus primi cum Vastio ad Mirabellum processerant: secunda ala (ut diximus) à nigris Germanis fœdè pulsa refugerat, tertia autem relicta extra Parcum, Duce Guidone Guaino, totius exercitus impedimenta tuebatur. Ala quoque illa mirifica nobilium Italorum & Hispanorum ipsi Proregi peculiaris, ut quæ prælio non interfuit, nulli erat adjumento, nam Lanoius Vererium Belgam adolescentem consanguineum suum eius alæ Præfectum extra Parci murùm subsidere, nec se ullo modo cõmovere præceperat, donec ab ipso per certos nuncios consurgendi & pugnandi signum acciperet. Sed commissa statim exardente pugnâ cum Laonius, in re præ-

Quidam Lanoii in curia extra pugnæ locum relicti.

senti atque

senti atq; terribili, cunctis sensibus atque memoriâ vehementer occupatus neminem, qui accerseret omnino mitteret, adolescens patrui ducis jussis & disciplinæ præceptis omnino parendum existimans, usque ad pugnæ exitum immotus constitit. Nec ullâ equitum obtestatione, vel increpatione potuit adduci, ut in aciem prodiret. His de causis laboranti Lanoio & vix Regii agminis impetùm sustinenti. 1524

LXXI *Hispani sclopetarii à Piscario submissi cladem reponunt*

Piscarius, qui admirabili præsentique prudentiâ, ac intentis maximè oculis cuncta lustrando, huc & illuc singulis difficultatibus occurrebat, Hispanos sclopetarios circiter octingentos subsidio mittit, qui repentè circumfusi à tergo & à lateribus, editâ terribili pilarum procellâ, ingentem equorum atque hominum numerum prosternunt. His etiam appropinquat hastatorum gravis armatura, atque ita, certo præsidio tuti, audacius plumbeis glandibus incessanter rem gerunt. Quo accepto incommodo Regii, dum consistere conferti nequeunt, & expassis alis, minore cum periculo, repugnare, se posse existimant, dissoluta acie dissipantur. Sed dum huic consilio fortuna infestior occurrit, ira & pudore conglobati rursus in sclopetarios deferuntur.

LXXII *Nova pugnandi arte equitatum in se vertũt deludũt, affliguntque.*

At Hispani natura agiles, & levibus protecti armis, retro sese celeriter explicant, eorumque impetum tortuosis discursibus eludunt, auctique numero, ut erant, cùm longo usu, tum novis Piscarii præceptis edocti, manipulatim in toto campo sine ordine diffundetur. Erat id pugnæ genus per se novum & inusitatũ, sed in primis sævum & miserabile, quod magna rerum iniquitate præoccupantibus sclopetariis, præclaræ virtutis usus in equite penitùs interiret: nec ullæ, vel fortissimæ dextræ, diu proficerent, quin conferti à raris & paucis plures, & clarissimi sæpe duces, & equites, inultâ cæde, passim ab ignobili & gregario milite sternerentur.

LXXIII *Vastius in dextero cornu Mommorantio capto, victor.*

Ab alia quoque parte, jam Vastius promotis à dextero cornu cohortibus, & inductâ alâ equitum cum Anneo Mommorantio prosperè conflixerat, profligatoque per sclopetarios eius equitatu ipse ante alios interfectis libratoribus, tormentis hostium fuerat potitus. Accidit autem in eo concursu (quod non videtur prætermittendum) ut Vastius & Mommorantius; qui posteà summi duces evaserunt, sicuti ab utroque accepimus, peracri singularique certamine aliquádiù dimicarint: eo quidẽ eventu, ut non multò post Momorantii equus Castelii manu vulneratus concideret, atque ipse demũ ab Errera Centurione caperetur.

LXXIV *Helvetii equite & tormentis nudati, in fugam scelerato exemplo præcipitant Ducibus frustra obnitentibus.*

Eo rerum successu Vastius factus alacrior, minorem Helvetiorum aciem, tormentorum amissione & fugâ equitum absterritam, & ob id hæsitantibus animis pugnam capessentem adoritur. Tum verò, incredibile dictu, videre licuit gentem, paulò antè ab excellenti probataque virtute campestri præsertim in acie formidandam, cùm decoris & disciplinæ, tùm innatæ ferociæ penitus oblitam, inclinatis hastis, pugnã detrectare, & metu mortis egregiæ, ab infami fuga turpissimum interitum, præalto in flumine, quæritare, frustra eos retentare confirmareque magnis obtestationibus conante Florantio Sedanio, qui genti familiaris, & dignitate equitum Mareschalchus cum peculiari ala cataphractorùm,

An. Chr. rum, dimiſſis omnium equis, in prima acie ſe pugnaturum profitebatur; adeò, ut priſtinum illum immanium corporum ac animorum vigorem cœleſte aliquod infeſtum numen, aut certè fatalis is Regi dies eripere videretur. Nec minori deformitate eundem fugæ exitum tulit altera Heluetiorum acies: quæ, uti numero cohortium plenior aliquamdiu immota conſtiterat; ſed cùm circumfuſis undique ſclopetariis perpetuo quodam pilarum imbre eminus obrueretur, & promptiſſimi Centurionum, ut plerumque accidit, in ipſo primo ordine cecidiſſent, conſpectâ demum ſtrage regii equitatus, abjectis haſtis, terga vertit.

LXXV. *Dux Heluetorũ Dieſpachius, in medios ſe hoſtes, quàm fugam conjicere maluit.*

Ferunt Joannem Dieſpachium, qui ſummam inter Heluetios duces auctoritatem obtinebat, cùm cohortes ne tentato quidem certamine turpiter fugientes intueretur, & obverſus, ac iratus ſigniferos increpando cædendoque ſiſtere nequiret, graviſſimo compulſum dolore tantæ acceptæ cladi ac ignominiæ ſupereſſe noluiſſe, in eoque præſentis animi decreto, pervadentem in confertos hoſtes, honeſtiſſimè cecidiſſe. Hanc tamen cladem Heluetii, qui ſuperfuêre Alanconio Regis ſororio, acceptam referebant, quod ille, ubi parum ſtrenuus & diù inclinantis prælii ſpectator, dum ardente adhuc pugnâ, cum integro tolius poſtremi agminis equitatu in fugam ſeſe proriperet, Heluetiam aciem egregiè denſatis ordinibus prælium ſubeuntem, tranſverſâ & præcipiti impulſione perrupiſſet.

Alanconius Regis ſororius ab Heluetiis ignaviæ accuſatus.

Ceterum à dextero Gallorum cornu uni omnium peditum Nigri Germani, ut in ipſa ſalutis atque Victoriæ deſperatione, cum Germanis accerrimè & conſtantiſſimè depugnarunt: eòque majoribus prope odiis, quàm viribus, quæ ſummæ erant, ſunt congreſſi, quo efferatis diuturnâ diſſenſione animis, neutris, qui paululũ loco pulſi pedẽ referrent, ulla omnino ſpes veniæ aut militaris miſericordia relinqui videretur. Indignabantur Cæſariani, quod Nigri contemptâ & irriſâ Cæſaris Majeſtate, ſpretaque auctoritate Germanici nominis, pro Gallo vetere hoſte mercenariis armis, fratres conſanguineos obſeſſum atque oppugnatum veniſſent. Ex adverſo Nigri maximè decorum exiſtimabant pro eo Rege, qui multis annis ipſos liberalibus ſtipendiis aluiſſet, fortiſſimam operam præſtare, tueri ſacramento fidem, & nihil omnino admittere, quod veteranis militibus indignum foret. Nec hercle ex his quiſquam erat, in eo haud dubiè ſupremo vitæ actu, conatuque bellici operis, qui inſultantis fortunæ injuriam inuſitatâ virtute & decorâ morte vindicandam non duceret. Cùm appropinquarent acies & miro ſilentio gradus inferretur, procedebat ſolus ante Nigrorum aciem Longamantes ab Auguſta Vindelica nobiliſſimus Dux, Georgium Franiſpergum & Marcum Sithium elatâ manu, & clarâ voce ad ſingulare certamen provocans. Sed is atroci murmure refutatus, & multorum ſimul petitus telis citò concidit, abſciſſamque eius cùm armillis & annulis manum ovanti ſimilis gregarius miles oſtendit. Tum vero ſublato clamore à Cæſarianis alacriter eſt procurſum.

LXXVI *Nigra legio Germanorũ à Gallis ſtantium penitus à Germãn. Cæſaris, tanquam perfida, ad internecionem quæritur*

LXXVII *Piſcarius aliquot vulneribus ſau-*

Erat in medio campo dum utræque acies coirent, ipſe Piſcarius in equo ſublimis

mis, sed pedeſtribus armis protectus ſæpe orans Franiſpergum, ut gradum intenderet, eumque commemoratis ſuperioribus præliis, in quibus eius viri virtus enituiſſet, ad parandam omnium maximè opimam & memorabilem victoriam accendebat. Itaque concurrente utrâque acie, dùm in adverſos equum adigit cuſpide per apertam galliem recepta in facie vulneratur, confoſſoque demum equo ſiniſtrum ei crus alabardâ * trajicitur. In eo terribili armorum fragore haud dubiè ſuorum pariter atque hoſtium armis fuiſſet oppreſſus, niſi ægre eluctnaë tem familiaris primo eques, & demum centuriones & ſigniferi propiores magno conatu ereptum ſervaſſent. 1523.

eius ægrè morti eripitur.

*bipenni

LXXVIII *Nigra legio concluſa à Germanis conciditur multorũ illuſtriũ clade.*

Interea Franiſpergus & Sithius admirabili peritiâ, ad includendos hoſtes exporrectâ utrinque acie, legionem in medium ſinum exceptam duobus ſtatim expaſſis & recurvatis cornibus præcingunt, eamque pertinaciſſime reſiſtentem in medio totam contrucidant: ita ut una tantùm tribus legionibus oppoſita, & ob id infelici virtute repugnante, nemo penè Nigrorùm evaſerit. Periêre ibi, præter Longamantem, ante primos ordines Richardus Suffolchius Regulus, cui Albæ-roſæ cognomen fuit, ad quem plerique, & præſertim Galli, Britannici regni jura pertinere prædicabant: & ab aliis propter regii nominis dignitatem & bellicarum rerum peritiam, Nigræ legioni fuerat præpoſitus. Franciſcus item Antonii Lotharingiæ Principis Frater, eximiæ indolis adoleſcens, qui in primo ordine, ante alios armis & criſtis conſpicuus, locum popoſcerat: duoque item Germani Reguli Hortembergius atque Loſſenſis militiâ illuſtres: & Teodoricus Scombergius Nicolai Antiſtitis Campani frater equeſtri dignitate, &, propter induſtriam excellentis ingenii, legationum etiam honore inſignis.

LXXIX *Regia acies magna clade præcipuorum Ducum perfringitur Hiſpanis grandiorum ſclopetorum uſu maximè penetrantibus*

In hunc modum diverſa in parte dum fugantur Heluetii, & Germani conciduntur: eodem ferme tempore regia acies à Sclopetariis ſimul, & ab equitatu, haſtatis etiam ſuccedentibus, perrumpitur. Tum vero quiſque dux inſignis & illuſtris eques, ad protegendum eripiendumque Regem concurrit: plerique deſiderio navandæ in oculis Regis ſupremæ operæ, loca atque agmina ſua relinquunt. Palicia dum ſuffoſſo equo, annis ac armis gravantibus, ad Helvetios ægrè ſe recipit, ab equitibus intercipitur. Sed eum jam ſupervenienti Caſtalio traditum Vaſurtes Hiſpanus, quaſi tanti captivi pretium & laudem equitibus invideret, appoſito ad thoracem craſſiore Sclopeto crudeliter interficit: trajicitur duplici vulnere & ipſe Tramulius, multarum palmarum vetus Imperator. Galeacius item Sanſeverinus, dum ſingulari peritiâ huc & illuc adacto equo hoſtes ſubmovet, & præclarè decertat, in conſpectu Regis cadendo, quod regiæ gratiæ & famæ inclyti nominis debebat, honeſto vitæ exitu perſolvit, cùm procumbente equo laberetur, proximum ſibi Guliermum Langeum illuſtrem equitem, in ſupremo caſu opem ferre cupientem, appellans; *ſine me*, inquit, *Fili, fato meo fungi & quàm celerrime potes, hinc ad protegendum Regem recurre, nominiſque mei & honeſti exitûs memoriam, ſi evades pie amiceque colito.* Erat pugna omnium maxime funeſta & magnopere iniqua Gallis equitibus nam

Palicia, Tramulius, Galeacius ac Langeus Ductores cadunt.

An. Chr.

nam à circumfusis & expeditis Hispanis, in omnem partem ad lethales ictus, pilæ plumbeæ spargebantur: quæ non jam tenuioribus (uti paulò antè erat solitum) sed gravioribus sclopetariis, quos vocant arcabusios, emissæ, non cataphractu-ram modo sed, duos sæpe milites, & binos equos transverberabant; sicut mise-rabili nobilium equitum strage, & morientium equorum cumulis constrati cā-pi, & alarum virtuti simul officerent, si densato ordine irrumpere conaren-tur; & passim veluti objectis aggeribus, à cui decore vita potior foret, mini-mè expeditum ad fugam iter præberent. In tanta rerum iniquitate Vilermus Bonivettus Amiras aliquandiu discurrendo & cohortando Heluetios, & equi-tes in fugam inclinatos confirmare conatus, cúm haud dubie adversam eius præ-lii fortunam agnosceret; nec tantæ cladi, cuius ipse præcipuus fuisse auctor di-ceretur, ad pœnam vel ignominiam superstes esse vellet, gravi & obstinato pu-dore in medios hostes incurrit, atque ibi quòd apertâ galeâ discurrentium & imperantium ducum more uteretur, jugulum mucronibus objectans, est inter-fectus. At Franciscum, nudatum omni ferè præsidio alarum, & custodiâ cor-poris, tot circum interfectis, & ceteris circumquaque palantibus sese eri-pientem, mixti ex variis turmis aliquot equites, uti habitu insignem perse-quuntur.

Bonivettus, ex pudore acceptæ cladis superesse nolens, se in fundit hosti.

LXXX

Rex Franciscus strenue pugnans ab Hispanis capitur

Nec Rex impigre seipsum deserit, quanquam ab equo & à fortuna deserebatur: passim inflexo equo cum insultantibus gladio rem gerit, illatisque aliquot, & acceptis vulneribus, strenue repugnat, sed dum ad proximum rivi pontem contendit, confosso & corruente equo, sternitur. Primi omnium Didacus A-bila, & Joannes Vrbieta Cantaber super gravante equo jacentem circumsistunt: nec ad huc planè cognitum intentatis gladiis ut se dedat, ni perire malit, cohortantur. Interim superventu Mottæ Anoierii Galli, qui erat Borbonii e-quitum Præfectus, de facie noscitur: quanquam erat ex vulnere totum os ma-nante sanguine fœdatus, sed dum Motta, ut se Borbonio dederet, qui non procul abesset, hortaretur, Rex ad proditoris nomen indignabundus, ac im-peranti similis, *accersitote*, inquit, *Lanoium*: isque dum Motta ad Borbonium pervolaret, undique voce & discursu militum quæsitus, opportunè supervenit, summotâque incumbentium turbâ subtractum equo, exporrectâ dextrâ sub-levavit, præoccupanti Abilæ Chirotheca ferrea traditur, proximi paludamen-tum in frusta discerptum abripiunt, alii balteo & calcaribus potiuntur, quùm quisque aliquid ex Regiis exuviis rapere properaret, quod mox ad decus, pe-tendaque præmia, non obscurâ fide posset ostentari. Capto Rege, undique à Cæ-sarianis victoria conclamatur: Gallis animus concidit: fit fœda fuga in omnes partes: Heluetii pecorum modo paventes dum cæduntur, Ticino flumini se committunt, natandique prorsus imperiti fœdâ & miserabili colluvione con-nexi impeditique agminatim gurgitibus rapiuntur: alii supplices projectis ad ter-ram armis salutem petunt. Rex armatus, uti erat, in humili asturcone cùm à Lanoio in castra duceretur, Alphonso Vastio fit obvius. Is tum forte à perse-quendis Heluetiis redibat, ut de Piscario, quem falso cecidisse ferebant, certius agnosceret.

Lanoio maxult quam Borbonio tradi.

Miletes avide spolium ex Rege captant

Nec

1524 *

LXXXI

Vastius honorifice Regem excipiens eundem erigit.

Nec mora, Vastius ab equo properè desiliit, & regiam dexteram apprehendens, custodientium & aggregantium sese ultro militum coronam latè summovet, ita ut his pudorem injiceret, qui nullo propè respectu majestatis, adeo arctè jam captum Regem custodirent. Tum verò Franciscus haud parùm ejus conspectu recreatus, silentium exsolvit. Eum enim, cùm juventæ flore & specie corporis, tum virtutis & omnis militaris elegantiæ laude insignem, uti præclarus vel in hoste excelsæ virtutis æstimator, vehementer adamabat. Consolanti Vastio magnitudinemque animi & humanitatem in Carolo Cæsare plurimùm attollenti: *Statueram*, Rex inquit, *non indecoro casu inter armatos concidendo, animũ ab hac tantæ rerum mearum acerbitate vendicare, ne tot clarissimorum meorũ Ducum funeribus superessem, sed Fortuna jam pridem nomini nostro iniquè & peracerbè infensa, ut vitam invito ad illudentis fortunæ spectaculum reservaret, honestissimam mihi mortem invidit: hoc uno tamen memet in tantæ cladis memoria consolabor, quod nulla mihi in posterum fortunæ vis erit pertimescenda: quandoquidem illa sævissimè semper fuens, nec tot cumulatis cladibus unquam abunde saturata, nunc tandem reliquas supremi odii faces in publico totius Galliæ luctu, & summa mea ex tanti infortunii casu jactura restinxerit.* His verbis, non modo ipsis victoribus singulari affectis lætitiâ lacrimas propemodum excivit; sed circumfusorum etiam omnis generis militum animos tantæ victoriæ reputatione usque adeo confudit, ut facile à cædibus & ab ipsa etiam prædâ, ad tanti Regis capti spectaculum undique verterentur.

Regis ad Vastium oratio.

Rex custodiæ mandatus, solante eũ brevi redemptionis spes Piscario

Ductus est in Gallica castra ipso imperante, ne à Ticinensibus, quos summis affecerat detrimentis, & à ferociente præsidario milite, tanquam diuturnæ obsidionis incommodis vehementer afflicto, ad ludibrium in ea fortũa conspiceretur. Ibi ea vulnera, quæ in aversa parte femoris, & in dextera summaque gena acceperat, facile curavit: aliquot etiam pilarum ictus duplici thorace ita egregie sustinuerat; ut cùm Christi Crucis frustulum aurea conclusum bullâ ferret; quòd plane foret servatus in miraculum à piis hominibus refereretur, quæ universa Jovii verbis exhibui.* Nec multo post ad Pisleonem in custodiam est deductus, ubi cùm Regem Piscarius summâ humanitate inviseret, ac prolixè moderationem & lenitatem Cæsaris anxio atque inter spes metusque ingentes deprehenso Regi exponeret; mirum est, quantum extremis calamitatibus ægro solatii dederit; cum ex tanta victoriæ felicitate non opes regnaque solicitè quæsiturum, sed gloriæ solius possessione, pulcherrimisque usurpatæ in hostes clementiæ titulis acquieturum existimaret: quòd eam sibi Austriaca familia potissimum vindicaret laudem, quæ ab humanitate mansuetudine in hostes non minus quàm subditos duceretur. Postquam tam inusitatæ felicitatis nuntium Carolus, minimè arrogantis elatique animi argumentis excepisset, sed modestiâ singulari (quâ illum volubilis ambiguæque fortunæ favorem magis Superis, quam suis meritis, aut virtuti acceptum ferret) omnem triumphalem apparatum recusasset, triduumque insigni pietate, inter solennes publicasque comprecationes, exegisset; ut illustrius nunquam triumphare, quàm sine triumpho his virtu-

**hucusq; Jovius.*

Carolus egregia modestia triumphare noluit sed gratias egit.

An. Chr. virtutum exemplis potuisset. Quam verò interea orthodoxa per Germaniam Ecclesia jactatione à Luthero eiusque asseclis, in varias sectas divisis, perpessa sit, dū Catholici inter se Reges non necessariis armis ambitiose collidebantur, in sequentem librum annumque rejicere malumus; ut juncta rerum gestarum serie, historiæ illius novitas veritasque magis illucescat: nec Lectorem ille sæpius dolor recurrens vellicet; quod pro terrenis hisce regnis tanta contentione à summis Ecclesiæ principibus decertetur, eorumque animos cœlestis amplificatio defensioque regni levissime solicitet, nisi tum forté, cùm ex religionis præcipitio imperia quoque periclitari sentiunt, præpostero sanè studio, cum Ecclesiam fidelium tuentur propter regna; non ut par esset, regna propter Ecclesiam. Alius plane hac tempestate Davidis Æthiopiæ Regis sensus, qui cum Sofio Persarum Rege literas in Europam, pro Concordia principum Christianorū, armisque contra Turcam jungendis dederat: & is quidem per Episcopum suum Zagazabo significavit fidem se Christianam ab Eunucho Candacis Reginæ traditam tueri, summoque Ecclesiæ Capiti Pontifici Romano & debere & offerre devotam obedientiam, atque ut Christianos Principes sua autoritate adversus Mahumetanos conjungat, vehementer exoptare. Quo argumento & Persarum Rex ad Carolum Imp. ac Ferdinandum Regem flagrantes literas destinavit. Sed ut præsentia magis quam remota oculos animosque subeunt: ita Carolus Francisci æmulatione distractus, ac successu bellorum lætus, ad fortunæ ex propinquo blandientis favorem vela explicabat.



LIBER

1525.

LIBER III.

Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imp.



AD famam Ticinensis victoriæ, quam viginti facilè procerum ac gregariorum decē millium cæde Galli funestârunt, ceteris cum Rege Ducibus, præter Alenzonium, in captivitatem abstractis, ingens trepidatio non Galliam modò, sed & Italiam concussit. Versabatur ante oculos veterum in Italia Cæsarum Monarchia, ad quam Carolum tam felici rerum successu in vitari haud dubiè conspiciebant, adeòque anxii vires suas Cæsarisque incertis consiliis metiebantur. Impellebant nonnulli Pontificem, Cæsaris rur[illegible]m favorem magno pecuniarum impendio ambientem, ne incertam Ducum fidem, pacemque parum honestâ mercede emeret, quâ simul Italiæ libertatem opesque egeno rapacique militi venditurus esset, qui in urbes regionesque defensoribus vacuas sine vi ac prælio recepti, suam illam miseriam exoneraturi propediem viderentur. Potius cum Venetis, ceterisq; Italiæ principibus pro servitute avertendâ arma cæpisseret, neque ita ex omni fortunæ nutu penderet, ut in extrema rerum desperatione Regem, quem nuper florentem complexus sit, devictum prostratumque velit deserere. Posse iisdem, quibus Cæsari sese, ambiquo eventu, conciliet pecuniis, expeditum ad arma militem comparari, atque ipsum parum tutâ custodia circumseptum Franciscum in libertatem vindicari; certe urbis necessariis contra hostilem vim præsidiis defendi, ac servitutem Italiæ cervicibus incumbentem amoveri.

I Gallia Italiaque hac Caroli victoriâ turbatur.

Jovius in P[illegible]sarius Belcarius et alii.

Sed hæc Clementi, mitiora ad otium pacemque consilia amplexanti, visa ejusmodi sunt; ut quæ à veteris amicitiæ officiis remota maximè, atrociori Cæsarem injuriâ provocatum ad indignationem & arma in se suosque concitare possent. Itaque cum Carolo Lanoio æris ad militares seditiones componendas avidissimo, centum & triginta aureorum nummum millibus pacem veterisque concordiæ fœdera pactus est, Venetis tam pretiosam simul dubiamque quietem recusantibus. Et cautius quidem ab his actum; quod Cæsar haud multò post improbatis Lanoi pactionibus, summâ potestate omnia resc inderet, pecuniarum in se aliisque magnus contemptor, sive deessent, sive abundarent. Ita auro suo Pontifex atque expectatione frustratus,

II Pontifex gratiam Cæsaris ambit; sed frustra.

datus,

1524. datus serius delusum se animadvertit. Miles etiam Cæsareus inopiâ suâ, atque alienâ provocatus injuria (malis, quæ tam ferre ipse, quàm aliis inferre didicerat) in Placentinum ac Parmensem agrum per æstiva infusus summâ rapiendi aviditate non paucis cladem ingentem, aliis etiam terrorem incussit.

III Angliæ Rex à Carolo ad Franciscum traducitur.

Angliæ Rex Henricus, qui Carolum ex nuperis pactionibus generum sperabat; cùm illum Lusitânæ puellæ adjecisse animum, atque ex insperatis bellorum successibus occultâ arrogantiâ elatum crederet, victoremque sibi metuendum formidaret, Ludovicâ Francisci Regis Matre invitante, & quodam miserationis perstrictus sensu, ad Franciscum animum inflexit, quem fortuna iam alienæ opis, & subsidiorum fecerat indigentem, ut beneficiorum non iniquus æstimator futurus crederetur: quæ apud felices, aut nomen, aut gratiam facilè amittunt. Interea Rex Franciscus, captivitatis, præsentiumque rerum fastidio ductus, æquiores magisque expeditas coram Cæsare libertatis Pacisque leges sibi polliceri cæpit. Ideòque inexpectato amicis juxta hostibusque consilio, cum Lanoio prorege occultè de suâ in Hispaniam traductione convenit.

IV Franciscus spe libertatis à Carolo præsente obtinendæ in Hispaniam à Lanoio transfertur.

Lanoius, ubi in consilio Procerum facile persuasisset Regem tutioris custodiæ gratiâ Neapolim traducendum, institutum illuc simulate cum Gallicis triremibus, Hispanoque milite iter, denique in Hispaniam convertit, tanto, non modo Italorum, Gallorumque procerum; sed & Cæsariorum, Borbonii imprimis atque Piscarii, irâ & dolore, ut Lanoium summi imperii jura arrogantissimè usurpantem omnibus palam conviciis contumeliose proscinderent, ac proinde ille discedentem consequi; hic perquam acerbis ad Cæsarem literis, gravissimæ hominem injuriæ reum postulare veritus non sit.

V Lanoius hoc facto Ducum gravem invidiâ, Cæsaris gratiam occupat.

Sed eum Lanoius, homo Belga, gratiæ locum apud Cæsarem obtinebat, ex quo deturbari nullis invidorum criminationibus facilè posset, quin etiam tam rari facinore obsequii arctius Cæsarem; nihil tale expectantem sibi devinxerat, qui insigni iccirco moderatione ceterorum ducum indignationem mitigabat; quanquam Piscarius, præter humanitatem Cæsaris scripto declaratam, nulla vulnerum suorum, extremique discriminis ac laboris præmia sibi deferri, gravissimè sentiret. Cum Soram Carpumque oppida, paternis ditionibus opportuna, frustra expectaret; ac ne capto quidem abs se Navarro libertatem vendere, Cæsaris indulgentia, liceret.

VI Rex Lanoius in discrimine vitæ versati sunt.

Franciscus regio apparatu Barcelonæ exceptus, Alicanteram attigit, ubi ingenti vitæ periculo inter militum agmina, per tumultum stipendia flagitantium, versatus est; cùm fenestræ columella, cui Rex aversus incumbebat jactatum temere sclopeti ictum avertit, Lanoio fugæ & latebrarum præsidio ægrè, contra vim, defenso.

VII Admirabili pompa & liberalitate in Hispania à Mendocio Rex excipitur.

Hinc cum Madritum contenderet Franciscus, per viam à Didaco Mendocio Infantasiorum Principe incredibili honoris, ac regiæ plane liberalitatis officio cultus est, cùm ille, præter impensè curata hospitia subditorum per turmas cohortesque digestorum, supra duodecim contraxerat millia, qui transeuntem.

Regem militari plausu exciperent. Quem ante, in non magni nominis Principe, magnificentiæ decus admirantem, iis præterea muneribus veneratus est, quibus Rex Regem potuisset colere: præter mulas, quas Hispania nobilissimas alit, purpureis instratas stragulis, equos complures, omnium longè Ibericorum generosissimos argenteis phaleris, ephippiis, ex serico ornatos, dono obtulit. Adjecit exquisitissimum Venationis apparatum, suosque cum Falconibus Aucupes, cum omni Venaticorum canum genere ac delectu, peritissimos artis venatores. Nec satis; aulæorum pictarumque stragularum, tum denique vasorum ex auro argentoque cælatorum illa accessit copia, ut Rex non ad hostes captivus, sed victor ad amicos rediisse videri posset. Neque mediocriter tantâ Mendocii liberalitate delectatus est, ut qui hæc tacitâ cogitatione ad Cæsaris voluntatem humanitatemque propinquam sibi libertatem referret; arbitratus benevolentissimum fore principem, qui tam profusæ liberalitatis clientes aleret. Nec falsa spes Regis fuisset, nisi ad Procerum suorum, præsertim absentium in Italiâ Ducum, arbitria rem tantam revocasset, maluissetque congenitæ magnitudinis suæ, quam observantiæ ac gratitudinis in bene meritos Duces oblivisci. 1524.

VIII Carolus Imp. quo minus pari[?] humanitate Regem tractaret à suis prohibetur.

Rex igitur, qui Toletum Cæsarisque familiarem præsentiam exoptabat; ut, quâ erat humanissimâ morum comitate, atque oris cùm gratiâ, tum facundiâ, excellentissimi animi parisque humanitatis juvenem sibi devinciret, ad ignobilis primum oppidi Sciativæ arcem, ac deinde intercedente Lanoio ad Valenceni nobilis aulam venationibus opportunam, denique in arcem Madritianam Castellani regni traductus, variisque adventuri propediem Cæsaris suspicionibus delusus est. Sed ab hujus magnitudine alienum fore dictabant Proceres, si Regem aliter, quàm gratuitâ libertatis oblatione conveniret, hanc verò liberalitatem, ita noxiam, injuratum penè hostem minimè exercendam videri; ut quæ non modò cum gravissimo Reip detrimento, sed & insigni triumphantium Ducum injuriâ conjuncta sit. Nec dubium, quin Borbonius in Hispaniam quoque delatus, totius exercitus imperator, maximumque ad victoriam momentum, hujus quoque consilii fautor, promotorque extiterit monueritque, *beneficium in malè promeritum hostem non temere profundendum; cum quo dimisso omnis facile beneficii gratia, velut in soluta captivitate fera, dissipanda sit*, nec ipse facilè in gratiam paternasque Galliæ possessiones restituendus. Hæc tam improvisa Francisci in Hispaniam interiorem traductio, Venetos ad obligationem cum Cæsare innovandam propensos, tum Pontificem ipsum jam federe, nisi Cæsar recusaret, illigatum, præter ceteros Italiæ Galliæque Principes usque adeò alienavit: ut novâ societate in Hispanorum Germanorumque per Insubriam Siciliamque exitium conspirarent.

IX Italiæ principes adversus Carolum conspirant.

Et quamvis Cæsar, ad affectatæ Monarchiæ suspicionem abolendam, exercitum dissolveret, aliosque ex militibus Sacramento, alios ab Insubribus ad Neapolitanos dimitteret; tamen in periculo ad confirmandam prosus radicatam existimationem metus nimium valuit. Ante alios Franciscus Sphortia &

Q immi,

AnChr immitia nimis Germanorum, & superba Hispanorum imperia verebatur. Qui jam sæpe Cæsaris animum, de paterno Insubrum regno augustalibus tabulis attribuendo, nequicquam pertentassent, quam gratiam, licet ab avis non rarò contemptam neglectamque sexcentis aureorum millibus emere non recusabat. Sed cùm surdo preces pretiumque, ceterorum Italiæ procerum intercessione cumulatum, offerret; aliò consilia animumque vertit Hieronymo Morono, reconditæ astutiæ viro, aulæque principe, vafre propositum moderante. Enimvero hic Piscarium, non levi offensione à Cæsare alienum, remotis arbitris ad Italiæ libertatem propugnandam insigni facundia inflectere conatus est. Cum, & operæ tam sedulo utiliterque Cæsari navatæ emolumenta perquam exigua, & ingentia omnino, præter immortalem nominis gloriam, vindicatæ in libertatem Italiæ commoda proponeret: regni certè Neapolitani coronam à Pontifice in tam præclari vindicis caput transferendam promitteret, quod summo hoc regnum jure sedem Apostolicam respiceret, nec Cæsari legitimâ successione debitum; sed per vim fraudemque ab avo ejus Ferdinando occupatum esset, Aragoniis possessoribus immeritò exclusis.

X *Piscarius admittere consila proditionis & novi fœderis videtur.*

Quæ Piscarius ita excepit, ut ad animum commodorum rationumque pondere inclinatum pervenisse viderentur; cùm Morono gratiam se debere fateretur; ut qui invidorum livore ac malignitate circumvento non iniquū ab iniqua fortuna ostenderet exitum, modò ne fides ceterorum deesset Principum, quibuscum facti præmia ac pericula communicaret, tum ut à peritis doceretur, quo jure ac lege Pontifex regni Neapolitani supremum sibi imperium vendicaret, sacramenti enim religione, quâ Cæsari tanquam Domino tenebatur, hac ratione per majorem potestatem sese exoluendum, nec proditæ violatæque fidei infamiâ, quâ pristinum decus obscurari nolit, apud æquos rerum judices notandum esse. Moronus ubi suis consiliis captum Piscarium crederet, prolixè de ceterorum Principum fide ac postulatorum satisfactione stipulatus, misit ad Pontificem gravis exploratique ingenii virum, Salvium Genuensem, qui omnes consiliorum factorumque rationes, de Italia ab aliorum tyrannide in libertatem vindicandâ, explicaret, quem avide excepit, audivitque Pontifex; quòd probè intelligeret, neminem ante Piscarium Ducum aut Principum majori arte, autoritate, industriâ, viribusque hanc rem acturum, expeditumque cæptis consiliis finem impositurum esse. Jamque ultro citroque pertentatis explicatisque animi sententiis rei audendæ momenta rationesque expendebantur, postquam Pontifex Venetique, de Piscarii voluntate persuasi, assentirentur.

XI *Piscarius aversus denique Cæsari rē aperit. Qui tamen ob diuturnitatis silentium suspectus redditur.*

Cùm Piscarius, incertum, an constanti hactenus in Cæsarem fide, an ex ancipiti facinore revocatâ mente, perscribit in Hispaniam Italorum Principum suscepta pro libertate consilia: quanquā jam Cæsarem ea non laterent; & non admodū Piscarius ipse, à correctæ in se perfidiæ suspicione abesset; ut qui hostium machinationes jam diu exploratas tectâ secum cogitatione anxiè fovisset, inter fidem utique proditioneque hæsitans. Tum Cæsar ne Sphortiæ obstinatè Mediolanensis imperii diploma recusasse videretur, per legatum Lopam Vtadum iis,

legibus transtulit, ut mille auri pondo ære præsenti, quinque millia venientibus temporibus exhiberet. 1525 Nil [illegible]erea Piscarius, Cæsare fidem fraudemque laudante, de suscepta proditionis dissimulatione erga Pontificem ceterosque Italiæ Duces remisit; dum opportuna urbibus præsidia, aliarum causarum obtentione, providisset, atque evocatum ad se Novariam Moronum, nihil insidiarum ob datam fidem metuentem, induisset custodiæ.

XII

Franciscus Sphortiam possessione excludit, moriturque famâ inter posteros ambiguâ.

Franciscus tamen Sphortia, Mediolani obstinato morbo dudum vexatus, sese consiliorum negat participem, magnâque Piscario innocentiæ fiducia imperii sui propugnacula, præter Mediolani Cremonæque arces, permittit, quas, ne indictâ causâ possessione Insubriæ dejiceretur, reservandas sibi asserit. Sed Piscarius, quod ad enervandas conspirantium vires iis sibi arcibus utendum intelligeret, sine cunctatione utramque circumsedit, ut ad obsidionis pericula parum instructas rerum necessariarum inopiâ premeret. At inter hæc officia confectum sensimque extenuatum longis curis vigiliisque corpusculum ingentes viri animos in medio ætatis victoriarumque cursu moriendo destituit, cum ancipiti famâ ad immensas sui laudes, simul & insignem nominis contumeliam frueretur; tam Italis vafrum hominis ingenium detestantibus, quàm incorruptam in Cæsarem fidem Germanis Hispanisque prædicantibus. Ita videlicet res humanæ in magnis viris obtinent, ut quod alii summam virtutem, alii inter suprema flagitia sæpe habeant: prout quique privatis affectionibus in favorem aut odia abripiuntur. Itali certè extremum facinoris detecti non modo dedecus sed & incommodum ægro vix animo sustinebant. Quid enim exspectandum magis, quam Cæsarem tam acerbâ injuriâ ac contumeliâ provocatum occupandæ Italiæ rationes initurum? Qui si Franciscum, libertatis suæ avidissimum, in eandem secum armorum societatem pertraheret; actum de Italiæ fortunis esset, cui tot hostibus circumventæ infame servitutis onus immineret.

XIII

Franciscus Rex in morbi discrimine per Carolum spe libertatis recreatur

Dum hoc Itali animorum æstu ad omnia se consilia, amittendæ libertatis metu, converterent; Franciscus Rex captivitatis impatientiâ; quod neque conveniendi Cæsaris facultas fieret; neque, inter dubias alienæ severitatis ac clementiæ opiniones, expedita sese ratio libertatis ostenderet: eam animi ægritudinem contraxit, quæ in corpus transfusa, inexplicabili remediis malo extremam mortis calamitatem portendere videretur. Cæsar tanto Regis discrimine permotus, propere adfuit, & peramicâ humanitatisque plenâ salutatione, tum injectâ spe certæ libertatis ac clementiæ, ægrum pallentemque jam vicinâ morte Regem adeò recreavit; ut excitatæ vitali calore venæ, frigidusque nativo vigore discussus sanguis, ac supra omnem medicinæ vim lætitiæ conceptæ sensus morbum expugnaverit. Opportunè eo quoque tempore è Gallia Margarita Regis soror aderat, ut fratrem morbo ac captivitate detentum aliquo pietatis officio solaretur. Erat hæc Alenzonii, nuper ex infelicis prælii, fugæque parum honestæ mœroribus oppressi, vidua, indole ac formâ, excelsique animi dotibus prorsus eximia: hanc conciliandæ pacis gratiâ jam vulgus Borbonio conjugem, uti vicissim Eleonoram sororem, Caroli Emmanuelis Lusitani Regis

Jovius in Pisca. l. 7. Guic. l. 16. Belcar. l. 18.

Q 3 gis

Chr. An. gis quondam uxorem, Francisco Regi destinabat.

Sed Cæsar, incertis procerum suorum studiis, ut quisque esset, vel avari vel liberalis animi, ad pugnantia inter se consilia spectantibus, variè distrahebatur. Erant qui gratuitam omnino libertatem Regi præstandam censerent, in his Garsias à Loaysa Oximensis Antistes, qui Carolo à confessionibus erat, hac sententiâ Cæsarem in Procerum concilio allocutus fertur * Singulari ô

Cæsar diversis suorum sententiis distrahitur ex quibus alij libertatē Reg. gratuitò dandam suadens.

, Cæsar, felicitate ac Dei immortali beneficio factum, quod Franciscum Galliæ
, Regem tuis in vinculis ac potestate habeas. Victoria hæc est, quâ non mihi
, de Gallis tantum; verum etiam de hæreticis Turcisque triumphare videris, si
, privatis emolumentis neglectis, id effeceris, ut positis Franciscus inimici-
, tiis, tecum arma voluntatemque ad nostræ religionis hostes opprimendos
, conjungat. Quâ verò ratione ac via hoc potissimùm obtinere possis ostendam.
, Tuis ita Franciscum in manibus possides, ut vel perpetuâ illum captivitate
, stringere, vel gratuitâ libertate dimittere, vel pretio libertatem vendere
, liceat. Quarum mihi rationum prima ac postrema non tam spectare ad immi-
, nuendam, quá augendam belli tempestatem videtur. Sola amica & gratuita li-
, bertas est, quà stabili Regem amicitiâ, ac pacis studio obligatum habebis. Et-
, enim, ut illum perpetuâ inclusum custodia teneas, absque inclementiæ ac
, crudelitatis nota vix poteris. Offendes desperantem de Regis libertate Gal-
, liam, vicinarum incurres nationum odia, caput regni illius à suo divulsum
, corpore detineri asserent, ut membrorum hac parte carentium te facias Prin-
, cipem. Post irritas preces, arma conjungent, & fortè illum coactus dabis,
, quem rogatus noluisti. Jam si lytrum redemptionis expectes, quodnam, obse-
, cro, illud, aut victore aut victo dignum, futurum est? Burgundiam, opinor,
, clavem ac munimentū Galliæ postulas, ut deinde ad ipsa regni viscera impunè
, liceat penetrare, Noli hæc à Gallis, aut illorum etiam Rege expectare, nec
, fidem ad rem tantam facilè daturi sunt, nec si dederint expleturi. Deberi
, illam negabunt, quam necessitas expressit: non voluntas, quæ non tam fœderi
, sanciendo, quam calamitati avertendæ adhibita sit. Quid vero si neque tu
, solâ Burgundiæ obtinendæ spe libertatem Regi offeras? si Insubriam nobilissi-
, mam Italiæ ditionem adjiciendam censeas? quo id animo Galli, quo Itali vul-
, tu accepturi sunt? an existimas illos assentiri, hos probare posse. Hoc illi Galliæ
, propugnaculum, hoc coronæ Francicæ ornamentum sibi adimi nequaquam
, patientur; qui levius aliquanto Regis unius jacturam, quàm regni totius de-
, trimentum ferent, facilius semper habituri illos, qui imperent, quam quibus im-
, peretur, Itali verò divulsam plurium suis in terris potentiam facilius aliquan-
, tò laturi sunt, quam absolutum unius imperium: ne cùm alterutrum formida-
, re cogantur, alterius ope careant, regnum enim accisum cum libertate, quam
, cum servitute amplum malunt obtinere. Has igitur omitte curas, quibus ar-
, ma in te omnium facilius, quàm amorem concitabis: nisi forte arbitreris, af-
, finitate Regem tibi ad certam fidem benevolentiamque conciliari posse. Næ
, tum vehementer falleris, si existimes inveterata utriusque gentis odia ac si-

An Burgundia & Mediolanū à Gallo postulanda?

An per conjugia Gallus obstringi possit?

multa-

, multates, una nuptiarum conviviique hilaritate abstergi posse, facilius He- 1525
, lenam invenies, quæ pacata gentium arma ad multorum exitium concitet,
, quam quæ offensa pacis artibus rursum componat, non tanti sunt Gallis inita
, cum alienis matrimonia, ut illorum gratiâ patrimoniis suis abeant: opulentis
, terris, quam connubiis malunt abundare. Sed obligatæ fidei suos ipse Fran- *An per*
, ciscus liberos obsides daturus est: infirmum sanè vinculum, quod si precibus *obsides fi-*
, forte nequeant, strictis bello gladiis rescindere conabuntur, postquam suo *lio.?*
, cum Duce pugnandi vires audaciamque receperint. Mutabis igitur, si me
, audieris, hoc tuum consilium, & ad amplas regnorum tuorum possessiones,
, egregium potius clementiæ exemplum, quam nova terrarum spolia adjicies,
, non te regna, nec Reges quærere, sed regnorum Regumq; incolumitatē osten-
, des, bella te pacis causâ suscepisse fortiter, fortius etiam eiusdem gratiâ de-
, posuisse significabis. Novum atque à communi hominum sensu, quod sua- *An gra-*
, deo, remotum est, neque abjectos humilesque animos tam præclara cogitatio *tuitâ li-*
, ingreditur: majus aliquid est inimico libertatem dare, quàm adimere: bis vi- *bertate*
, cit, quisquis vincula hosti & injecit libero, & non libero sustulit. Dignissimus *obstringi*
, imperio ille est, qui cum aliorum ferociam armis compresserit, suam denique *magis*
, iram clementiâ superat. victoria hæc est, ex qua nihil sibi miles, nihil fortuna *Gallus*
, potest tribuere, quâ Alexander ac Cæsar olim plus sibi existimationis ad veram *possit.*
, gloriam, quàm armis terrarum ad quietam possessionem compararunt, quæ
, minus quidem terroris, quam aut fortitudo in bellis, aut Justitia in foro exer-
, cita, possidet; cùm hæc sine omni permixtione crudelitatis virtus sit; illæ cæ-
, de etiam ac sanguine pascantur, hanc & miseri implorare, & felices soleant
, venerari: illas pauci amare hostium, nonnulli etiam amicorum aversari. Fa-
, cilè igitur animadvertis, quantâ nominis tui gloriâ hoc meum consilium am-
, plexurus sis, quantâ vero fortunæ, quam habes, amplissimæ, securitate, vix
, satis quidem verbis declaravero. Ostendendum nunc aliis erit nationibus,
, quam procul sensus ac cogitationes tuæ ab omni ambitione iniuriaque remo-
, tæ sint, quæ prima esse solet pacis intercidentis, & regnorum occumben-
, tium labes, demonstrandum nunc orbi, quâ te ratione in ipso rerum adversa-
, rum impetu à tuis etiam inimicis tractari velis, inclementiam illorum atque
, immanitatem, an facilitatem atque humanitatem ab illis præstoleris. Sæve-
, ritate nimia omnem tibi imposterum fortunam magis facies metuendam, post-
, quam tuo in alios exemplo, quid tibi factum cupias ostenderis. Hoc uno fa-
, cinore omnium in te studia convertes, amolieris odia: Regem tibi Galliæ vni-
, cè conciliabis, qui, pro innatâ sibi magnitudine, quantum antea armorum
, tantum deinde liberalitatis certabit studio, & qui se armis vinci passus est;
, ne rursus superetur, in beneficiis nequaquam concedet. Par in te Pontificis,
, Angliæ Regis, Italiæque Principum benevolentia futura est, tuamque æqui-
, tatem amplectentur omnes, quos hactenus ambitionis tuæ suspicione ac metu
, nunquam absolvisti. Arma tuo deponent suscipientque imperio, quicunque
, te pro salute Europæ suscepisse atque etiam deponere velle intelligent. Or-

An Chr.

,thodoxos tibi adversus juratos religionis hostes facilè sociabis , hæreticos in
,servitute, Turcas in timore continebis; modò ne Gallis Italisque timorem incu-
,tias, ac servitutem miniteris. Hoc si feceris , Galliæ Regem amicum sperare
,nunquam poteris ; inimicum etiam, gravissimisque tuis hostibus conjunctum,
,formidare cogêris : neque enim à te ille, aut seditiosos in Germania cives, aut
,victoriosos in Pannonia Turcas volet opprimi ; ne proxima ab his cadat Martis
,hostia, eodem cum hæreticis Turcisque ferro conficiendus. Age potiùs, & in-
,signi quadam animi liberalitate ac regiâ magnitudine , neque te bellorum cum
,Principibus Christianis, neque alienorum cupidum esse regnorum demonstra.
,Ita tuos facilè in obsequio; orthodoxæ fidei hostes in servitute es habiturus: re-
,spirabunt Galli, favebunt Itali, Angli admirabuntur, omnes tantum Principem
,nationes amplectentur , à cujus humanitate & victores præmium, & victi mise-
,ricordiam expectabunt.

XV. *Alij oppositam sententiam tuentur, Cæsariq; persuadet non esse gratuitò dimittendum.*

Magnâ Cæsaris attentione dicentis sententia excepta est, quam tamen neque
suo probare judicio, neque rejicere, ullo argumento cognitum fuit; sed ubi taci-
tâ cogitatione aliquantùm defixus hæsisset , Friderico Albæ Duci magnæ inter
suos autoritatis viro, dicendi facultatem nutu obtulit , qui diversam à Garsia o-
pinionem sic exposuit. * ,Magno divini Numinis beneficio , Cæsar, victoriam
,plurium retrò sæculorum consecutus maximam, nisi inconsulto errore victoriæ
,fructum famamque corruperis. Quod quidem tantò graviùs quàm non vicisse
,dedecus fuerit , quantò majori in illis culpâ, quæ nostræ sunt potestatis , quàm
,quæ alieno reguntur arbitrio, delinquimus. Victoria hæc ita tua est; ut multum
,ex illa sibi ducum militumque vendicet industria ; victoriæ tamen impetratæ
,usus tibi integer relinquatur, cujus vel rectè, vel perperam usurpatæ, laudem so-
,lus ignominiamve mereberis. Non ego negabo Garsiæ, victoriam hanc ad Eu-
,ropæ salutem vertendam esse, Turcam profligatum, oppressam hæresin, religio-
,nem defensam, pacatam Europam, hujus optima victoriæ emolumenta censeri.
,Verùm hæc illis, quibus ipse opinatur artibus, nego occupanda , oppositis ego
,vijs rationibusque abstrahor. Minuendæ inimicorum vires sunt , augendæ no-
,stræ : Burgundia, Mediolanum, & quidquid imperiali debetur Aquilæ, ad nos
,redeat: pacem ille nobiscum, bellum cum hæreticis Turcisque accipiat; si recu-
,set, in vinculis hæreat consiliorum hostilium bellorumque caput. Frustra spe-
,rabimus gratuitæ libertatis beneficio responsurum Regem , frustra Pontificis
,ceterorumque Principum benevolentiam hoc pretio licitabimur. Beneficium
,sæpè arrogantia, sæpè invidia in hominibus destruit : sæpè oblatam nobis gra-
,tiam, gratiam esse negamus , cum necessitate extortum beneficium credimus,
,non partum humanitate. An verò futurum existimas , ut Franciscus benevo-
,lentiâ te potiùs , quàm bellorum metu ductum, id consilij cepisse arbitretur?
,Gallorum Anglorumque arma, Pontificis Italiæque junctas vires plus apud te
,ponderis, quàm mansuetudinis leges habuisse asseret : liberalitatem hanc ma-
,gis ex timore , quàm amore profectam interpretabitur. Quid? quòd ipsa e-
,tiam accipientium indigentia alienam corrumpat beneficentiam ; dum pudet
necessi-

An gratiam libertatis oblatæ pro gratia agniturus Fräciscus sit?

,necessitatis,& gratiam indignanter accipimus: præsertim cùm fortunam nobis 1525.
,reddunt,qui sustulerunt,iidemque videntur esse,qui sanant,quique inflixerunt
,vulnera. Nisi fallor,humanum aliquid in Francisco timendum erit: qui eo se
,tempore Cæsaris videt esse captivum, quo Italiæ sibi pollicebatur imperium:
,qui in ipsa etiam custodia nostram accusat tyrannidem; plura execratur,quàm
,deprecetur:nec tuâ minùs Cæsar,felicitate, quàm suo turbatur infortunio, pari
,erga te æmulationis, & sui doloris inflammatus sensu. Providendum tibi est,
,ne quid nimiâ pecces clementiâ,& dum virtutem gloriamque sectaris,amittas.
,Superos in re tanta consulamus: an illos existimas hunc tibi in manus tradi-
,disse Regem,ut subitò redderes, compedes solveres, quos illi injecerunt, liber-
,tatem dares, quam ademerunt? Rarum atque ingens tibi à Cœlitibus cum hoc
,Rege munus, totius Europæ imperium deferri crediderim; ut consilio ac
,potestate unius sacra profanaque rectiùs administrentur: ut perfidia oppri- *Vnius imperiũ ad dissidia tollenda facit.*
,matur,ut leges & religio in Europa reflorescant, summâ unius voluntate o-
,pus est. A tot Principibus divisum in Europa imperium possidentibus expe-
,ctandum non est, ut stabili inter se pace adversus religionis hostes bello socien-
,tur. Parum firmam conspirationem armorum Garsias molitur, dum libertate
,Regi Franciæ gratis oblatâ eum ad belli societatem in Saxones Turcasque su-
,scipiendi adducere nititur. Sperandum à Gallis non est, ut Hispaniæ illi Ger-
,maniæque hostes suis auxilijs obruant, qui securitate nostrâ suam se putant a-
,mittere,& proprias vires alienâ infirmitate, propriam tranquillitatem nostris
,turbationibus metiuntur. Arma tibi potiùs cum illis experiunda sunt: flu-
,ctuant modò ancipiti curâ distracti, caput,quo tot membra dirigantur, tuis in
,manibus est: vires sine ingenio, robur sine consilio possident. Victoria propè
,ante bellum tua est, cùm non tantùm sine discrimine pugnare ac vincere; sed
,absque periculo etiam vinci possis: habes enim,quo cladem omnem instaurare
,queas,captivum Regem. Vanus iste timor est,quo Garsias angitur; dum Italo- *Bellũ in Europa Francisco capto grave vix timendũ est.*
,lorum,Pontificis, Angli invidiam, armorumque conspirationem formidat,cu-
,stodito Francisco. Singuli nihil possunt, Gallis juncti nihil facient, cum solâ
,Regis libertate tanquam freno,ad pacem Gallos possis revocare,quibus abdu-
,ctis, ceterorum omnium inutilis est audacia; quorũ nemo est, qui Francis quie-
,scentibus, te ferre possit inimicum. At laborat nimiâ sollicitudine Garsias, ut
,lytrum redemptione tanti Regis dignum reperiat, ac tam parcè quidem illud
,Cæsari admetitur; ut partem de Gallorum corde aliquam decerpere videatur.
,Burgundiam negat à Gallia Insubriamque divelli posse: hâc se fide,quantum-
,vis Franciscus obstrinxerit,nunquam liberaturum. Ubi miror, hominem, qui
,omne suum ingenium ac studium ad benè Gallis faciendum contulit, tam ma-
,lè de ijsdem sentire ac loqui, neque aliter, quàm per calumniam patrocinari.
,Intolerabilis certè sit levitas fidem sacramento obligatam non reddere: quæ
,tanta uspiam barbaries,quæ fidem omnem, etiam in necessitate extrema obli-
,gatam,excluserit? Et verò opportuna etiam fraudem cavendi non deerunt re-
,media; dent obsides, nec antè regionibus,quàm Franciscus carceribus abeat.

,Nec

An. Chr.

Redde la imperio quæ eidē debentur jure veteri.

,Nec iniqua postulamus, quæque fidem non mereantur. Burgundia atque Insu-,bria, nec Rege quidem restituto, deserendæ Gallis essent, jam dudum imperio, ,aut feudi, aut possessionis nomine obligatæ: quæ regiones quantò sunt nobilio-,res, tantò minùs Carolo erunt negligendæ. Majorum etiam tuorum, ô Cæsar, ,in Burgundia monumenta ac cineres hoc à te expectare videntur, ne Regem an-,tè libertate dones, quàm eâdem ipsis frui liceat: hoc sibi impendi unicum post ,mortem solatium cupiunt; ut nepotum potiùs cineribus misceantur, quàm ho-,stium corporibus etiam post funus obruantur. Hæc opinor facti gloria ali-,quantò illustrior futura est illâ, quam Garsias ex immatura Cæsaris liberalitate ,tanquam ex viridi ligno flammam excitare conatur, in qua ego plus fumi ac ,vanitatis, quàm veræ lucis ac splendoris reperio. Quos enim admiratores præ-,conesque habitura sit tam inconsulta virtus, nondum video. Germanos fortas-,sis ac Hispanos? Illos scilicet, quorum laboribus ac periculis Regis empta ca-,ptivitas, quorum vitâ ac sanguine tantum victoriæ pretium est comparatum. ,Admirabuntur sanè tam prodigum animum, qui uno die, uno decreto, tot anno-,rum expectationem, tot militum labores sine exemplo, sine præmio, sine gra-,tia profundat. Indignabuntur etiam tantillo hæc in pretio apud suum Impera-,torem censeri, ut gratuitò immerenti, atque adeò hosti impendantur. Attamen ,nemo facilè dubitabit, quin Gallorum laudem gratiamque hoc facinore Ca-,rolus sit promeriturus? Verùm ego sic mihi persuadeo, Gallos hanc liberalita-,tem ac simplicitatem nostram, qui tam opimam de manibus prædam elabi pa-,tiamur, pro oblectamento potiùs habituros, suumque magis Regem, quàm tan-,tam amplexuros clementiam. Neq; sanè gloriosum tibi apud posteros futurum ,est, à Gallis laudatum fuisse, quorum sine magnis emolumentis hanc nemo lau-,dem comparatam intelliget. Qui nostris adeò commodis favent, ut si te mani-,bus constrictum tenerent, faciliùs oleum de pumice, quàm gratuitam ab illis li-,bertatem obtineres. Docuerunt id nuper Mediolanensium captivi à Gallis ,Duces, docuit superiori ætate Ludovicus in Caroli fratris manibus, illi perpe-,tua inter vincula, hic post acerbam captivitatem, ijs solutus legibus, quibus ,magnâ bonorum multatus parte, ad exilium potiùs, quàm libertatem dimissus ,videretur. Ita nimirum Alexandros ac Cæsares tibi in exemplum clementiæ ,productos, Galliæ Reges imitantur. Demus tamen Francisco libertatem, non ,iniquam illi; sed nec Cæsari inutilem: cedat illis, quibus dixi, regionibus, im-,perio jam pridem debitis; ne tribuamus tantam sapientissimo Regi perfidiam, ,ut vel illum juratâ fide abiturum, vel hæreticis Turcisque adversùs Carolum ,adhæsurum credamus. Plus ego in tanto Rege prudentiæ, fidei, pietatis, con-,stantiæque suspicio ac veneror, quàm ut ad extremam hanc rerum agendarum ,temeritatem prolapsurum existimem. Quare etiam atque etiam, ô Cæsar, vi-,dendum est, quibus eum à te pactionibus dimittas, quem semel dimissum revo-,care nunquam poteris; ubi custodieris, semper licebit dimittere, & præcipua ,Reip. tuæ munimenta bellum aut pacem custodiâ aut libertate illius stabi-,lire.

Gratuitā libertatē Regis pauci laudabunt, Galli etiā videbunt.

Galli non solent gratuitò suos captivos sibi adeo utiles dimittere.

Applau-

1525. XVI.

Valuit hac opinio Regiq; libartas certo onere cedendorum oblata est.

Applausit Albano universus Cæsaris senatus, atque in ipsius sententiam sine contradictione discessit. Neque cunctanter Imperator ita sentientibus assensus est. Missus iccirco Buranus Comes ad Regem cum tabulis paciscendi leges complexis, *quæ cùm præter provinciam in Gallia Borbonio restituendam, regnique Gallici in Italicas regiones jura, etiam Navarræ, Burgundiæque abdicationem comprehenderent*, adeò graves Francisco visæ sunt, ut mortem sibi in carcere, quàm ejusmodi pactionem honestiorem optatioremque fore diceret. Neque verò, ut maximè velit, per antiquas Galliæ leges, integrum sibi esse, quicquam de Galliæ possessionibus, sine totius regni consensione atque autoritate, pacto ad alios traducere. Peterent igitur quæ in regia potestate, aut regni lex, aut fortuna bellorum collocasset, nullam sibi promptitudinem, alacritatemque ad Cæsaris potentiam ac commune fœdus stabiliendum defuturam. *Caroli sororem Eleonoram accepturum thalamo, ac Burgundiam dotis habiturum loco, in cujus deinde imperio filij ex Eleonora nati succederent. Borbonio sororem vicissim suam, Margaritam, matrimonio despondendam, nec bonis eum patrijs tantùm, sed regiâ etiam liberalitate auctis restituendum. Angliæ se Regi, cui nihil ex Gallia concedi posset, pecuniâ satisfacturum, Cæsarique mulctæ nomine magnam auri vim persoluturum, regni etiam Neapolitani ac Mediolanensis imperij jure cessurum, cùmque Italiam coronandus peteret, navali terrestrique militiâ adfuturum.*

Ad quæ præstãda Rex Gall. se obtulerit.

XVII.

Carolus in diversa suorum consilijs trahitur.

An Italis offerenda libertas, & cum his, contra Frãciscũ pugnandum?

Non iniqua hæc, nec illiberalis Regis voluntas ac postulatio multis visa est; sed ad diversas parumq; decoras cogitationes abducebant alij Carolum, Mercurius Gatinaria summus negotiorum curiæ Præfectus, ingenio prudentiâque quàm natalitio splendore illustrior, suadebat Italorum Principum animos oblatâ libertate, pro cujus defensione vires omnes artesque in Cæsarem experturi essent, ante omnia stabili perpetuoque federe obligandos: tum deinde ad Burgundiam majori, quàm Insubriam, jure Carolo debitam, arma convertenda esse: haud magno negotio, dum & Gallia sine capite, & Italorum nudata subsidio esset, occupandam. Denique nisi pertinaci obstinatione aliena retinendi decederet Franciscus; Galliam binis mari classibus, ac tripartito per diversas regiones exercitu, totiusque Europæ viribus opprimendam. Sed plus ea securitatis, quàm humanitatis sententia habere Carolo visa est. Enimverò, ut Franciscum diuturnâ carceris acerbitate frangat, ac fortassis adversitatis impatientiâ enecet; ut matrem, filij desiderio ac lacrymis gravissimè oppressam, belli etiam calamitatibus obruat; hoc insolenter nimiùm esset, in rerum secundarum usu alienæ insultare miseriæ. Lanoius igitur ceterique Belgarum cum Piscario Regem potiùs minùs severis conditionibus Cæsari contra Italos obligandum censebant, ut totius Galliæ opibus ad frangendam Italiam, fatali semper odio Germanis Imperatoribus obluctantem, uteretur. Ita veteris imperij majestatem ad unius Cæsarei nominis decus amplitudinemque redituram: cùm divisis Italiæ studijs, ob insanam potentium æmulationem, futurum nunquam sit, ut conjunctis opibus, quæ privatim infinitæ, publicè perquam sint exiguæ communibus sese Europæ viribus, aut diu, aut validè objiciat.

An cõtrà Frãciscus conciliãdus, & cũ hoc ad Italiæ imperiũ connitendũ

An. Chr. XVIII.

Carolus pro Burgundia potius cēsuit pugnandū, quòd hāc sibi avito jure crederet debitam.

Iuris hujus deductio.

Sed Carolo indignum videbatur illud victoriæ emolumentum; quod potissimùm quærebat, neglectum amittere; nec Burgundiam à Rege Francorum Ludovico, sub Caroli Audacis cædem, Mariæ aviæ ereptam, ad patrias possessiones hac opportunitate revocare. Obtigerat enim hic Burgundiæ Ducatus Philippo Audaci Joannis Gallorum Regis filio hereditariâ inter fratres sorte, qui Ludovici Flandri Comitis filiâ in uxorem ductâ, superioris Burgundiæ Comitatum, Artesiam, Flandriam, Nivernensem, ac Retelensem ditionem sibi adjunxit. Philippo Joannes successit filius, qui cùm patruelem suum Ludovicum Aurelianum Ducem ex æmulatione sustulisset, Gallorum vicissim insidijs ac ferro occubuit. Quam patris cædem Philippus bonus triginta facilè annorum bello cum Anglis sociato prosecutus est: dum pacem ab eo Carolus, agris ad Somonam flumen [illegible]tributis, emeret, Anglosque majoribus deindè viribus, totâ Galliâ, præterquam Caleto ejiceret. Sed sopita parentum bella, levi inter filios rerum momento, rursum excitata sunt, quæ Ludovicus ejus nominis Vndecimus, Gallorum Rex, cum Burgundionum Duce, Carolo Audace, magnâ diu armorum virtute ac gloria exultante, pertinacissimis odijs exercuit; donec Carolus infelici casu ad Nanceium caderet, imperio penès unicam filiam Mariam, florentissimarum regionum heredem, destituto. Cujus vires consiliumque, cùm in præsenti bellorum apparatu Ludovicus facile superaret, neque feminæ deberi successionem contenderet, utramque Burgundiam; magnam Picardiæ Artesiæque partem, suis armis possedit, dum tandem Maximilianum Friderici Imperatoris filium atque avum Caroli Maria conjugem ac defensorem acciperet: cujus tamen potentia ad amissæ spem hereditatis explendam sufficere non potuit. Ut proindè Carolo nihil æquè curæ esset, quàm ut in avitam possessionem postliminiò succederet.

XIX

Hæresis per Germaniam Carolo alibi arma pariterq; tractante invalescit.

Dum his deliberationibus tempus otiumque in Hispania consumeret, Germania tanquam sine capite ac supremæ rationis imperio, insana hæresûm bellorumque vertigine circumagitur, tam atroci religionis hominumque exitio; ut nunquam uno tempore majori clade atque immanitate Germania jactata sit, illaque tot gentium domina, quam nullus hostium impunè terruit, servire nunc denique improbissimis dominis, suæ cupiditati & alienæ perfidiæ, ad ultimam perniciem interitumqne cœperit. Memini supra revocati Norimbergam conventûs sub anni XXII exitum, ut ex Pontificis Cæsarisque voluntate executioni mandaretur edictum Wormatiense. Quocum & Cardinalis Campegius Pontificijs, & Joannes Hannare Cæsareis instructus mandatis venisset, & Ferdinandus Archidux cum Bavaris Ecclesiasticisque Principibus impensè obsequendum summis orbis Monarchis esse contenderent, tamen inclinatis jam ad Saxonem Lutherumque animis Fridericus & Ludovicus Palatini, Casimirus & Albertus Brandeburgici, ad vitanda seditionis popularis discrimina, mitiori incedendum viâ esse persuaserunt: ut hoc denique XVIII Aprilis anno seculi XXIV decretum prodierit: *Quandoquidem Cæsaris voluntati per Hannart Oratorem expositâ æquum sit morem gerere; prohibere imperij Ordines typographis libellorum famo-*

Cochlæus & Vlenberg. in Luth.

Schlei[illegible] l. 4. ad an. 24. Palav. in Concil. Trid. lib. 2. c. 10. Surius in Com[illegible]

famoſorum, ac contumelioſarum imaginum editionem, Pontificiâque ac Cæſareâ autoritate cenſere, liberum in Germania Concilium proximâ opportunitate ad controverſias religionis finiendas indicendum. Interea verò ad XI Novembris alter Spiræ Conventus, tum ad gravaminum diſcuſſionem moderationemque, tum ad controverſos religionis articulos diligenti prudentum doctorumque virorum ſtudio expendendos, eſt conſtitutus. Quâ in re ſinguli Principum, *doctis hoc negotium imperare hominibus juſſi ſunt, ut examinatis Lutheri voluminibus ſincera à corruptis privatim ante ſecernerent, ut expeditior ſtatuendi ratio eſſe publicè queat, quid ſcribendum prædicandumque ſit, donec œcumenico Concilio lis finiatur. Ad cujus facilius judicium hæc etiam inveſtigatio profutura ſit. Juſſus denique quilibet* Principum Ordinumque *ſua in ditione decreti VVormatienſis exequendi rationem habere.* Ita quod præcipuum edicti momentum erat, de Luthero ejuſque fautoribus proſcribendis puniendiſque neglectum eſt, & emplaſtrum vulneri non adhibitum: quin præſcriptum de religionis veritate Spiræ diſcutienda, remedium, quod pro veneno erat, ad everſionem non ſanitatem procuratum. 1525.

Undè Campegius viſis his in ſcripto decreti articulis, ſcripto ijſdem repoſuit: *Probari ſibi ſuſceptum de Edicto VVormatienſi promovendo conſilium. Synodum verò œcumenicam, niſi conciliatis Regum armis voluntatibusque, cogi non poſſe: in Pontifice moram nullam fore. At Spiræ antiquiſſimam Eccleſiæ doctrinam, tot ſeculis Concilijſque ac Doctoribus firmatam, in diſceptationem à novellis Doctoribus, & Eccleſiaſticarum forte rerum imperitis, certè totâ antiquitate minimè comparandis, adduci, niſi temere inconſultòque non poſſe. Quis hic inter Doctores diſcrepantes futurus judex? Plebſne, an ex illa ſelecti ſententiam dicturi ſunt? quàm illud futurum confuſione plenum, & hoc arduum? Qui excludentur, irritam injuſtamque, ſi ad votum non cadat, exclamabunt ſententiam: Et quis ſibi perſuadeat, Gallos, Italos, Hiſpanoſque deinde, quod paucis Germanis viſum fuerit, admiſſuros, præſertim in cœtu, nullâ nec Pontificis, nec Cæſaris voluntate, conflato?* Hæc tamen Campegij repugnantis oratio impedire decretum non potuit, quin, ut jam meminimus, produceretur. Publicè igitur Legatus conteſtatus eſt, ſeſe improbante hæc fieri, ad Pontificem rem totam proſcripſit, qui indignatus Germanos ſibi privatim religionis tribunal conſtituere, deliberatione in Cardinalium ſenatu inſtitutâ, non modò ad Carolum Cæſarem, ſed etiam Angliæ Luſitaniæque Reges literas dedit, promptoſque ad opem omnes habuit, quod tamen intra cohortationem potiſſimùm ſubſtitit. Ipſe verò Legatum, cum ijs, qui Catholicarum eſſent partium, Eccleſiaſticis præſertim, obniti voluit. Quoad *Concilium & centum gravamina*, Legatum tanquam ſuopte ingenio reſpondere juſſit: *Pontificem multò magis juriſdictionem Eccleſiaſticam varijs nominibus gravatam ac labefactatam cupere per Concilium inſtauratam. Ceterùm onera Germanorum per leges Concilij Lateranenſis, cujus obſervantiam ſtatim ab electione ſua præceperit, ſublata videri; nec defuturum ex æquo, ſi quid reſtet minuendum:* monebatque ingerendum eſſe, *invaleſcentem hæreſin ad ſacram autoritatem, tanquam magis inermem, principio, deinde verò & ad profanam ſubvertendam niti.* Quod experientiâ deinde compertum eſt.

An. Chr. XX. *Ratisbonensi comitio à Catholicis Principibus aliud decretum sanctius editum.* Tom. Concil. in Clemente VII. Col edit. Cochl. in vita Lutheri.

Aversatus hanc etiam levitatem potiùs, quàm lenitatem, in capessendis remedijs, erroribusque castigandis Ferdinandus Archidux, pro innato Austriacis religionis defendendæ studio, Palatinis Brandeburgicisque seclusis, cum Legato Campegio, Bavariæ Ducibus, varijsque tum Episcopis, tum Legatis Ratisbonam convenêre, novoque decreto rei Catholicæ disertiùs propiùsque VI Julij Anni XXIV consuluêre: *Vt scilicet præter statuta Noribergica, suam etiam VVormatiense edictum vim obtineret. Nihil ex damnatis veterum hæresibus, nihil in Divos Christique Matrem contumeliosum, nihil seditioni obnoxium, aut ore, aut scripto impunè tradatur. Docendi dicendique clàm palàmve officium nemo adeat, nisi Episcopis munus hominemque probantibus. Leges à Campegio Cardinali vitijs per Ecclesiam abolendis, morumque emendationi procurandæ susceptas, ne quis aspernetur, aut negligat.* (erant illæ 35 quibus laicos potissimùm levabat impensis, in sacrorum administrationem & beneficia Ecclesiastica faciendis sublevabat) Statutum deindè, ut *Sacramentorum, Pœnitentiæ, Sacrificij, jejunij suus usus ex ritu veteri atque observantia maneat: desertores ordinum ac religionis pœnas subeant: horum illicita proscribantur conjugia: à scholis VVittenbergicis ac disciplina Lutheranorum quamprimum liberi avocentur, aut beneficijs ac hereditate careant. His rebus exequendis idonei per imperium homines deligantur, quorum operâ & locorum præfecti subsidium, & rei carcerem exiliumve habeant. Quòd si qui turbulenti huic sese decreto objecerint, mutuâ vicinarum provinciarum ope reprimantur.* Fortiter illa à Ferdinando collegisque decreta quidem; sed minor ad exequendum, quàm imperandum virtus fuit.

XXI. *Legati Pontificij pro reformatione Cleri statuta.*

Campegius deindè, ad purgandos Ecclesiasticorum mores, à quibus potissimum ad hæresin manare robur intelligebat, has, separatâ conventione, leges condidit: *Nemo illorum ad corporis cultum insolenti uteretur habitu, non negotietur, non avarè pro sacrorum administratione pecuniam imperet, non cauponis ac potantium immisceatur contubernijs: feriarum numerus sit moderatus: concubinarij loco atque officio moveantur.* Hæc ad frigidum Noribergensium decretum calidiùs, quàm efficaciùs instaurandum, Ratisbonæ sunt constituta.

XXII. *Literæ Caroli ad Imp. Principes, quibus illorũ decreta Noribergensia perstringit.*

Adjecit his XV Julij An. 1524 Cæsar ex Hispania literas, quibus imperij ordines perstringit ob Wormatiensis decreti neglectum, languidasque atque inutiles Noribergensis Comitij conclusiones: *Vt quid enim libri contumeliosi atque infames tantùm picturæ vetentur, ubi quidquid Lutheri hæresin saperet, flammis esset abolendum? Quâ autoritate de Concilio in Germaniam accersendo decreverint, se atque etiam Pontifice inconsulto? ejus procurationem non improbari quidem, verùm sibi Pontificique deferendam. Ceterùm insolens prorsus esse, neque omninò tolerandum, quòd Spiræ comitia ad constituendum de religione Germaniæ indixerint, dum Concilij definitione hac controversia absolvatur. Haccine reverentia summæ potestati debita? Hæccine prisca illa Germanorum pietas, tot seculorum in sedem Pontificiam observantiâ celebris? Tantumne uni in se Luthero ad seducendum potestatis faciant homini perversissimo, qui non minorem, quàm Mahometus olim Ecclesiæ daturus cladem videatur, si erroribus per speciem veritatis insidiosè obtrusis favere pergant? Vetare igitur se omnem de religione actionem, ac velle, ut edicto VVormatiensi obsequantur, nisi observantiæ neglectæ pœnam malint.*

Ita

1525.
XXIII.
Indicta Spiræ religionis côciliatio quã Germani Principes decreverant, sublata.

Ita Spirensis conciliatio interrupta substitit, ad quam Liberæ per Imperium urbes Legatos jam præmiserant, passimque delecti per Germaniam eruditionis famâ nobiliores operam sententiasque conferebant. Quod non pauci Germaniæ proceres, velut partium medij, alia in Catholicorum, alia in Lutheri disciplina damnarent, existimarentque ex sapientûm virorum judicio, deteriora in moribus atque opinionibus utrorumque resecanda, optimis in observationem atque usum publicum traductis. Neque inviti accedebant Sectarij, quòd triumphum sibi, cùm ex transfugarum eruditione ac numero, tum ex popularis causæ rationibus promitterent, postquam sparsa non obscurè per Ecclesiam Romanam perditorum hominum flagitia, jam usu penè ac frequentiâ roborata, multorum oculos gravissimè læderent, & satiùs non paucis videretur Sacerdotum matrimonia tolerare, quàm vagam libidinem.

XXIV.
Effrenis Lutheri quoslibet Germaniæ proceres carpendi audacia.

Horum Lutherus spem audaciamque magnopere confirmabat, qui in medijs imperij visceribus, hac tempestate, tam stolido arrogantique furore in Germaniæ Principes, atque ipsum adeò Cæsarem debacchatus est; ut nihil tam atrox impudensque, aut animus concipere, aut lingua effutire posset, quo illorum nomen famamque, tanquam lixarum scurrarumque è trivio propudiosè non convelleret. Primùm in Principes Noribergicis comitijs collectos, tantâ calumniandi licentiâ invectus est: ut *ad insaniam & infamem tyrannidem prolapsos assereret, qui pro sua libidine fas nefasque subditis imperarent, Cæsareæ potestatis umbrâ larvâque non usque adeò protecti, ut vel purgatiores latere oculos, vel fortes manus, in vindictam aliquando stringendas, queant subterfugere. Id genus hominum nebulones olim, nunc Christianos Principes appellari: horum se morionum insaniam condito inultè stylo nequaquam toleraturum: nec qui idolum illud monstrumque Romanorum Papam hactenus formidare non potuerit, ejus squamas bullasque timidâ formidine reveriturum. Impiam illos in Christianos occupare tyrannidem stricto jam brevi ferro abolendam. Orthodoxorum cœtum ab omni illorum imperio eximium esse, nullis legibus aut parendi officio teneri, solum Christum moderatorem agnoscere. Vulgo cum Episcopis communem esse inter fideles potestatem, nec alio discrimine, quàm officiorum inter se separari. Ceterùm in vulgus infidelium jus legum gladijque usurpare Principes sine noxa posse. Lictores hos Dei carnificesque esse, quibus ad justam malorum reprehensionem ac pœnam offensum Numen utatur: sed omnem sapientiam atque æquitatem ab eis ad plebem, hâc ætate demigrasse, parumque ab intentato jam dudum exitio abesse miseros.* His etiam insolentiora ad plebem in Principes concitandam Lutherus altero pòst anno adjecit; cùm admoniti graviter à Cæsare de neglecta Wormatiensis decreti executione, Noribergæ rursus convenissent, ijs, quæ supra attulimus, constitutis: siquidem in utrumque edictum commentatus, illos porcis atque asinis rudiores in decretis manifestâ contradictione pugnantibus, facit, temulentiæ cæcique furoris coarguit: *Qui cùm frustrà in Lutherum, ait, rictus pandant, experturi sunt propediem iram Dei potentes de sede exturbantis: suam vitam multis saluti esse, mortem excidio fore; quem si malesanæ hæ bestiæ dilaniarint, piaculum adituras, quod nullo aut præsentium, aut posterorum sanguine queat elui. Mirum profectò esse, quòd ille vermium saccus, & debitæ*

An. Chr. *imminenti jam letho victima, Romanus Cæsar, tam impudenter supremum fidei propugnatorem sese constituat. Dignum certè, & hunc, & ceteros Germaniæ proceres, quibus contra Turcam nemo Christianorum aurum manusque commodet; quod ne quis faciat, impensè Deum orandum, quandoquidem Turca moriones istos, tam stolidos atque amentes æquitate ac prudentiâ longè superet.*

XXV. *Lutherus suæ causæ fautores habuit omnes, quos vitæ libertas & opes Ecclesiasticæ trahebant.*

Usque adeò funestâ rabie publicis è cathedris, scriptisque in summa Christianæ reip. capita grassanti, nec auditor, nec lector, nec fautor, ex ipsis etiam Germanæ nationis proceribus, deerat. Zelum hunc esse divini nominis religionisque injuriâ provocatum, plerique censebant, quos vel sentiendi vivendique, vel etiam sacras opes impunè occupandi libertas invitabat: quo autoramento summi quique Principes novæ religioni adscribebantur, ut Ecclesiarum bona tanquam perfidiæ suæ præmia occuparent: nimirum hæc nassa erat tot tantisque piscibus capiendis idonea, ex qua tam regressus difficilis, quàm facilis ingressus. Cùm pauci adeò inconcussæ virtutis reperirentur, qui tam speciosos novarum possessionum titulos, aut primùm oblatos repudiare, aut semel admissos possent deserere, quæ causa cur hæc animorum pestis secularibus inprimis proceribus adhæresceret. Suo etiam mecœnati Friderico Electori Saxonum hoc collyrio oculos solitus inungere, ut infelicissimi Principis cæcitatem foveret, cui anno proximè superiori ex suo monasterio hâc scripsit sententiâ: *In vacuo se illic modò, cum Augustinensium Priore regnare cœnobio, jamque & hunc ad diversum vitæ genus transiturum: sibi censuum redituumque monasterij colligendorum nec otium, nec animum esse, ac proindè in manus sui Principis tanquam heredis proximi consignare, eâ spe, fore ut pars aliqua sibi Principis indulgentiâ relinquatur, caveaturque ne harpyijs quibusdam rapacibus obnoxia maneat.* En præclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum, qui suis ita cœnobij familiaribus consultum ibat, ut ceteris ad libertatē emissis ac possessione exclusis, ipse cum suo Principe hereditatem adiret.

XXVI. *Nova religio per Lutherum excitata diris naturæ monstris divinitus exhibetur.*

Dum hæc Lutherus admirandâ rerum humanarum divinarumque per Germaniam confusione molitur, dum alijs ipse Principibus imperat, alijs minatur, &, velut in theatro, in sacris profanisque suo arbitratu constituendis, scenicum Regem imitatur, festos, nonnullis demptis, proscribit ab humana observatione dies, cæremonias ritusque veteres eliminat, sacrificium divinum abolet, monasteriorum alia in palæstras artium, alia in Principum aulas convertit. Natura suarum etiam in bestijs hominibusque legum oblita, monstra illa religionis novo spectaculo oculis humanis subijcere, animisque inculcare visa est. Freibergæ prodigioso in lucem partu vitulus cucullatus prodijt, quem Minotauri Wittenbergensis titulo honorârunt: non obscurâ Lutheri Monachi degenerantis imagine. Landsbergæ alter vitulus sacerdotis insignis habitu spectatus est, non minori illius ordinis fœdè lascivientis infamiâ. Wittenberga, Lutheranæ factionis seminarium, portentum in duobus pueris geminum dedit, alterum sine capite, alterum pedibus post tergum inversis natum: utrumque nobilem fidei Ecclesiæ Wittenbergicæ typum, quam sine visibili in terris moliebantur capite, & retortis à trito Maiorum tramite vestigijs.

Jam

Jam exulcerata per Germaniam omnia monstris etiam graviora minabantur. Etenim rusticanæ seditionis incendium, cujus nuper Lutherus impotenti linguâ in Principes grassatus semina jecerat, gliscere, sensimque ijs valescere incrementis cœpit; ut nisi plurimo sanguine restingui non posset. Erat Thomas Muntzerus sacerdos apostata Lutheranæ factionis non ultimus satelles; is, ut quilibet eo tempore Sectariorum sibi credi volebat, utcunque tandem S. Literis abuteretur: ne autoritas deesset, Nicolao Pelargo duce atque auspice, ut supra memini raptus, & colloquia cum Deo Patre, ac Michaële Archangelo, cœpit fingere; nec ab eo instituto alienus est creditus Carolostadius, qui scholas Theologicas, Philosophicasque Wittenbergæ primus, absente Luthero, damnaverat, atque à solo Deo (quod Enthusiasticæ huic sectæ proprium est) abdita religionis secreta haurienda sensit. Non deerant tamen, qui Prophetis hisce, quantumvis ab omni humana ratione delirantibus, aures darent: *quod semel à linea rationisque via aberrantium error denique sit maximus.* Suus tamen huic impietati color ad imaginem veræ pietatis non deerat: cùm ab illa morum dissolutione, quæ Lutheri doctrinam in vulgus sequebatur, ad severiorem vitæ disciplinam corruptos licentiâ homines revocarent, detortis in omnem sensum S. Scripturæ testimonijs, prout divinâ inspiratione sese hausisse impudenter jactarent, ac flagitia etiam fœdasque libidines, quibus mutuò corpora substernerent, misericordiæ operibus, præclaro videlicet Scripturarum usu, adscriberent; propalam tamen rigidæ sanctitatis professores: ut ostenderent, nullum adeò turpe atque immane facinus reperiri, quod perversâ legis Dei interpretatione virtutis habitum nequeat induere. In his Muntzerus, ut dicebam, primipilaris, illa nuper à Luthero in Episcopos ac Principes cumulata convitia seditiosè urgebat: *alienum à Christiana æquitate* dictitans *istam, quam in subditos asperitatem usurparent, lautè illos mollemque cuticulam subditorum impendio curare, legum interea ac tributorum inclementiâ rusticam plebem opprimere; ut illis sine laboribus pingue etiam otium, his inter labores vix nuditatis famisque amoliendæ præsidia suppetant.* 1525. XXVII. *Rusticorum adversus dominos suos seditio Muntzero & Pelargo Anabaptistis autoribus concitatur.* Meshovius in hist. Anab. l. 1. Cochl. in vita Lutheri.

Revocanda in orbem antiqua Christianorum tempora, noxæ tyrannidisque inter ejusdem religionis homines prorsus expertia; quando opibus ad communem usum collatis, neque quisquam ad profusum luxum abundabat, neque egestate vilis ceteris, sibique gravis reperiebatur. Hæc ad ingentem inopis vulgi plausum in Thuringia Muntzerus, aliique ex Lutheri schola, argumentis haud multùm diversis inculcabant: ut proinde in Suevia, Franconia, ac Lotharingia passim suis rustici sedibus exuti, ad dominorum suorum excutienda imperia, consilium, atque arma conferrent. Et Suevorum quidem natio prima ad rebellionem vexilla sustulit, anno vigesimo quinto, postquam sua postulata duodecim articulorum scripto antè vulgassent, quæ nisi ultrò sibi à Magistratu deferrentur, vim intentabant. In his *libertatem, ab Evangelio Christianis indultam, & indignæ servitutis onera ad æquitatis præscripta mitigari postulabant. Decimas tantùm frumentarias à delectis in pauperes, Ecclesiæque ministros erogandas admittebant. Silvas, ferasque, pisces, ac flumina, non paucis sigil-* XXVIII. *Christianorum bona ut primis seculis, volunt esse omnibus communia. Suevorum in homines à Magistratu postulata.*

lation

An. Chr.

latim Proceribus, sed usui publico servire cupiebant, Legibus pœnisque, quotidie, pro imperantium ac punientium ingenio affectuque crescentibus, modum ac salubre temperamentum adhibendum esse: ne tot leges, ut plerumque fit, sine lege administrentur. Ministrorum pro Ecclesia delectum, abrogationemque vulgo deinde relinquendam; ne indignis, aut pateat hæc autoritas, aut conservetur. Denique hoc scripto nihil sese complecti, quod irritum nolint si divinis paginis adversetur: & præter quod futuris temporibus aliud ausuros sese non affirmant, ubi quicquam S. scripturæ repugnens offenderint.

XXIX *Lutherus vulgato scripto, tam Principes & Dominos ob inclementiam, quam rusticos ob rebellionem reprehendit.*

Lutherus, ad cujus autoritatem provocaverant rustici, eidem seditiosorum hominum scripto typis repetito, gravem in Principes ac magistratus, præsertim Ecclesiasticos, reprehensionem subjicit; *quod suâ inclementiâ, & Evangelica, quam tradat, disciplinæ neglectu hanc plebis indignationem, immites Tyranni, concitaverint. Deum esse, à quo justissimâ perfidiæ vindicatione, incenso, hæc rusticis iniecta mens fuerit: qui licet quædam, parum æqua, quædam tamen etiam divino humanoque judicio consentanea, postulent.* Deinde & ad rebelle vulgus Oratione conversa, *damnat inconsultam temeritatē, cùm aliena à Christiano nomine vlciscendi cupiditate, tam cœce atq; impotenter efferantur, ut & judices suorum se dominorum constituant, & injuriis ad patientiam opportune uti nesciant. Iubet igitur vtrosque consilio suo, illos quidem Tyrannidem, hos arma deponere. Futuram ceteroquin, ut Deus nebulones nebulonibus severe admodum castiget; atque ex seditione hac, velut tempestate communi in omnium capita fulmen detorqueat.*

XXX *Francones cum Svevis Lotharingi & Thuringi rebellant.*

Neque verior vates Lutherus unquam: siquidem ad lacum Constantiensem & Danubium Francones, Svevique: alibi ad Mosam, Rhenumque Lotharingi, per Thuringiam Saxones, tantâ multitudine ferociàque collecti sunt; vt funestissima rerum facies totam impleret confunderetque Germaniam. Ferro omnes facibusque armati, inauditâ in omnes crudelitate, præsertim in consecratos Deo homines, grassabantur, nullaque humani divinique juris reverentiâ, sine modo, ac ratione furebant: obvia quæque, sacra, profanaque in prædam cessere. Monasteria, arcesque nobilium per solam Franconiam supra ducenta, insanam hanc rabiem vimque immaniter in fortunas vitamque omnium sævientium, extrema vastitate, sustinuere. Hæc acies cùm primo quidem in sacrorum hominum collegia ac capita instrui videretur, dissimulatum fuit; Luthero eiusque gregalibus de tam fideli rusticorum opera sibi tacitè plaudentibus: at ubi in totam nohilitatem nibilo mitius sæviri cœptum, & crudelissimo mortis genere non pauci innovatæ Religionis levitatem expiarent, Lutherus stylum vertit, plenaque sanguinario in rusticanam plebem scripto bacchatus est: hos *Sathanæ discipulos, fœdifragosque mortales conspirantium* Principum *ferro quantocius stygi immolandos, nunquam gratiori superis inferisq; victimâ litari potuisse.* Ita nuper Rusticis, nunc Principibus, ad cruenta consilia inflammatis, Lutherus, præcipua seditionum tuba, funesto clangore præludebat tam ad laudandū quàm detestandū facinus paratus, prout spe metuque successuum in diversa raperetur.

Loca sacra, Monasteria arcesque passim nobilium vastata.

Lutherus frustra hos exsecratur.

XXXI *Svevi Trucesio Duce Lutharingi*

Primus adversus tumultuantium gregem exercitum duxit Georgius Truccesius Suevici federis Imperator. Hic res iam propemodum ultimâ desperatione

tione

1525.

ctione prostratas, virtute suâ, sociorumque audaciâ, utcunque erexit, cum homines furore magis, quam consilio fretos primus magnâ clade attriverit docueritque, non tam multitudine, quã arte bellum administrari. Hunc Antonius Lotharingiæ dux imitatus, rebellem suæ provinciæ populum tribus locis præliisque tam luculentâ strage percusit, ut octodecim illic rusticorum millia motæ seditionis infamiam suo sanguine consignarint, non sine præsenti ope Numinis quâ tam facile gravissima prorsus tempestas levi armorum, tanquam ventorum impulsu, discussâ, momento penè & videri & timeri desiit. Par illorum rebellium exitus, qui haud procul Wormatia ad Petershemium coiverant, in quos Ludovicus Palatinus & Richardus Trevericus Princeps duxere exercitum: quanquam & fraus quibusdam pro virtute fuerit, cùm dedititiis post arma vitam extorserint, rati fidé nullam perfidiæ deberi. Munzerus denique fax ac turbo sceleratorum per Thuringiã hominum, ad eam quam potissimum adoruârat tragædiam digno eventu concludendam postulabatur. Hic Phiferum & hæresis & rebellionis cœptæ adiutorem nactus, post collectam temere rusticorum hominum manum, non infelici marte seditionem est auspicatus, Phifero ad quidvis suadendum audendumque prompto. Hic (ut enthusiastis ejusmodi familiare erat divinare ex somniis) magnam sibi murium catervam per soporem objectam ad suos disserebat, quos strictâ ipse manu ferroque oppressisset, haud dubio hostium à se conficiendorum argumento. Subinde in agrum Isfeldicum omni crudelitate effusus, sacras Ecclesiarum opes arcesque nobilium magnâ strage prædisq; opimis depopulatus est. Repressit aliquantulum furiosè grassãtiũ impetum Albertus Mansfeldius, dum Joannes & Georgius Saxoniæ Duces, cum Philippo Hassiæ Domino, consilium atque arma conjungerent, quorum illi copiis territi Francusio vicinũ insederunt montem, frustraque per legatos ad seditionis auctores pro vitâ multorum, dedendos postulati, armis de salute maluerũt decernere. Ad quod propositum valuit Iris de cælo insigni specie affulgens, quã cùm suis factiosi vexillis adumbratam gererent, Muntzerus ad prodigiũ, & manifestam Numinis opem, spectaculum vertit, projectoq; ad superstitionem vulgo haud difficulter persuasit. Verùm, ut signa manusque ad pugnam collatæ sunt, imperita militarium stratagematum multitudo, loco brevi animoque dejecta, salutem nec pugnando, nec fugiendo tuere potuit. Muntzerus Francusii lecto, tanquam æger, immersus, deprehensusque cum Phifero, acerbâ morte rebellionem luit; in qua tamen, cum insigni dedecore, resipiscentiæ laudem conjunxisse dicitur.

Antonio magnas Rusticorũ strages edunt

Ludovicus Palatinus, & Richardus Trev, Princeps rebelles ad Rhenum profligant

Munsterum & Phiferũ, frustra suos visis somniis animantes Mansfeldius, Saxo, & Hassius, Ducibus captis, perdunt

XXXII

Sublato Müntzero Anabaptistarum hæresis repressa quidem, non tamẽ oppressa est

Verùm hoc capite Anabaptistarum sublato, hæresis illa tanquam lernæa hydra aliis monstrosè capitibus pullulare cœpit, neque ista factiosorum hominum insania acquievit, dum, per totam effusa Germaniam, Galliæ, Italiæque in alpibus fines cruento multorum excidio funestasset. Siquidem plus quam centum quinquaginta rusticorum millia suâ hanc cæde rebellionem expiasse feruntur, primæ immutatæ religionis hostiæ. Poterat Muntzerus magnam sibi, non magno negotio addixisse Europæ partem, si pedetentim consilio-

An. Chr. que rem magis, quàm impetu aggressus esset. Nam diversâ à Luthero incedens via, qui Principes sibi primò Nobilitatemque, vitæ opumque Ecclesiasticarum occupandarum libertate addixerat, plebem sibi adversus Nobilitatem potius conciliandam, servitutis & vectigalium immunitate propositâ statuit: eodem S. bibliorum, quo & Lutherus usus adminiculo, tum primo Christianæ olim vitæ exemplo, cùm omnes dignitate æquales, conditione liberi, promiscuâque opum collatarum usurpatione divites indigentium necessitati subvenirent; non egestate minus, quam opulentiâ, gravissimis ad flagitia invitamentis, proscriptâ. His cùm ad majorem pietatis speciem, & cultus omnium tenuis honestusque, & jejuniorum liber usus, & frequens orandi studium accederet, singulari confidentiâ ex Christi promissione & quidvis sese à Deo impetrare, & certò ipsius explorare voluntatem posse, signo aliquo spectaculoque menti objecto, asserebant: mirum est quanto vulgi assensu in aures animosque omnium influerent, ut qui ab illa dissoluta vivendi ratione, ad quam Lutherus summa rerum sacrarum confusione & pietatis neglectu Germaniam traduxerat, abirent longius, & liberé simul pieque Deo magis, quam homini, serviendi opportunitatem sufficerent. Ita singulari Dœmonis artificio (quod in omni hæresi persuadendâ assolet) probis juxtà atque improbis suæ tendiculæ ad impleandum collocatæ sunt, ut alios utilitatis, aut voluptatis lenocinio teneret: alios etiam virtutis ac religionis imagine deluderet.

Qua arte hi sectarii hominum multitudinem traxerint licet viâ à Luthero prorsus.

XXXIII *Hæc hæresis per intervalla in magnis urbibus erupit. Colonia tantum tempestivè oppressa est.*

Repressa illa quidem Germaniæ pernicies tot hominum internecione, tanquam sectâ corporis vena morbus utcunque est; non tamen penitus oppressa, ut tragicis suo loco exemplis constabit. Neque rura solum tam pestilens afflarat contagio, sed in urbes ac politiorem quoque gentem admissa erat, nec primis ubique exarsit scintillis, verùm alicubi sensim & accepta, & fota, in gravissima denique erupit incendia. Colonia Agrippina urbs ad Rhenū nobilissima, antiquo religionis pietatisque cultu inviolata hactenus, hoc tam funesto Germaniæ tumultu non leviter concussa laudem constantiæ & integritatis pristinæ propemodum corrupit. Mense enim integro armati ad occupandam libertatem cives, inter fas nefasque hæsitare, tributim cætus cogere, noctu etiam occultis conventionibus agitare consilia, de Ecclesiastico ordine, de senatu opprimendo cogitationes admittere, dum inter ancipitem pietatis cum impietate luctam, illa suis demque momentis ad inclinandos civium animos, bonorum hortatu, plurimum valeret: ne illud religionis domicilium, tot sanctorum hominum monumentis illustre, tot Martyrum notatum sanguine, & fœdis parricidiis perfidiæque sceleribus contaminaretur. In tam lamentabili Germaniæ, propemodum occumbentis, funere, auxit pereuntium numerum Fridericus Elector Saxoniæ non ferro, sed morbo oppressus, illo primum spectaculo fruitus, quo illi tot occumbentium Germanorum victimæ, tanquam inferiæ, ad Manes præmittebantur, quam funebrium ludorum tragœdium primus ipse Germaniæ Principum, per Lutherum adornarat, dum non indulgentiâ tantum, verum & patrocinio nascenti stultè hæresi vim audaciamque suppeditavit. Qui

si eâdem

ſi eâdem cupiditate quondam delatum ſibi Imperium (quod in Carolum volens transtulit) quâ Lutheranæ factionis libertatem, occupaſſet, nullum in Germania antiquæ orthodoxæque religionis extaret veſtigium. 1525

Succeſſit Friderico improli Germanus frater Joannes, eiuſdem hæreſis atque Electoratus heres, qui eo jam antè Lutherum affectu complexus fuerat, ut cum illo errores (quod perditè amantium eſt) ſimul amplecteretur. Minus tamen hujus autoritatem reveritus Lutherus, caſtitatis profeſſione abire publicè conſtituit, quam potentiæ humanæ limites excedere operoſe nuper inculcaverat. Vt iccirco paſſim voluptatis Lenocinio abrepti, ubi patronum velumque flagitiis reperiſſent, ad inceſtos thalamos conſecrati Deo, ſexus utriuſque homines, provolarent. Caroloſtadius turpiſſimæ Veneris in caſtris anteſignanus primum illicitis nuptiis chorum torumque commaculavit, tanta applaudentium ſymmyſtarum impietate, ut in locum Sacrificii Miſſæ abrogatæ, nuptialem miſſam ſurrogarint: cujus introitus hic erat: *Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile; Adhærebit homo uxori &.* quæ apud Cochlæum expoſita latius reperies, qui non illepidum vicini Principis conſilium adjungit, à quo cum Caroloſtadius ferinas pro nuptiali epulo carnes rogaſſet, aſinum mactatum ac ſale conditum, auribus pedibuſque in fundo vaſis depoſitis, pro cervo eidem deſtinarit: dignas his nuptiis lautitias. Hunc tamen deinde Lutherus velut choragum, integræque hominum ſacrorum turmæ, laxatis monaſteriorum ac pudoris repagulis ſunt inſecutæ. Quibus Lutherus denique tanquam unus ex Vlyſſis ſociis à monaſtica Circe Catharina de Borre transformatus, acceſſit, ſummus ſacrilegarum libidinum Imperator. Hanc Friderico etiamnum vivente, ſuoque cum monitu, tum cœlibis vitæ exemplo obſiſtente, non auſus eſt publico ſibi flagitio obſtringere, denique ſub eius mortem, poſt inflammatum diu libidinis, ut fatetur, æſtum, infami ſibi thalamo copulavit: illâque pereuntis Germaniæ tempeſtate faces nuptiales accendit, quâ fax ipſe patriæ ac religionis publica, triſtiſſimo Europam incendio, inter bella ac cædes miſerarum gentium, conſumebat. Quo facto non modo ſuorum in ſe hoſtium linguas ſtylumque, levitatem acerbè perſtringentium, vertit; ſed amicorum etiam indignationem reprehenſionemque promeruit: longè omnibus novum hoc facinus à viro Apoſtolico abeſſe dictitantibus, quo tantum carni adverſus continentiam ſuo exemplo indulgeret: cui D. Pauli conſilio vivendum, potius, ne ſuæ quam alienæ cupiditati in ſolvendis continentiæ vinculis faviſſe videretur. Sed Lutherus ſibi hæc ad gloriam imputans, tot hominum Religioſorum à clauſtris ad nuptias defectiones, quas inter præcipua novæ religionis cenſebat miracula, ſuâ non minus imitatione, quàm oratione laudare voluit.

XXXIV Friderico Saxoniæ Duce extincto Lutherus ſolutior Catharinam Monialem ad thorum ſeducit: ut quod monaſticis, verbo ſuaſerat, exemplo deſeret.

Majoribus nihilominus incrementis invaleſcebat quotidie hæreſis, neque hiſce vitiorum offenſionibus interturbata vires amittebat, flumini vaſto ſimilis, quod ad parvas lapidum vallorumque moras, non tam retardatur, quam effervescit vehementius, ſuoſque per obſtacula impetus promovet. Auxit hæreticorum

XXXV A catholici invaleſcunt, Alberto Brandeb. Teutonici ordinis magiſtro ab Imperio & Eccleſia deficiente.

An. Chr.

Surius in commēt. Schleid. lib. 5. in fine Guagnius de ordine.

partes etiam Albertus Marchio Brandeburgicus Teutonici ordinis in Prussia Magister, quem & suo veneficio, illa carnis lenocinatrix, voluptas infecit, ut de sua dignitate ac salute periclitari, Deo Cæsarique fidem abjurare, quam hoc carere fructu nuptiarum mallet. Noribergicis præsens comitiis hoc primum virus haurere cœpit, ad suos reversus hoc egit, ut & Prussiæ retinere Imperium, & suæ posset cupiditati tutò obsequi. Quocirca cum Rege Poloniæ Sigismundo conciliatus est, quocum illi atrox bellum intercesserat, quod illius in verba fidemque juratus nollet concedere, neque alium præter Cæsarem supremum se agnoscere Dominum profiteretur: mutatâ enim voluntate, Sigismundum jurata sibi fidelitate Dominum, defensoremque adjungit, hæresimque amplectitur, ac muneris loco, deposito Magistri nomine Ducis Prussiæ titulos accipit; nec multò post Dorotheam Friderici Daniæ Regis filiam in thalamum admittit. Quâ perfidiâ cùm universi in se ordinis indignationem concitasset, Walterus ei Cronebergus communi omnium suffragatione suffectus est: cognitamque inter Albertum & Sigismundum tractationem Cæsar rescidit, ac pervicaciter proposito insistentem Spirensis judicii sententiâ proscripsit. Hac tempestate jactabatur Europa, atque inprimis Germania, quam facilè apparebat, in tot hæresum fluctibus, ventisque pugnantium opinionum non nisi cum multorum excidio quieturam: cùm difficile sit excusso inter scopulos verticesque æstuantes clavo, præcipitem ab interitu navim revocare, nisi tempestivâ subvenientium ope, periculum dissiciatur.

XXXVI. Germāiæ clades ex dissensiônis Principum, & Cæsaris absentis cunctatione, Comitiis frustra & sine effectu institutis.

Sed fatale hoc prorsus erat Germaniæ, quo languente, aut extinctâ Principum multorum pietate, Imperatore inter alias curas peregrè occupato, segniterque pro rei magnitudine, ac discrimine fidei defensionem suscipiente, veterator Sathan inexpiabili prorsus odio Germanorum animos à se mutuò divulsit, plaudentibus ad hæc, alimentaque malorum subjicientibus vicinis quibusdam gentibus, qui in Germanicæ nationis calamitate suam se incolumitatem firmare posse existimabant. Vrgebat tamen eminus Cæsar, verum irritis semper mandatis, Wormatiensis decreti executionem. Datis enim hoc anno quinto & vigesimo literis, novis Augustæ comitiis Principes convenire voluit; ut positis inter se offensionibus, de quiete publica Germaniæ rectius consulerent, illas etiam, quæ in judicium ac senatum Imperii corruptiones irreperent, maturâ emendatione prohiberent, de Turca communibus opibus avertendo decernerent. Hunc Ferdinandus conventum Novembri mense frustrato conatu

XXXVII. Spiram principes frequentibus comitiis conveniunt, & A Catholicis

Proceribus indixerat, quòd compositæ nondum rebellium agricularum turbæ, suis quemque de rebus solicitum domi continerent; inter paucos tamen constitutum; *ex præscripto SS. Patrum Doctorumque ab Ecclesia Christiana receptorum Dei verbum populo exponendum, procul omni seditiosæ orationis genere.*

In sequentem verò annum, ad Maii Calendas, indicta omnibus cogenda Spiram comitia: quorum hoc loco successum lubet adjicere, ne sequentis historiæ cursum alienâ tractatione interpellemus. Magna hæc Principum utriusque partis frequentia ac studio coière; sed exitu, ut semper, ad orthodoxæ religio-

nis interitum, majúsque hæresios incrementum spectante. Præter Cæsaris legatos Ferdinandus frater, Elector Saxonum Joannes, & Hassorum Princeps Philippus Casimirus Brandeburgicus, Philippus Badensis, Guiliemus Bavarus & Ericus Brunsuicensis, præcipui Procerum aderant. Horum plerique ex Acatholicis eo venerant consilio, ut certa quædam de religione constituerent, atque illius jam rei perficendæ negotium, quibusdam ad hanc tractationem delectis obtulerant. Verum Cæsaris legati convocatis ordinibus contrariam sui Imperatoris mentem exponunt, qui & nuper actionem omnem de fide in Spirensi comitio, ex Principum voluntate suscipiendam, interdicto cohibuerit; & modo facultatem sibi iis de rebus constituendi negaverit. Simulque literas „Cæsaris Hispali datas hac sententia recitant * Se Italiam prima opportuni-„tate inaugurationis aditurum gratiâ, acturum illic cum Pontifice de concilio „ad finiendas religionis controversias quamprimum instituendo. Interea le-„gibus ac cæremoniis Ecclesiæ veteris insistendum omnibus: nihil de religione „nisi ex formula edicti Wormatiensis constituendum * Quibus literis ita ex scri-pto per urbium Imperialium Legatos responsum est, vt dicerent * Se obse-„cuturos Cæsari, quantum per æquitatem liceret. Religionis controversias „magnis indies incrementis augescere, multa in cæremoniis Ecclesiæque ritibus „vitiosa insedisse, quæ remedium postulent. Seditionis & præteritæ malum, „& metum futuræ, cogitatæ executionis, ac præscriptum Wormatiense, vim „elidere: nec ipsum quidem Cæsarem præsenti illud autoritate factorum, ut va-„leat. De concilio, quod à Pontifice promittat, rem inanem esse, aut sanè in-„certam, postquam recentes inimicitiæ hanc spem disiiciant. Orare igitur, ne „certa Germaniæ ac religionis divulsæ pericula, dubiâ ope differat, seròque de „rebus perditis consultet. Superioris anni turba, argumento esse, quàm præci-„piti loco Germaniæ salus hæreat, quàm facile tota in ruinam impelli possit: ar-„bitrum ipsum adjutorémque poscere Cæsarem. Illud modò consulto factu-„rum, si Germanis suum indulgeat concilium, quo gliscenti occurrere malo „possint, & rerum inter spem desperationemque nutantium exitio antevertere. „Non laudari consilia, quæ rebus jam profligatis instituantur. Hæc tamen de co-„mitiis, si minùs probet, Wormatiensis decreti obliviscatur, nisi vulnus nupe-„rum, suâ nondum cicatrice obductum malit recrudescere, plagâ fortè, deinde „incurabili. Postremo adversus Turcam nihil auxilii præsentis adfore, quamdiu „intestinâ Imperium laboret discordiâ, morbum hunc vires Germanorum per-„dere, neque ægro in corpore futurum robur, nisi imbecillum atque inutile. *

Sed legati Cæsaris de religione negant aliud velle Imperatorem, quam ut Wormatiensi decreto acquiescant: de Concilio cum Pontifice se acturũ.

Acatholici respondent, abusus in religione corrigendos esse. Tale verò Concilium frustra exspectari.

Aliud postea argumenti diversi exhibitum ab iisdem est scriptum Principum collegio, Saxone ac Hasso pleraque moderantibus. Hoc questi sunt * Mendi-„cantium in urbe monachorum da Reip. detrimenta ordines invalescere „non paucis ea interverti vitæ præsidia, quibus & pauperum & te-„nuiorum fortunæ civium levari possent, ad hos & legata amplissi-„ma, & hereditates non raro integras derivari, onere tantum, emo-„lumento rerum pub. nullo. Sui igitur consilii esse, his ne liceat deinde sua ad

XXXVII *Quænam Acatholici corrigenda censerent.*

1525

An. Chr » posteros propagare sodalitia, nec mortuis vivos sufficere: liceat verò hac sta-
» tione ad diversum genus vitæ abscedere non omni fraudatos stipendio, cetera
» ad ærarium pauperum bona transeant. Præterea æquum minus esse, ut omni tri-
» butorum onere vacent Ecclesiastici, utque immunitate singulari populo exi-
» mantur. Liberalitate Regum factam hanc olim gratiam, cùm neque nume-
» ro, neque re familiari magnâ essent; nunc ubi in immensum opes auctæ, dero-
» gandum concessionibus, ne possessiones à vulgo transeant, onera relinquantur;
» rationem postulare, ut ad quos commoda tributorum perveniant, deferan-
» tur & onera. Feriarum etiam perfrequentem usum adstringendum paucitate
» festorum videri, neque sua ad incommoda tam opum, quam salutis cogendos
» homines; alibi sæpe opus necessarium, hac lege malè abrumpi; alibi ad otium
» luxumque mortales innatâ seduci licentia: hos dies, non tam ad cultum Nu-
» minis, quam offensionem passim converti; dum post sacrificium perbreve inter
» ludentium helluantiumque greges, opes, tempus, innocentia pereunt: ridicu-
» lum præterea illum in cibis delectum videri, quem ex præscriptione, nec qui
» abundant, nec qui egent rectè sequantur: illi sæpe exemptionum prærogativa,
» hi necessitate liberi.* Ita popularibus argumentis, quæque pietatem cum u-
tilitate multorum ac honestate viderentur conjungere, vulgi Principumque ad-
versus Ecclesiasticum ordinem studia occupabant, dum ex corruptis quorun-
dam moribus, vitam omnium Deo consecratorum hominum, simplicibus su-
spectam, cupidis invisam facerent; ut si ex quorundam ebrietate, omni proti-
nus vino interdicendum mortalibus esset, & ipse de cœlo sol proscribendus
quia tot eius luminibus ad flagitia abutuntur.

XXXIV *Acatholicorum pars freta multorũ ope vix continetur.*

Catholici & Cæsaris interdicto, & postulatorum difficultate, ab omni reli-
gionis negotio tractationem avocabant. Saxonum & Hassiæ Principes jam
Galliæ, Italiæ, Angliæque adversus Cæsarem aut offensione, aut conjuratione
animosiores, ut timorem cunctantibus injicerent, abruptâ deliberatione disces-
sum moliebantur, imperato jam suis abitu, rati opportunitatem se nactos re-
ligionis controversias gladio citius, quam voce definiendi. Quo cognito Fer-
dinandus Archidux, & septemuir Trevericus Richardus, ut rem discriminis
plenissimam exulcerato hoc tempore averterent, omni contentione obstitêre.
Igitur quo erecti ad hujus conciliationis eventum plerorumque animi aliquâ
pacis ratione acquiescerent, decretum; *ut constituendæ religioni firmandæque tran-
quillitati, vel Germanorum, vel publicum orbis totius concilium cogeretur, eiusque in-
tra annum fieret exordium. Monendum legatione Cæsarem, ut ad turbatam imperii
tranquillitatem, tempestivis auxiliis falciendam & adesse ipse præsens, & operam commo-
dare ne gravetur: denique, ut dum concilio religionis controversiæ abolerentur, eam qui-
libet ex Wormatiensis decreti sententia factorum domi forisque rationem ineat, quâ &
Deo, & Cæsari satisfacturum se arbitretur,* lege ridicula, quam ferrent semper, im-
plerent nunquam.

XXXV *Mutua conjurationis principia.*

Hæc antequam definita essent, Joannes Saxoniæ & Philippus Hassiæ
dominus, eò iam curam cogitationemque verterant; ut quotquot possent di-
versa

versarum urbium Legatos sibi conciliarent, atque aliquo obstringerent fœdere, 1525.
ne suffragijs viribusque adversus Catholicos, siquando opus, dissentirent. Ferdinando nequicquam monente, ne consilijs ac persuasionibus sese à fide Cæsaris domûsque Austriacæ benevolentia subducerent. Et licet hoc quidem tempore Acatholicorum societas nondum coierit juratâ fide, quòd Legati nullo ad hanc rem mandato instructi venissent: prima tamen cogitatæ perfectæque denique conjurationis jacta sunt fundamenta. Ita depravato jam Cæsaris in Germania senatu, corruptis distractisque provincijs ac urbibus, Ferdinandus Archidux cum paucis Orthodoxorum Principum, quorum plerique neglectim frigidèque aderant, frustra obnixus est; summo Imperatore, vel tardis remotisque consilijs, vel certè ad tanti vim mali inutilibus ex longinquo omnia administrante. Qui nisi serpentis initia contagionis leniori, quàm acriorum remedio curanda putasset, præoccupari vltima Germaniæ pernicies potuisset. Sed cùm periclitantem imperij salutem, blandus medicus, lenioribus in morbo pestilenti pharmacis curat, indulgentiâ nocuit, ac severioribus denique remedijs, tam lenitatis famam, quàm Germaniæ incolumitatem amisit.

Dum ijs Germania fluctibus agitatur, Cæsar in Hispania pacis ac nuptiarum fœderibus dat operam: nam postquam varijs sponsalium pactionum legibus olim Claudiæ, ac Renatæ postea Ludovici XII Francorum Regis filiabus, deindè Mariæ Henrici septimi, atque alteri post Mariæ Henrici octavi, Angliæ Regum natis, quin etiam Ludovicæ quondam, Francisci Gallorum Regis filiæ, addictus fuisset. Denique Isabellam Emmanuelis Portugalliæ Regis prolem natu maximam sibi matrimonio conjunxit; spe non vana regni illius ad Hispaniæ corpus nonnunquam adjungendi, ut non minus Principum quàm regnorum conjugia celebrata fuerint.

XLI. *Carolus Imp. nuptias cum Isabella Portugallia Regis filia celebrat, regni illius ad Hispanos reducendi spe.*

Inter ipsam nuptialium dierum solennitatem, festosque ludorum apparatus, ne Franciscus gaudiorum omninò expers esset, Carolus ex ancipiti consiliorum ratione sese denique explicavit, Regique seu captivitatis fastidio, seu jam præconceptâ fœderis excutiendi sententiâ, ad omnia prono libertatem, eodem Januario mense, nuptijs sacro Madriti his legibus detulit, *ut non modò jure, quod in omnes Italiæ Navarræq; regiones possideret; sed etiam Burgundionum ducatu, Niversij principatu, ac Carolesii comitatu, alijsque non paucis iuxta urbibus arcibusque cederet; supremum in Flandriam Artesiamque jus abdicaret; Carolo Geldriæ Principi adversus Cæsarem ne adsisteret; Borbonium avitis in Gallia possessionibus reciperet; Eleonoram sororem Cæsaris, & Emmanuelis Portugalliæ Regis defuncti viduam (Borbonio, cui promissa fuerat, indulgente) uxorem duceret, alijsque minoris negotij officijs oneribusque Imperatori teneretur.* His Rex eâ se cautione adstrinxit; ut, quacunq; demum ex causa fidem non exsolveret, vltrò ad captivitatem redire teneretur.

XLII. *Franciscus Rex Gall. captivitate certis legibus solvitur.* Guicciard l. 16. Bellefor. l. 6. c. 36

Sed ubi intellectum est vulgò, Regem, ante persolutam fidem, datis obsidibus, custodiâ liberandum, vix quisquam erat, qui Franciscum non antè promissis, quàm Burgundiâ, Galliæ totius contra Germanos propugnaculo, abiturum crederet. Quod usque adeò Mercurius indubitatum esse præsenserat, ut

XLIII. *Promissis regijs pauci, prater Carolum, fidem habent.*

An. Chr. ut nullâ, nec Cæsaris quidem autoritate ad pactionis tabulas ex officio subscribendas adduci posset: cùm diceret, sibi tributâ facultate, in perniciosis Reip. rebus minimè utendum. Ut proinde Cæsar, intellectâ viri in proposito constantiâ, suo ipse fedus calamo, ac testimonio signaverit. Magnâ deindè humanitate ad Franciscum sæpe invisit Carolus, multa atque in noctem sæpe producta colloquia, communis frequenter rheda, mensa, conclavia; ut ad solidam tanta familiaritas amicitiam pacemque spectare crederetur: cui regis cum Eleonora matrimonialis societas magnum allatura momentum esset. Consueta tamen de latere Francisci custodia amota non est, quòd nulla tam arcta amoris & conjugij vincula Carolus existimaret, quæ Regem sibi obstringere sine obsidibus indubitatâ fide possent. Hæc igitur tot onerata suspicionibus benevolentia, tot coacta vinculis concordia, parum multis firma ac diuturna fore videbatur.

XLIV. *Acceptis obsidibus Rex liber dimittitur.* Transactis, in hac officiorum simulatione, diebus compluribus, post acceptum à matre nuntium de altero potiùs filiorum cum Delphino, quàm duodecim Galliæ proceribus (quòd liberum ex pactis regijs manserat) obsidum loco Cæsari tradendis, Rex Fontarabiam vicinam oceano, in Cantabriæ finibus, urbem, à Prorege Lanoio & Alarcone, custodiæ Præfecto, deductus est. Unde ad Bidassum, Hispaniæ Galliæque interjectum flumen, progressus, offendit in medio amnis navem anchoris, sine ullo hominum præsidio, hærentem; ex opposita ripa Foxius Lautrecus cum obsidibus, totidemque armigeris, navem mediam subeunt, ac momento permutatis cum Rege obsidibus, hic in scapham, atque ex illa in equum tantâ festinatione & celeritate receptus est, ut hostem fugere, non deserere charissimos sibi liberos putares. Et eodem die Baionam attigit, ubi incredibili matris aulæque totius, quæ frequens aderat, lætitiâ exceptus est.



LIBER

LIBER IV.

Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imp.

SVspensis hominum ex tam novâ federis tractatione animis, non diu latuit, quâ mente fidem obstrinxisset : Nam rogatus à Proregis ministro, ut pactis, loco, uti convenerat libero, subscriberet, cunctatus est, quod procerum suorum animos ante molliter pertentandos, atque in rem tam arduam inflectendos diceret. Sed Pontificis Venetorumque legatis non multò pòst Regem invisentibus, prælixè acerbèque de Caroli vsurpat aerga se inhumanitate questus est. * Duorum modò Galliæ Regum extare captivitatis memoriam asserebat, Joannis in pugna apud Pictones ab Angliæ Principe intercepti, & apud Ticinum Francisci. Illum apud Eduardum Anglorum Regem, omni humanitatis officio cultum, libertatem in custodia, benevolentiam in hoste tantam comperisse, ut familiarium ipse colloquiorum socius atque arbiter conviviorum venationisque particeps, tanto amicitiæ sensu cum Eduardo consueverit, quantum captivitate solutus ostendit, quando hospitis sui desiderio eundem multorum postea annorum intervallo rursum invisit, non aliis jam vinculis, quàm benevolentiæ captus. Se omnia secus expertum Vti illum exercitæ in hostem clementiæ ; sic alterum se acerbitatis exemplum esse, ne utriusque fortunæ experimenta Galliæ Regibus deessent. Comperisse porrò ex privatis Madriti colloquiis quam profundâ ambitione Carolus pectus occupatum gereret, quàm adversa Italicæ libertati consilia agitaret. Facturos in rem suam consulte, si animos viresque communi federe adversus infensissimum hostem cogant. Se quidem nullo sacramento, quod iniquâ lege & potestate coactus suscepisset, Carolo teneri. Neque vero patriis Regi legibus permissum esse ; ut quicquam absque procerum consensione de Majorum possessione alteri nationi cedat : quod cùm Remis coronatus jurejurando se facturum receperit, antiquiori Sacramenti religione regno se, quam Cæsari obstrictum manere : id præmonitum Carolum ignorare non potuisse, quem iniqua postulantem, nec æqua quidem fas sit obtinere. * Hæc palam disserebat, ut Pontifici Venetisque in communionem armorum pertractis, belli opinione & rerum difficultate Cæsarem terreret, atquè mitiores pacis rationes, veteri obligatione remissa, converteret.

1526

* *Franciscus Caroli inhumanitatem apud Pontificis & Venetorum legatos arguit, negatque se teneri promissis.*

Guicciard li. 17. Goldast. constitut Imp. Tõ. 1. Schleid l. 6.

T Cæsar

An. Chr.

II Cæſio Cæſaris legato Burgundiæ reſtitutionem negat, pro ea tamen pecuniam offert.

Cæſar ut exploratius Franciſci mentem cognoſceret, Lanoium ad Regem mittit, qui Burgundiæ reſtitutionem ex legibus Madritanis urgeret. Quem, licet magnâ honoris ac benevolentiæ ſignificatione venientem Franciſcus exciperet; *negavit tamen* * *ſuæ eſſe poteſtatis Burgundiâ cedere, ſuiſque Franciam membris truncare, & juramenti religione, & Procerum voluntate obſtantibus. Nihilominus reliquos ſe fœderis articulos minimè violaturum; orare tantum, ut unus ille pecuniarum multâ permutetur* * Quibus cognitis Cæſar urgebat, ut *ſi minus ex regni placitis (quæ tamen aliarum poſſeſſionum reſtitutionem prohibere non poſſent) Burgundiâ abire liceret, ipſe ad captivitatem rediret, quod & poſſet, & jurejurando ſe facturum recepiſſet.*

III Carolus arma parat in Regem.

Sed ubi verba ſibi tantum à Rege dari intelligeret, mirum eſt quantâ indigatione lubricam Franciſci fidem ſuamque credulitatem deteſtatus ſit. Pudebat nimirum, Procerum ſuorum monita tam abs ſe temere ſpreta, hoſtiſque fictæ comitati & inanibus pollicitationibus poſthabita. Cùm arma igitur fortunamque belli experiri quàm Regi obſequi, Burgundiæque obnuntiare mallet, Borbonio Mediolanenſis imperii adminiſtrationem commiſit. Lanojum ad regni Neapolitani maturam defenſionem deſtinat, milite, ut potuit, ſingulis attributo: Barcelonæ claſſem omni celeritate jubet inſtrui. Hugonem vero Moncadam maris præfectum ad Regem, ac deinde ad Pontificem ablegat; ut vel illius voluntatem, ad veterum pactionum obſervationem inflecteret: vel hujus à novorum cum Gallo federum ratione abduceret.

IV Veneti cũ Pontifice Franciſco adhærẽt.

Sed cùm Veneti ac Pontifex jam dudum ad ſocietatem armorum contra Cæſaris potentiam conſpiraſſent, unius Franciſci ambiguâ cunctatione ſuſpenſi, properè fedus ſancitum eſt, poſtquam Rex Carolum ad arma potius, quàm ad irritandas pactionis leges provocatum cerneret. His præcipue legibus ſocietas inter Clementem, Regem, Venetos & Franciſcum Sphortiam conſtitit. Vt
„ Inſubria Sphortiæ reſtitueretur, regii liberi communibus armis extorqueren-
„ tur Cæſari: Neapolitanis Pontifex, Imperialibus regionibus Gallus, Medio-
„ lanenſibus Veneri, armis tamen Pontificiis Franciciſque adjuti bellum infer-
„ rent. Henricus Angliæ Rex magnis pollicitationibus ad hujus federis prote-
„ ctionem eſt invitatus.

V * Pontifex apud Cæſarem cauſam mutati conſilii adſert. Epiſtol. Princ. vol 1 & 2. Goldaſt. & Schlei. ſupra.

Pontifex igitur datis ad Cæſaré literis armorum neceſſitatem excuſat ſuaque in ipſum ſtudia, manifeſtis offenſionibus mutata, commemorat. * Hacte-
„ nus ſe omnia voluiſſe pro Cæſare, Galliæ Regis, & beneficia, & gratiam poſt-
„ habuiſſe. Centum aureorum millia in victorem Cæſaris militem, capto jam
„ Rege, profudiſſe, ſpe, ut intelligat, recipiẽdi nullâ. Adverſariorum nudaſſe con-
„ ſilia, ut res fortunaſque Caroli extolleret. Verùm eam eſſe factorum gratiam,
„ ut armis, quæ defendit, oppugnetur, & poſt hoſtes Cæſaris profligatos, ipſe
„ hoſtis jam loco, poſt conſumpta beneficia illiberalis habeatur, imperatorii paſ-
„ ſim militis in Parmenſes & Placentinos immiſſi aut præda, aut ludibrium.
„ Suam pro Sphortia interceſſionem preceſque obſtinatè reiici. Per Hiſpanias
„ & Neapolim leges Romanæ Eccleſiæ adverſarias ferri, neque dignitati ſuæ,

neque

,neque æquitati satis congruas. Borbonium & ad Massiliæ obsidionem destinatũ, 1525
, & non necessaria in Italiampertraxisse bella. His malis occurrendum fuis-
,se , ut sua constaret Italiæ tranquillitas , ac causæ æquitas: nisi Cæsar pacem
malit, arma sibi etiam in promptu fore. * Nullius hic tanti ponderis à pon-
tifice allata oratio , quæ arma meritò persuaderet; alia, quam animo tantum,
,non calamo complexus erat, illa fuit , quâ metuendam Cæsaris potentiam in-
,fringere per Italiam cupiebat.

Respondit verò ad literas Clementis Granatæ ex Hispania Carolus, hâc sen-
,tentiâ. * Illa, ut intelligo, beneficiorum meorum jam memoria evanuit,
,quibus sublatis, Pontifex non esses, meæ illum honorem intercessioni debes.
,Verùm pristinæ recurrunt invidiæ, & hostibus quondam tuis favorem, quàm
,amicis benevolentiam mavis rependere. Meminisse poteris, ita me summum
,in Germania Imperium assecutum esse , ut jus regni Neapolitani Leonis Pon-
,tificis assensione unà relictum fuerit. Et quamvis cum Leone tuum deinde
,studium Regi Galliæ adversus me sociaveris , id tamen mutatâ voluntate,
,brevi ad me conversum est, postquam Galli Regio Lepidi Pontificiæ ditionis
,oppido animum adjecissent Neque ingratus fui, cum millia aureorum de-
,cem proventus annui ex Tolentino Archiepiscopatu ad te derivarem. Quod
,Borbonium Galliæ immiserim, quale obsecro delictum? An Gallos ex Ita-
,lia propellenti in Gallias consequi non licuit? an nefas patrias illum possessio-
,nes per vim ademptas , vi repetere? quæ hæc Italorum clades? Num quod
,Franciscus bello rursus Insubriam infestarit ? at hoc Pontificis consilio pleri-
,que factum asserunt. Nimirum ut non modò verba in nos sua , tanquam pu-
,blicæ quietis turbatores, sed & tela hostium acueret. Neapolitanum regnum
,clientelæ Tibi jure obstringitur; non diffiteor, verum causæ, quæ possessione
,clientem deturbare, cædem & dominum possunt: utrique suis legibus de jure
,atque injuria cautum est qui iniquo bello aliena appetit; æquo amittit pro-
,pria. Pacem amare ac tranquillitatem Italiæ videris, sed tua magis persequeris
,commoda: pace an bello , tuâ parum interest: Pacem nuper ambiebas, modò
,sequestri & depositi nomine agrum tibi Mediolanensium crederem, nimirum,
,ut perpetuus sequester esses, ac verius possessor. Nunc Galliæ Regem in Hispa-
,nia etiamnum absentem ad bella revocasti, ipsius confessione Regis. Sacra-
,mento mihi obligatum solvisti , perfidiæ magis autor, quàm solutor obliga-
,tionis. Bella intulisti priusquam denuntiares , gentium jure , tuâ etiam, o-
,pinor, autoritate, absolutus: neque solâ me Italiâ; verùm toto imperio detur-
,batum velles. Hinc occultæ conspirationes & injuriosa federa : unum mei
,exercitus præcipuum Ducem Piscarium tuis ad perfidiam solicitationibus pro-
,vocasti. Neapolitanum regnum defectionis ostentabas præmium , ut meis
,possessionibus meos Duces corrumperes, ex alieno promissor non illiberalis.
,Indulsi tamen aliquid tibi, & Sphortiæ Mediolani possessionem, regiâ fide ac
,deplomate, detuli, qui, quod obsidione meorum prematur militum, tuæ im-
,putet conjurationi, quâ addictam mihi fidem ad te hostesque meos transtulit.

VI Cæsar Pontifici ingratitudinem exprobrat, & causis belli allatis respondet.

An. Chr.

„Hanc tu illius, etiam cùm deprecaris culpam fateris. Ignoscere me cuperes „ne videlicet deinde habeam, quibus in Italia liceat ignoscere, subditos. hoc „si impunè beneficiariis sit, quid in dominos non audint? Ex Parmensibus & „Placentinis meos ali milites indignaris. Hos equidem Romanæ Ecclesiæ cives „esse nego, Mediolanensibus accensentur. Quod eos nuper avulsos imperio, „Ecclesiæ concesserim, non debitum erat, sed gratia, quæ ab ingratis perditur. „Nihil igitur hinc ad te injuriæ, ubi nihil juris, perveniet. Legibus quibus Ro„manam sedem oppugnari asseris, per Hispaniam illæ sunt, quibus cavetur, ne „patronatus jura, ab Adriano mihi Pontifice concessa, Romæ supprimantur. „Sed vide, quàm indigna queraris. Meis è regnis provinciisque plus emolu„menti ad Romanam sedem pertingit, plus annuæ pecuniæ defertur, quàm ce„teris regionibus universis, quod docere illa poterunt Germanorum Principum „postulata, quibus & sua onera, & tua commoda complectuntur; quæ tamen „pro mea in Ecclesiam Romanam observantia contemnenda duxi. Quare hoc „potius age, quod & muneris & æquitatis tuæ erit, à me arma in hæreticos & „Turcas mecum converte, subveni turbatæ in Germania religioni, fer opem „Pannoniæ Turcarum formidine trepidāti. Hoc invalescens hæresis, hoc incum„bens barbarorum Europæ tyrannis, sacri profanique juris oppressio, distra„ctum seditionibus imperium violata tot injuriis Ecclesia postulat. Quorum „si tu calamitate non tangeris, si voces precesque meas arroganter rejeceris, ad „Concilium sine dilatione instituendum, provoco, ut caussæ utriusque æquâ „plurium sententia absolvantur.

Invitat Pontificē ad arma contra hæreticos & Turcā vertenda

VII

Ad Cardinales etiam literas Cæsar destinat, quibus suum in Ecclesiam & pacem studium indicat, conciliūque postulat.

His literis Cæsar alias ad collegium Cardinalium adjecit, quibus suum erga „Romanam sedem fidemque orthodoxam testatur studium, quo se nulli quic„quam Regum concedere profitetur. Argumento esse neglectam totius Ger„manorum Principum offensionem; imo summum imperii discrimen religio„nis periculo posthabitum. Nuper indictam ab ipsis publico conventu fidei „conciliationem suo disjectam mandato, ne quid Pontificiæ autoritati decede„ret, spem tamen fecisse alterius instituendi propediem concilii. Hoc si Ponti„fex inconsulta negligentia differat; orare se, ne hoc muneris sibi vendicare „graventur: ut rebus catholicis, ad perniciem in Germania spectantibus, ma„turè consulatur, & ultimum religionis excidium antevertant. Porrò siquid „resp. Christiana ex dilato concilio opisque necessariæ cunctatione accipiat de„trimenti; id sibi, omnia pro pace cupienti, minimè esse imputandum. Verùm nihil illâ Cæsaris postulatione impetratum. Neque Germaniæ in fide naufragantis periculum tanti erat aut Romanis, aut Cæsari, ut propterea de uno Italiæ principatu periclitari mallent. Insana Christiani orbis Procerum simultate, qui ut digitū tuerentur, totum corpus lethiferis exposuêre vulneribus, de una magis regione, quam religione defendenda soliciti: quæ eorum quidem nomini turpitudo adhæsit vehementiùs, quibus ex officio fidei erat commissa defensio.

Galliæ Rex Franciscus, ut Germanos sibi conciliaret, Principes causamque

que bellorum à se in Carolum rejiceret, literas ad eosdem dedit. *Illam ad se, inquit, Pannoniæ à Turcis occupatæ cladem, non levi doloris sensu, pertingere, Ludovici Regis mortem dignam lacrymis & affini illi imperatoris commiseratione, dignam in ista calamitate Germaniam, cui à Cæsare rectius consulatur, Pacem inter Christiani orbis Principes constitutam, tantis miseriis unum superesse remedium: huius se desiderio teneri, hanc omni ambire consilio. Verùm obstinate in bellum ferri Cæsarem, æquissimas pacis conditiones aspernari, non illi calamitates publicas, non armatum in nostrum exitiũ Turcam, non amissam cum sororio Rege Pannoniam, non viduæ sororis miserandâ sorte, non Austriæ periclitantis exitio, non turbatæ Germaniæ excidio, hac mente depelli posse. Rectè facturos, siquidem illius ad arma pertinaciam pacis consilio moderentur, hortatu etiam ad diversa impellant: Europæ melius prospectum adversus tot clades fore, si cum vicinis Regibus amicitiam, quam bella malit, immensamque regnandi cupiditatem, iis, quas fortuna & æquitas concessit finibus, circumscribat. Ita præter suas opes & propriam aucturum gloriam, & subditorum salutem. Galliæ Reges adversus Christiani olim nominis hostes bello victoriisque celebres, posse nunc eodem arma viresque conferre. Pacem tantùm cum Cæsare impetrent, omne suum robur quamprimum se in Turcam collaturum. Quod si obtinere nequeat, neminem id sibi versurum crimini, si, quæ inermi benevolentiâ non possit, armatâ potentiâ suadere conetur * Cæsar ubi animadverteret, hac arte Franciscum Germaniæ Procerum favorem velle occupare, invidiamque turbatæ tranquillitatis declinare.

1526.

VIII Principes imperii sibi Rex Gal. conciliare nititur, belli causis in Cæsarẽ rejectis, & pacis ostenso desiderio.

Epistolæ Principũ supra. Schleid. lib. 6.

Principes scripto admonuit; * ne quam Francisci literis fidem haberent, simulata hæc esse quietis obtentæ vela, quibus bellicas machinationes obtegat, Nihil à se duriter atque inclementer in captivum Regem commissum, obtinuisse libertatem legibus, & æquis satis, & sacramento illius firmatis, sororis etiam natu maximæ connubio, hanc se amicitiam solidiori nexu adstrinxisse; verum irrito, ut videat, tam fidei, quam pacis disjectæ conatu. Nuper in Italiam destinatum sibi iter bellumque adversus Turcam fuisse, sed Franciscum & Clementem intempestiva conjuratione hoc consilium quietemque evertisse, jamque, prædarum ante victoriam partitione, regni Neapolitani possessiones divisim adituros fuisse, nisi immaturâ adhuc spe deturbati, solo tantum voto frui licuisset, armorum illam tempestatem in proprium autorum caput detonuisse: superesse, ut pari nunc exitu interversæ quietis pœnas exsolvant. Ita se tunc quidem, atque etiam modò, à belli in Hungariam convertendi, voluntate deijci; suppetiis tamen, ut possit, subministratis adfuturum. Nec sane eum esse Franciscum, quem aut Ludovici interitus, aut Hungariæ Germaniæque tangant pericula, hanc ex mala admissorum conscientia simulationem esse, ne videatur illud suasisse bellum Turcæ, cujus aversatur calamitatem. Interceptas captivi Regis ad Turcam literas diversam ab hac sententia famam vulgasse, quam hac arte nequicquam oppressam velit

IX Cæsar apud eosdem principes belli causas in Franciscum retorquet.

An. Chr. „suis illum triumphis Turcarum in Pannonia accensere victoriam: Germaniam „jam dudum animo spectare sese, coramque ejus tranquillitati consultum velle, „nisi alia atque alia impedimenta Franciscus, tanquam vallum transituro, obji„ceret. Nulli dubium esse, qui quidem artificia Gallorum explorata habeat, „discordiarum illos inter Germanos magis, quam pacis semina spargere, ut alio„rum odia ad sua traducant emolumenta.* Præter has literas prolixâ quoque Cæsar responsione typo vulgatâ Regis Galliæ apologiam confutat, quâ se ille federis Madritani, quamvis jurati, religione minimè teneri contendebat, præcipua utriusque partis argumenta, si responsionis capita dedero, non obscurè patebunt.

X. *Apologeticum Gallorū scriptum contra fedus Madritanum refutatur ab Hispanis.*

Fedus Hispani non à Carolo, ut affirmabant Galli, *sed à Francisco violatum esse, judicio Regis Anglorum inprimis adstruebant. Quòd cùm utriusque Regis Legatus Angliæ opem ex federe inito postularet, Henricus responderit: videndum prius, uter invasor ruptorque federis extitisset, illi enim sese ad præstanda adversus alterum subsidia minimè obligari. Compertum verò demum esse, etiam ex ipsius Christianissimi Regis literis, primum invasorem fuisse Franciscum, ideoque Carolo etiam Henricum arma conjunxisse. Negari non posse; imperij Proceres à Francisco in belli societatem vocatos, Leonem Pontificem ad occupandum utriusque Siciliæ regnum, Hispaniæ populos ad defectionem esse sollicitatos: tandem apertè arma in Gallobelgicam & Navarræ regnum, Carolo nildum movente, illata, ipsis tot Gallorum, per hujus ditionem, funeribus rem haberi testatissimam.*

Goldastō 1. Const. Imp. Schleid. l. 6.

Porrò jus Francisci ad censum regni Neapolitani (quem Carolus ad coronam Hispaniarum transiturus, falsò deberi persuasus, in Noviodūnensi sedere, indulserat) nullum quidem fuisse, solutum tamen, licet indebitum, donec prior Franciscus fidem falleret. Regni verò Navarræi restitutionem, neq; ullo Regi federe addictam, neq; jure ab eo postulatam. Clandestinas machinationes à Gallis, suo alios ingenio metientibus, magis fingi, quàm probari.

Ius Francisci in Mediolanense dominium, siquod fuisset, spreto Cæsare, antiquissimo feudi domino, à quo immissio petenda erat, corruisse, neque Pontificis decreto firmari jus potuisse, quod deesset. Neque Maximiliani Imperatoris concessione hujus dominij factum, ut hereditariâ ad Gallos possessione rediret; cùm natura feudi id respuat; sed ex successoris domini voluntate denuò fuisse conferendum.

Iuramentum ratione Artesiæ & Flandriæ comitatuum, quod Philippus Dux primus Regibus quondam Franciæ obtulerat, exolevisse vi federis Peronensis, ubi inter Ludovicum XI. & Carolum Cæsaris proavum, eâ lege conventum fuit, ut nisi pactum aliud Atrebatense religiosè servetur, obligatio quoque jurisjurandi cesset. Illo proindè à Francisco hactenus neglecto, juramento Carolum non teneri.

De Borbonio Duce, quod objiciant, à Carolo ad defectionem incitatum esse, magnopere eos falli. Suâ illum spoliatum provinciâ (si tamen sua, quam Cæsar ipse successionis jure adire queat) Imperatoris opem adversus vim iniquam implorasse, petijsse magis auxilium, quàm attulisse. Vndè etiam ad Massiliæ ipsi debitæ obsidionem translata in Galliam arma, pro consanguineo Regis principe Caroli impensis, Borbonij commodo: quo licet victus istic exciderit, ad Ticinum tamen gloriosum fuisse victorem, suoque in vinculis parsisse Regi, qui ipsi præsens in libertate parsurus non fuisset.

Quòd

1526.

Quòd denique Franciſcus Gallique titulum hunc neglecti federis ceu clypeum obtendant.
Ducatum ſcilicet Burgundiæ regno Galliæ annexum, alienari à captivo Rege non potuiſſe;
nimis infirmum profligatæ cauſæ præſidium videri. Siquidem explorata res ſit: illum à
Principibus tam feminis, quàm viris, qui Franciæ Reges non erant, antiquo jure poſſeſſum
eſſe. A matre Ioanna Burgundiæ Duce, Regem Galliarum Ioannem poſſediſſe, qui Philippo
illum Audaci filio tradiderit poſſidendum, ex quo eundem Ioannes Intrepidus, & hujus po-
ſtea filius Philippus Bonus Dux Burgundionum Caroli Audacis pater adierit: qui deinde Ca-
rolus, pactis cum Ludovico XI initis, prorſus eundem ab omni juriſdictione Regum Franco-
rum liberum nactus ſit, heredique Mariæ filiæ talem reliquerit: à qua denique ad Maximi-
liani Cæſaris thalamum tranſgreſſa, fruſtra obnitente, tutoriſque ſibi autoritatem vendi-
cante Ludovico, jus ſimul ſucceſſionis ad Auſtriacos ac Carolum Imperatorem translatum
fuerit. Non igitur aliena poſcere Carolum, ſed propria: nec propria tueri pertinaciter
Fraucifcum; ſed aliena: frivolumque prorſus eſſe, quod negent à Gallorum re-
gno ſeparari poſſe, quod ſeparatum jam pridem fuit; nec tam jure, quàm vi occupatum
poſſideant. Hæc erat Hiſpanorum oratio, ex qua diſcas, qualis Gallorum fuerit.
Ita literis ſcriptiſque apologeticis ultrò citroque concertatum eſt, atque inter
hæc arma quoque utriuſque ſunt partis expedita.

Et impigri quidem Veneti, ut conſilia vireſque Cæſarianorum celeritate
præoccuparent, Feltrio Duce militem atque arma hoſtilia Inſubriæ inferunt:
nec indigno labore Laude Pompeiâ potiuntur. Gallicus etiam exercitus quam-
vis tardior, Savonâ receptus eſt, reſque ad exitium Cæſarianorum ſpectare viſa;
quòd immodica militum libertas ultimis avaritiæ luxûſque exemplis uſurpa-
ta, acerbiſſimis odijs priſtinos Inſubrum favores convertiſſet.

Opportunè tum quidem Borbonius hoſtium conatibus ſupervenit auri ar-
morumque præſidijs, quamvis non magnis, inſtructus. Hic licet afflictiſſimæ
urbi Mediolanenſi aliquod militum onus in proxima caſtra ſubtraheret; ille
tamen favor magno emptus nummorum pretio, perbrevis, cum largitionibus
initium finemque habuit: ut proindè urbs aliàs florentiſſima, aut peſte aut fugâ
incolis atque opibus nudata, miſerrimi funeris colorem duceret. Ea tamen mi-
litum Ducumque in arcis obſidione durantium pertinacia, atque infracta pa-
tientiæ vis fuit, ut, Piſcario jam morte ſubducto, contra Vaſtium Levamque, ſub
Borbonij imperio, arcem obſidentes, nihil federati proficerent; ſed deſperatâ
Sphortiæ redemptione retrò animos ſignaque converterent. Porrò Sphortiâ
exhauſto præciſoque arcis commeatu, cùm nihil ſpei reliquum, niſi in honeſta
ſalutis pactione, cerneret; à Borbonio impetravit; ut arce traditâ ſibi Comi tutò
vivere, triginta aureorum millium cenſu, liceret; dum tractata apud Cæſarem
cauſa injuriarum abſolveretur. Sed egreſſus arcem, cùm ſuſpectam Cæſariano-
rum fidem haberet, federatis ſe adjunxit, Laudemque Pompeiam ſuæ poteſtati
commiſſam obtinuit. Ubi Pontificiæ Venetæque ſocietatis fedus, ſuo nomine
ſuſceptum, publicis tabulis approbavit. Cremona deindè terreſtri, ſimul & Ge-
nua maritimâ oppugnatione nequicquam tentata; quòd confederatorum Du-
ces, ſegni cunctatione, omnem victoriæ opportunitatem corrumperent.

XI. *Veneti cũ Gallis bellum benè auſpicatur. Borbonius tamẽ exhauſto Mediolano, potitur tandẽ arce, & Sphortiã Ducem ex pacto dimittit; ſed mox ad federatos trãſeuntem.* Paulus Jovius in Elog. Põpeij Co-
lum. Guicc. l. 17. Ant. de vera in vita Carol.

An. Chr. XII. *Moncada & Columna Romã cum Cæsareo milite subeunt, favente populo, & parũ huic gratum Clementẽ ad castrũ adigunt. Vaticano & S. Petro vastato.*

Quâ re Hugo Moncada, Neapolitanæ per oceanum militiæ imperans, & Pompeius Columna, qui Pontificij contra Cæsarem federis particeps esse noluerat, in spem aliquam audaciamque erecti; postquam varijs Clementem pacis artibus ludificassent, militemque, ceu Neapolitani regni limites contra vim defensuri, Pontificijs regionibus subduxissent, ex improviso conjectis in agrum Romanum militibus, regio ad urbem itinere contendunt; receptique à parum favente Clementi populo, instructa sub signis agmina in Vaticanum ducunt; Pontifice frustra suorum militum auxilia fidemque implorante, qui cum civibus otiosi ad hoc spectaculum confluxerant, postquam liberandam ab avari hominis tyrannide urbem Cæsariani præcones in foro vulgassent. Ille anceps consilij, pudoreque juxtà ac timore perfusus, rem desperationis plenam meditabatur, seque, quemadmodum Bonifacius VIII olim fecerat, Pontificio throno habitùque objicere furentibus, ad incertum vitæ mortisque exitum parabat; nisi Purpuratorum cohortatione ac manibus penè ab hoc avulsus proposito, atque in arcem, sui defendendi gratiâ adductus fuisset. Vaticanæ domui infusus miles, omnem aulæ locupletissimæ apparatum deprædatus est, spoliorum denique aviditate ac pretio captus, excusso religionis ac conscientiæ pudore in augustissimam Apostolorum basilicam, fœdissimâ depopulatione grassatus est; nec, à quibus hactenus altaribus Barbarorum immanitatem Numinis reverentia cohibuit, Christianorum militum avaritia potuit deterreri.

XIII. *Moncada Cæsaris nomine, invito Columnâ cum Clemente paciscitur de 4. mẽsium inducijs. Qua tempore à federa is recedit.*

Hugo Moncada, ad Pontificem compositionis gratiâ accersitus, insigni humanitate sacrum caput reveritus, nefariamque militis audaciam detestatus, suam ad sacrilegè ereptorum recuperationem fidem operamque pollicitus est. Deinde Cæsaris animum ab omni possidendæ Italiæ ambitione alienum esse disertè exposuit: quòd *licet & antiquorum Cæsarum jure atque exemplo subnixus, & multorum hac ætate Italorum provocatus injuriâ, & denique fortunâ nuper viam rationesque monstrante incitatus fuerit; abdicato tamen repentè milite, tantisque imperij momentis ad Pontificis arbitrium compositis, omnem hujusce ambitionis suspicionem abundè removisse sit visus: nisi ex suarum affectionum corruptione, nonnulli moderato Cæsaris ingenio ea vitia imponerent, quæ tacito conscientiæ sensu in se deprehendunt.* Cui postquam Clemens ostendisset: *rectius feliciusque imperaturum Cæsarem, si tot regnorum victoriarumque insignibus ornatus Princeps, regiâ magis liberalitate vicinorum Principum occupare animos, quam jura possessionesque niteretur. Neque magnificum, neque munificum satis in tanto Imperatore existimari, quòd locupletior reliquis maxime omnium egere videretur: & qui regna imperiaque possideat, de principatu non magno tam pertinaciter contendat: Sphortiam avito jure fretum, nullisque nisi per injuriam invidiamque criminibus oneratum, immeritò patriâ sede deturbari.* Hujus impetrandi spem cùm Moncada fecisset, de quatuor mensium inducijs inter utrosque convenit, eâ lege, ut à conjuratorum partibus suum Clemens militem avocaret, eodemque pacto Florentini, Genuenses, Senenses, Ferrariæque Dux teneretur. His legibus Moncada, cùm moram Pontifici, non inutilem suis Cæsarisque rebus injecisset; visus tamen est, non absque suspicione corrupti largitionibus animi, nimium

mium Clementi favisse. Quem ex insperata captivitate tam subitò in libertatem assertum, Pompeius ingenti doloris acerbitate conspexit, quòd Clementis tam facilè restituti non levi sese invidiâ ex suscepta captivitatis culpa, nullo suo emolumento onerasset. 1526.

XIV. *Pontif. ex inter fluctuantis animi cōsilia suo denique milite Columniorū oppida & agros hostiliter vastat.*

Pontifex hostibus metuque utcunque solutus, ne Columniorum odijs, atque insigni Cæsaris fortunâ denique opprimeretur, pacis gratiâ Hispaniam ipse cogitavit; ut Caroli animum, quem aulicorum artibus contra Italiæ libertatem transversum agi existimabat, præsens ipse mollioribus consilijs pertentaret. Sed ab hoc proposito Galliæ Angliæque Regum, tum Italorum Principum, cohortatione divulsus, militem tamen ex induciarum pactione Mediolanò revocavit, ut tanquam adversarum partium arbiter tantisper subsisteret. Sed neque huius propositi satis firmus, adversus Columnios, suorum consilijs, vindictæque cupiditate inflammatus, arma convertit, *nullamque se perfidis fidem, humanitatem nullam prorsus inhumanis, atque in sacra juxtà ac profana sævientibus debere* asserens, tantâ crudelitate in Columniorum agros noxæ expertes grassatus est; ut quatuordecim ferè oppida, prædis incendijsque exhausta, alienæ temeritatis pœnas dederint. Cum Alphonso deinde Ferrariensium Duce Mutinæ Regijque Lepidi controversum possessionis jus pace, quàm armis componere maluit; ut adversariorum vires minueret, augeret suas. Sed, cum Lanoius instructâ classe Neapolitanum regnum ex Hispania subiret, & Alphonso Mutinæ Regijque concessi diploma simulque Margaritam Austriacam, Cæsaris extra matrimonium filiam Herculi Ducis filio uxorem desponderet, hic Pontificis conatus in ipso perficiendi voto substitit.

Ferraria Ducem conciliare irrito conatu nititur.

1527.

XV. *Pontifex suis partibus firmandis, Vaudemontium è Gallia ad Neapolitani regni possessionem cū milite evocat.*

Porrò, cùm Lanoium Pompeiumque auctis jam viribus ac neglectæ fidei ultionisque acerbitate provocatos, nihil in se mite ausuros crederet: Vaudemontium è Gallia regij sanguinis adolescentem ad Neapolitani regni possessionem armis vindicandam evocavit. Is sine cunctatione ad tantæ spem rei ingenium viresque singulari alacritate adhibet, Campaniæque oras classe allapsus, omnia subito terrore complet, Salernum occupat, atque indè rectà Neapolim contendens, Moncadam cum armata juvente effusum, ad urbis sese propugnacula cogit recipere. Interea Lanoius cum Pompeio ad Frusinonis mœnia inutili labore desudabant. Lanoio bellicarum rerum impari, &, incertis consilijs, inter deserendæ expugnandæque properè urbis negotia fluctuante; dum federatorum circumventus copijs manifestæ cladis discrimini viam faceret. Quam tamen, et Pompeij solertia, & hostis negligentia, cui Rentzius Ceres præerat, leviorem reddidit: cùm ille opportunam profligandi Lanoij occasionem milite tormentisque ad tutiora subductis, utcunque avertit: hic solâ liberatæ urbis gloriâ contentus, præterijt. Ita Cæsaris fortuna hac Italiæ parte nutabat, atque in spem magnam victoriæ erecti adversarij, quòd alibi etiam Genua diuturnæ obsidionis molestiâ frangenda brevi videretur. Tamen quia res Insubrum parùm optato successu tentatæ fuerant, jamque Georgius Franisbergius cum quatuordecim Germanorum millibus ex Germania per Alpes Italiam subijsset, audax

Jovius in Pōpeio. Guicc. l. 17. & 18. Cochl. in vita Luth. Surius in Com.

An. Chr.

inquietumque Borbonij ingenium magnoperè Clemens pertimescebat, ut inter pacis bellique cogitationes incerto ac pernicioso animi motu jactaretur, Cæsarianis spe metuque hominis inconstantiam alentibus: ne quicquam in alterutram partem solidè constitueret; dum rebus viribusque suis abundè confirmatis victo eas pacis leges imponerent, quas non præscribere; sed accipere teneretur.

XVI. *Lanoius cum Pontifice fluctuante rursum pacisci-tur; sed invito Borbonio & Germano sub Franisbergio recens in Italiam effuso milite.*

Lanoius igitur imminens Neapolitano regno periculum discussurus, quantumvis Pompeio obnitente, Romam acceptâ fide contendit, Clementemque jam paci inclinatum novis obstrinxit federibus; quibus tamen Orator Cæsaris non nisi coactus assentiri est visus. Subindè Lanoius ex officio pacis legibus comprehenso, in Hetruriam profectus, Borbonij militem omni insolentiâ istic grassantem, Pontificiosque latè agros infestâ depopulatione vexantem, compositurus, nihil egit apud militem rapinis assuetum, jamque ad lautissima Romanæ urbis spolia aspirantem: qui stipendiorum inopiam solâ prædarum libertate fretus sustinebat, neque Ducum suorum imperia tam acciperet, quàm daret. Franisbergio quidem inviolata inter suos magni Ducis constabat dignitas; ut qui ad giganteum propemodum corporis robur, parem habilemque ad multa animum adferebat. Verùm talem tantumque morbus in via Romana occupatum, Ferrariæ in loculo deposuit, & momento iras ac laqueum, quem collo Pontificis Lutheranus homo, & inauratum quidem paraverat, facili victoriâ extorsit. Lanoij dein Borbonijque minor auctoritas; tum quòd ære nudi essent, alendoque militi impares; tum quòd illius despecta bello virtus: hujus prodita Francisco fides, utriusque imperium vile contemptumque redderent.

XVII. *Borbonius hunc igitur ad Romam expugnandam ducit Columnâ suffragante.*

Quare Borbonius audaci effrenatoque exercitu ad hostium, aut propriam ferociam infringendam usurus, ab Alphonso Ferrariensium Duce commeatu abundè instructus, agris villisque Bononiensium expilatis, viâ Flaminiâ ad urbem rectâ incessit, Feltrio Venetorum Duce, & Michaële Salasso Gallorum Imperatore turpi satis latebrâ ignominiosoque timore sese occultantibus. Magnâ interim celeritate hostem prædamque occupandam miles ratus, tormenta etiam à Senensibus oblata neglexit, Pompeio ad Palianum annonam muralesque aliquot balistas procurante, omnium opinionem, festinato Romam itinere, prævertit, ac subeuntem seriùs Feltrium fallens, urbis muris, pridie Nonas Maias, properè admotus est. Borbonius subjectam ex monte Mario civitatem à prædarum opulentia & mœnium imbecillitate promptam facilemque audentibus mercedem periculorum proposuit: cùmque aliquam fatigatis militum corporibus quietem indulsisset, illâ murorum parte, quâ Meridiem urbs spectat, tentatus à confertim irruentibus per scalas aditus est, prætoriâ Helvetiorum cohorte non segniter vim audaciamque irruentium, plumbo ferroque in hostes prompto refellente. Ipse Borbonius inter primos enixus, dum strenui magis Ducis, quàm cauti munus implet, temeritatis pœnas luit, laudandæ fortitudinis miles, nisi cum eversâ fœdè Româ sacrisque impijssimè violatis cecidisset.

Vrbs invaditur, Borbonio Duce corruente.

XVIII. *Roma hinc ab Hispanis, indè à Germanis occupata immani barbarie, nullâ nec hominũ nec sacrorũ reverẽtiâ vastatur.*

Nihil hoc incommodo retardata militum ferocia; sed omnium suffragijs Philibertus Aurantius ad imperium vocatus est; oppugnatioque, Hispanorum

præ-

præsertim ardore, per adjunctas muro casas invadentium, ad victoriam producta est. His nihilò remissiores Germani parte aliâ urbis munitiones ejecerant, Romanamq; in urbe plebem, sub vexillis ad defensionem collectam, tam immani truculentiâ aggressi sunt; ut projecta ad salutem promerendam arma ne supplicibus quidem profuerint, fugientes nec ipsa templi adyta sacrorumq; protexerit religio, sed inter aras Divûm opem ac hominum miserationem implorantium ora ferro violata sint, facinore olim nec Gothorum quidem Vandalorumq; populis tentato. Neque inusitatis tantùm crudelitatis; sed & sacrilegiorum ac libidinum exemplis, ædes aræque Divorum contemeratæ sunt: expugnata virginum juxtà ac matronarum, quamuis jurata Deo hominibusque, pudicitia; Principum ac Purpuratorum domus ferro, direptione, incendioque vastatæ, nullâ, ne Legatorum quidem reverentiâ. Hispanorum hac in re non minùs crudelitas acerba quàm avaritia probrosa extitit, ut qui arcanas familiarum opes exquisitis in nobilissima etiam corpora supplicijs indagarent, neque ab ipsis mortuorum sepulcris cadaveribusque rapaces manus temperarent. Germanorum furor in armatos maximè consumptus est: cùm præsentibus deinde spolijs vino atque epulis acquiesceret. 1527

XIX. Pompeius Columna miseratus calamitatis, cujus causã dederat, omne studium ad innoxios redimendos convertit.

Pompeius ubi post biduum urbem ingressus promiscuis omnia cædibus, miserabilique inter tormenta ejulantium ploratu completa spectaret, suique ipse consilij immanitatem perhorresceret, lacrymas in tanta occumbentis patriæ calamitate non tenuit: doluitque, incolumi Clemente, ad pœnam hostiliter quæsito, summam malorum in capita innocentis vulgi derivatam esse. Quare indignatione in miserationem versâ, omni quâ valuit autoritate, apud Duces militesque contendit, ut humanitati locus esset, aliorum pudori, aliorum vitæ ac libertati æquis conditionibus consuleretur. Ipse, præter laborem, nullis sumptibus parcebat; ut hostili petulantiæ honestissimas feminas subduceret, Patresque ac principes urbis viros, & quotquot ultimo vitæ discrimine periclitarentur, à militum incuria vendicaret. Ita vulnera quæ fecerat, tanquam offensus filijs pater, adhibito deindè remedio utcunque curavit, dubiumque reliquit, plusne odijs oppugnantis, an miserentis amoribus Roma deberet. Ad Pontificem deinde pacis federumque spe in arcem (quo se ille inter primos irrumpentium hostium tumultus receperat) admissus; ut erat severitatis miserationisque juxtà capax, verissimis cum illo lacrymis funestissimam urbis turbatæque religionis faciem, ac communem, quâ, ad sacrarum profanarumque rerum excidium, in se invicem grassarentur, insaniam deploravit.

XX. Pontifex certis legibus ex arce deductus se militum credit custodia.

Aurantio denique, Lanoio Vastioque ac Moncadâ Romam confluentibus, his legibus Pontifici liberior custodia constituta est, ut quadraginta nummûm aureorum millia furenti, stipendiorumque debita postulanti, militi partitim exsolveret: & præsenti quidem ære decem millia jussus pendere, tam diu Cæsarianorum militum præsidijs in arce custodiendus, dum illa exhiberet. Mox Neapolim aut Caietam, donec Cæsaris voluntas explorata esset, concessurus. Dedit, accepitque fidem Pontifex, militumque custodiæ sub Alarcone Præfecto, se cum tredecim Cardinalibus ex pacto commisit.

XXI. Miles Lanoio & Vastio ducibus excussis, illudit Pōtifici sacrisque.

Intereà urbis quietem omni libertatis ac flagitiorum genere, trium diversarum nationum exercitus, duodecim Germanorum, totidemque cum Italis Hispanorum millia implebant: quos ubi ad imperiũ castraq; extra urbem Lanoius Vastiusque revocare conarentur, à dissoluto militari vulgo seditiosis vocibus bellorum mercedem deposcente, uterque ad necem quæsitus, ægrè tumultuantium ferrum evitavit, quòd neque opulentia spoliorum, neque inopia militem pateretur quiescere, cùm alios nimia, alios nulla præda ferociores reddidisset, vel in suis postulaturos Ducibus, quod in hoste non reperissent. Quare jam aliud nullum præterquam de auro, admittebant consilium, adeoque legum Ducumque excusso freno, suo quisque imperio vivere, nihilque sacri humanique revereri miles cœpit. Jam enim Lutheranæ hæreseos vitium non paucos Germanorum militum corruperat, qui sacro Purpuratorum senatui ipsique Pontifici omni contumeliarum genere illuderent, oratorium Pontificium equili aptarent, bullatasque literas equorum tergis substernerent; Lutherum verò adumbrato Patrum senatu, fictâque suffragiorum imitatione Papam decernerent.

Bibliotheca Vaticana clades ingens.

Porrò tantâ insolentiâ in nobilissimam Vaticanæ domûs bibliothecam grassati sunt, ut vel scelerate perditis, vel avarè loco pretioque transportatis selectissimis voluminibus, damnum Europæ dederint, omnium eruditorum lacrymis deplorandum.

XXII. Cæsaris etiam autoritate spreta, miles quacunq; vi & arte Pontificem ad stipendia solvenda adigit.

Neque Cæsaris autoritas ad tantam tempestatem sedandam valuit: qui, non fictâ simulatione, Romani Pontificis gentisque universæ calamitatem detestari videbatur; ut quam neque suo ab imperio profectam diceret: neque promptâ æris ac stipendiorum facultate posset componere. Quocirca datis etiam ad Christianos Principes, inprimisque Anglorum Regem, cujus offensionem formidabat, literis, purgare vix auditum inter Catholicos facinus conatus est: *negansque hujus se calamitatis autorem, Pontificem*, inquit, *primò adversum se infesta conflâsse federa, & hostilia molitum, licet impensè ipse Romanæ Ecclesiæ tranquillitati salutique studeat. Ad arma se pro Italiæ defensione provocatum, ostendisse jam armis etiam victorem, licet alijs ex Romana gente obnitentibus, quantum Pontificis deferret honori, quando per Moncadam oblatis frui inducijs ad libertatem posset. Verùm has repentè corruptas odijs armisque in devotorum sibi Columniorum agros illatis, violatas: vastitate innocentium subditorum tantâ, ad quam barbarus etiam hostis erubesceret. Nil proinde mirum, si hac provocatus injuriâ miles non expectato Cæsaris imperio. se etiam invito, quin & Ducibus plerisque renitentibus, invaserit urbem, prædas egerit, incluserit Pontificem: par esse, ut sibi suisque ea Clemens, non Cæsari imputet. Debuisse utique tueri fidem summum Ecclesiæ Antistitem; ut hanc ceteris, non exemplo minus quàm verbis suaderet. Turpe esse, ut qui reliquis autor pacis haberi velit, primus hanc violet. Nec ambigere se, quin justâ Dei voluntate hæc in Clementem derivata calamitas ad injuriarum ultionem fuerit. Tantùm nihilominus ex hac ad se victoria pervenisse doloris, ut victus quàm victor haberi maluisset. Providendum igitur, quid in hac re consilij remedijque ad pacis opportunæ commodum sumi queat. Quod sibi hac epistolâ ab amico Rege judicârit exquirendum.*

Inte-

Interea militum stipendia flagitantium importunitate victus Pontifex, hoc 1526.
egit, ut ex sacris templorum vasis argenteâq; suppellectile cõflatâ pecuniâ, tum
purpureis aliquot Cardinalitiæ dignitatis galeris pretio venditis, illorum cupi-
ditatem utcunque componeret. Sed cùm non menstrua tantùm illi; sed annua
militiæ flagitarent stipendia, nullis opibus efferatorum hominum avaritia sati-
ari poterat. Coactus iccirco Pontifex, auro deficiente, obsides exposcenti fero-
citer militi concedere opulentiores Principum, quorum neque spectata in Ec-
clesia dignitas, neque innocentia Barbarorum animos ad aliquam humanitatis
rationem potuit inflectere. Cùm in vincula, atque inde ad infames latronum
furcas abstracti, atrocisque supplicij metu conterriti, vix denique Pompeij ope-
râ salutem in fuga repererint. Ita cùm nec spes, nec formido cuiquam certa;
quòd neque Duces imperia darent, neque acciperent milites, Roma omnis libi-
dinis atque immanitatis theatrum extitit, illaque gentium domina jam sub de-
victarum quondam nationum jugo ac servitute squalebat: Lutheranis præci-
puâ miseris ferociâ insultantibus.

Paulus Jovius histor. l. 25. Guicc. l. 18.

Inter hæc soluta in luxum luxuriamque corpora gravis pestilentiæ lues oc-
cupabat. Cœli etiam, ventorum cadaverumque noxâ afflati, iniquitas malum
alebat vulgabatque. Gallici ad hæc exercitus per alpes Lautreco Duce transfusi
rumor, validæque confederatorum copiæ, haud dubiè junctis viribus ad Cle-
mentem in libertatem vindicandum adfuturæ; ferocissimos animos ab extrema
immanitate ad aliquam salutis & humanitatis cogitationem revocabant.
Neque inani prorsus metu Romani vatis Baptistæ, nuper illam urbi calamita-
tem; nunc brevem militi ex præda fructum prædicentis voces excipiebantur.
Jamdiu communicatis Franciscus ac Henricus, Franciæ Angliæque Reges, con-
filijs Clementis apud Cæsarem libertatem per Legatos urgebant. Ejus verò
certis legibus concedendæ, Lanoio Carolus potestatem fecerat; sed, ut diximus,
stipendiorum inopiâ efferatus conjuratusque miles, nulla Ducum audiebat im-
peria, atque ex capto Pontifice, & extremis periculis circumvento spem cupidi-
tatemque suam alebat: donec internis pestilentiæ malis, simulque Lautreci suc-
cessibus consternatus exercitus, animum ad mitiora consilia inflecteret, timor-
que optimus corrector morum, persuaderet, quod ratio & honestas non pote-
rant. Jam enim Galli, præter Bosium & Alexandriam, expugnatâ feliciter Pa-
piâ, tot nuper adversariorum viribus indomitâ, per Insubriam Romam se versùs
effundebant.

XXIII. *Fœda lues magnā militum partem invadit; Gallique victore ex Insubria exercitu accedentes, timorem incutiunt.*

His ingentes sese Helvetiorum Venetorumque copiæ adjungebant. Floren-
tini etiam, Mediceis ex urbe imperioque dejectis, pro libertate Pontificia ar-
ma sociabant. Andreas Auria denique maritimi belli Imperator, Gallicâ classe
ad Delphini portum Hispanos mari debellaverat, victorque Genuam patriam
ex Adurnionum Cæsarisque potestate ad Gallorum partes imperiumque tradu-
xerat; ut terrâ marique Cæsariani, auctis & locorum & vrbium accessione hosti-
bus, longè impares censerentur. Igitur pridie Cal. Novemb. de Clementis liber-
tate ita convenit; ut, *præter supra constitutam pecuniam, decimæ per Hispaniam*

XXIV. *Itali Gallis ad Pontificem redimendum juncti, justo metu Cæsarianos ad liber-tatem Pontifici certis legibus deferendam adigunt.*

An. Chr. *Pontificiæ, atque, in sacri belli præsidia collectum, Imperatori in præsentes necessitates cederet: Mediolanensis ac Neapolitani regni jura Carolo per Clementem inviolata starent, Ostiam Veteremque urbem pignoris loco acciperet.* Cùm inter hæc ad eas angustias res Pontifici familiaris domi coacta esset; ut asininis carnibus avide vesceretur; Lanoio quoque Caietæ defuncto, Aurantius in regno succederet, Hugone Moncadâ, duri callidique ingenii homine, magnâ potestate omnia administrante: veritus Clemens, ne pacis decreta, mutatis voluntatibns duriora redderentur, ad purpuratorum Senatum Neapolitanos aliquot proceres pretio adlegit, obsidesque ex eodem ordine nonnullos reliquit, ut vel auro præsenti, vel obligata fide militum contumaciam inflecteret. Quo facto, operam consiliumque Pompeio suppeditante sumpto mercatoris habitu (ut vulgus militare, fortassis moram obicemque festinanti allaturum; falleret) noctis silentio arce atque urbe dimissus est, postquam menses septem inter barbaros, omnique, cùm scelerum, tum morborum tabe corruptos milites, non sine ingenti vitæ discrimine versatus esset.

XXV Vastius ad exercitum reversus, eum in Bononiẽsem & Neapolitanum agrum educit.

Subinde ad urbem militemque Alphonsus Vastius, à quo nuper, flagitia atque immanitatem detestatus, abscesserat, se recepit; ut adversarum rerum terrore mitiores, ad imperium reduceret. Porrò Lautrecus, liberato Pontifice, nova abs Rege consilia mandataque accepturus, exercitum per agrum Bononiensem, vicinasque regiones in hiberna divisit, Cæsarianis per Romanam provinciam regnique Neapolitani limites quiescentibus. Sed nec Auria quicquam momenti ad res Gallicas mari attulit, quòd dum, ambiguâ disceptatione, alii Sardiniam, Siciliam alii bello petendam contenderent, exorta tempestas consilia ac classem per diversos portus disjecerit.

XXVI Galli Angli, Italique Cæsari bellũ, per feciales denuntiãt

Sequentis demum anni exordia, quæ fuerunt octavi & vigesimi, Gallorum Anglorumque, ancipiti dudum studio pacis bellique artibus intentorum, animos denudarunt, publice enim per feciales bellum Cæsari junctis Italiæ viribus inferendum denuntiant, quorum ille orationem, postquam explicata lætâque fronte excepisset, oratores confederatorum, Anglico dimisso, custodiæ inclusit, circumventam perfide suorum in Italia legatorum immunitatem questus. Mox Foxius Lautreci Dominus auspicatam bello fortunam prosequi jussus, atque in Cæsaris militem regnique Neapolitani fines impetum convertere, nusquam obviis hostibus, per agrum Picenum, captâ Aquilâ, felicis numinis ominisque urbe, ad ipsa Neapolitani regni viscera penetravit.

Jovius hist. li. 25. & 26. Guiccin. l. 18. & 19. Belcari. l. 19. & 10.

XXVII Cæsaris exercitus vix media parte superest.

Imperatorius exercitus, illo rerum discrimine, Româ evocatus lustratusque duodecim peditum, unumque equitum millia, ex quatuor & viginti armatorum millibus censuit, ceteros aut luxus aut pestilentia absumpserat strage per otium graviori, quàm quisquam hactenus inimicorum in bello dederat; sed & turpiori, quod sine ferro, atque etiam per flagitium tolerata esset. Jam verò & pristinus ille animorum vigor inter luxum rerumque affluentiam mirificè hebetatus, nihil in milite ad pugnandum audaciæ reliquum fecerat: ut cum Neapolim contendentibus, haud procul Troiâ, Lautrecus prælii facultatem offerret,

offerret, timidè illi noctis beneficio castra extra pugnæ aleam subduxerint, majori prædæ, quàm gloriæ tuendæ cupiditate. Recepti ad regni metropolim Cæsariani, non multò post à Lautreco insequente, omnibus confederatorum copiis Neapoli obsidentur, ubi minutis præliis, Aurancio Vastioque plerumque adversis, intra urbis mœnia denique conclusi sunt. 1528.

Pugnam subterfugi recepti Neapolim.

Res Cæsaris, inclinante fortuna ad exitium spectare videbantur; cùm non paucæ urbes, veteri Andegavensium memoriâ studiisque recurrentibus, Hispanorum ut ferebant arrogantiam detestatæ ad Gallorum arbitria accederent. Classem etiam ex Liguria admoveret Auria, ut pressam terrestribus copiis urbem maritimis urgeret. Præoccupare hoc quidem federatorum consilium Moncada statuerat, & classem in sinu Salernitano opprimere, junctis ad classiarium militem veteranis Hispanorum mille; sed exploratorum diligentiâ Auriani præmoniti, adscitiis vicissim Sclopetariis classem muniunt, atque ultro in hostem occurrentem alto pelago provecti magnam à principio stragem edunt, cùm unus tormenti globus, à Philippi Auriæ prætoriâ laxatus quinquaginta facilè Hispanorum discerpserit, pluresque etiam vulneribus debilitarit: pertinaci cruentoque utrimque prælio consertæ manus; sed victoria Aurianis denique relicta est; ita tamen, ut vix quisquam victorum sine vulnere discederet. Moncada Cæsarianæ præfectus classi mari haustus occubuit. Vastius ceterique Ducum capti apertam hosti ad Neapolis obsidionē viam fecêre. Tam arctis in rebus, imbelli multitudine exonerata urbs est, missique, qui Cæsaris auxilium properè implorarent; sed intercepti illi, Lautreco summis quoque difficultatibus inter aquæ pecuniæque inopiam colluctanti, spem brevis victoriæ auxerunt. Germani etiam ad regni Neapolitani præsidium, sub Henrici Brunsuicensis Ducis auspiciis, in Italiam traducti, postquam in summa rerum Cisalpinarum inopia, neque panis abundè, neque pecuniæ reperirent, conversis retro signis, absque adversario disjecti sunt: ita duplicem Cæsari in Italia exercitum, alterum copiâ, alterum inopia perdidit. *Tam periculosa res miles est; ut neque egere nimium, neque abundare illum conveniat: immoderabilis tam rerum luxuriâ, quam egestate.* Denique Iunio mense Venetorum classis viginti & duarum triremium numero Gallicis navibus adjuncta: ita circumsedit urbem, ut nullus oceano aditus, ad levandam obsessorum indigentiam, relinqueretur.

XXVIII Res Cæsaris valdè inclinata Genuensibus Gallorum quoque partes Auria Duce excellentibus, qui maritimâ pugnâ victor Moncadâ sustulit & Vastiū aliosque Duces cepit.

In hac rerum desperatione Cæsarianis inexspectata Andreæ Auriæ Genuensis Archithalassi accessio saluti fuit. Ille enim Pontificiis pridem Gallicisque stipendiis conductus, cùm nuper Adurnios imperiique rebus deditos Genua ejecisser, admissis in urbem Gallorum præsidiis; ubi patriæ libertatem, insolentiâ militari corrumpi opprimique, tum ad Savonam rei maritimæ negotiationes transferri magnopere doleret, ægrum hominis animum magnis Cæsariani Duces, quos in captivitate habebat, promissionibus tentarunt, atque etiam expugnarunt, ut hoc in bello Cæsar plus captivis, quàm liberis debere videatur. Hæc cum pacta Carolus legatione ex Hispania confirmasset; eâ ratione, ut Genua sub Cæsaris patrocinio libertate frueretur, & Savona pareret Genuensibus,

XXIX Auria per captos Duces Cæsari adjūctus rem lapsam restituit.

mutatis

An. Chr. mutatis Auriæ studiis, ut patriæ libertatis æterna nominis memoriâ vindex esset, odium hactenus in Hispanos acerbè exercitum pari ardore in Gallos convertit, meritus deinde cum duodecim triremibus stipendia Cæsaris, Melphitano Principatu in obsequii gratiam delato. Quare Philippus Auria frater Neapoli revocatus, Caietamque appulsus Andreas, imperatorios Duces captivitate eximit, Cæsarisque militiam publicâ insignium commutatione profitetur; nec multò post Genuam delatus, portuque receptus magno exultantis patriæ gaudio Gallos ejicit, optatamque Genuæ cum libertate tranquillitatem reddit. Savonæ etiam Genuensium opes gloriamque æmulantis portum lapidibus ruderibusque impletum navium negotiationisque frequentiæ reddit inutilem.

XXX *Gallorum miles forte & vice versa, lue ac bello conficitur,*

Sed & superi quam nuper aversi, tam rursum faventes pro fortuna Cæsaris pugnare visi sunt; siquidem tabifica lues tum ex luxuria, tum ex aquarum juxtà putrescentium fetore concepta, adeo in fracta Gallorum corpora immaniter grassari cœpit; ut multiplicatis catervatim funeribus, morbisque in omnes divisis, vix mille peditum centumque equitum integri, armisque idonei superessent, qui & ipsi denique afflati lue, pertinacissimæ obsidionis pœnas morte darent. Obsessi hostium torpore ac silentio provocati, cum præaltas Gallorum munitiones indefensas, sine noxâ, tentarent, in reliquias exercitus jam abitum meditantes effusi, vix armis ferendis fugæque satis idoneos Aversam compulêre, ubi ad ultimum aversæ fortunæ terminum, compulsi interceptique, aut carcere aut morte hæserunt. Sub hæc Capua, Puteoli, & Nola Gallicis præsidiis insessæ urbes, facile ab Hugone Maramaldo, Moncadæ substituto, ad obsequium fidemque Caroli revocatæ sunt. Porrò Fridericus Cajetanus, & alter Boviani Dux Henricus, cum aliis quatuor, illustris familiæ viris, securi ab Aurantio Neapolitano in foro subjecti, defectionem sanguine expiarunt Sed Fridericus Caraffa Melphi Princeps, ac Simon Romanus contra Alphonsum Davalum Vastium, fortissimum Cæsaris militem, magnâ obstinatione Apulos Calabrosque, in federatorum obsequio constantes, propugnarunt, & ante vitam, quàm arma posuerunt; quod honestam mortem turpi præferendam paci existimarent.

XXXI *Antonius Leva pro Cæsare Papiam occupat, militique nova arte stipendia obtinet*

Dum hæc in extrema Italiæ parte, ambiguo Marte, geruntur, Antonius Leva in subalpinis regionibus felici conatu eductis Mediolano copiis, Papiam invadit, Gallisque omnibus internecione deletis, occupat; cumque nulla stipendiorum, ad militem alendum, superessent præsidia, edicto cavit; ne quis Mediolanensium domi suæ panem pinseret, aut frumentum molendino subactum inferret, præter illos, quibus id juris certo pecuniarum onere indulsisset, qui cum illi in modios singulos tres aureos numerarent, utramque equitum peditumque militiam inter extremas Italiæ calamitates, ad Insubriæ defensionem sustinebat. Quibus Cæsarianorum successibus magnopere territi confederatorum animi, pacis consilia, Pontifice Angloque apud Cæsarem imprimis contendente, agitare cœperunt. Confederatorum tamen in cisalpina Gallia copias,

1525.

Fani Paulini Comes, ex Francia cum quatuordecim millium exercitu allapsus, summopere animo viribusque erexit. Vt Antonium Levam, octo tantum millibus vix satis ad urbium defensionem instructum, aperto campo formidare non posset. Sed fecundas Gallorum vires, & velut ex ipsis cladibus renascentes fata demum adversa premunt, cum nullo bellorum successu Dux Genuam Savonamque ac demum etiam Mediolanum tentaret, donec & ipse in tanto rerum adversarum impetu ab Antonio Leva ad Landrianum, infelici prælio, victus captusque, unà cum Chastillonio, Rongonio aliisque copiarum prefectis spem omnem defendendæ Italiæ, Gallis adimeret.

XXXII *Bellum diuturnũ inter Carolum Geldriæ Ducem, & Cæsarem, ut Brabãtiæ Ducem, deniqua Geldro sub hujus clientelã concedente, absolvitur.*

Eodem tempore, inter Carolum Cæsarem Belgarum Principem & Carolũ Geldriæ ducem, gravissimum ac maximè diuturnum bellum pace Gorcomij finitum est. Quinquaginta illud facile annis inter utriusque partis fortissimos duces extractum Rossemio cum Meursij comite pro Geldro; Scenkio & comite Burano pro Belgis postremò depugnantibus. Medij utrarumque partium Ultrajectini, nunc his, nunc alijs, aut favebant, aut suberant, domesticis tributorum tumultibus deniq; in servitutem ac prædam utrorumque conjecti. Tandem, extinctis odijs, mutuis pacis vinculis ita sociati sunt; ut Geldriæ Dux Gallorum federibus obnuntiaret, Cæsarique æterno amicitiæ pacto adhæresceret, occupata à Cæsarianis oppida reciperet, eaque cum alijs Geldriæ Zutphaniæque possessionibus clientelæ titulo à Carolo, tanquam Brabantino Duce, Hollandiæque comite possideret. Sed virilis legitimæque stirpis herede destituta, ad Brabantinos utriusque sexus possessores transirent; ita tamen, ut honesta inde dos feminis ex Geldro superstitibus obveniret. Vltrajectina vero regio, cum Antistitis sui Henrici Bavari consensione, jurisdictionem omnem, præter sacram in Carolum Brabantiæ Ducem & Hollandiæ Comitem transtulit, Cæsarique Novembri Mense solenni sacramento est obligata. His pactionibus magna rebus Belgicis quies conciliata est, postquam omnia ex vnius potentissimi Principis nutu penderent.

Haræus in Carolo

XXXIII *Ludovico Hũgariæ Rege à Solimanno miserè profligato, Ferdinãdus Austriacus, Cæsaris frater & affinis Ludovici, ad regnũ vocatur.*

Aliis hoc anno quoque regnorum accessionibus Austriaca familia, ad illam, quam omnes vident, nonnulli etiam invident, Europæ Principes, amplitudinem excrevit. Quamquam hæc, de qua modò agimus, felicitas ab insigni Christianæ Reip. detrimento initium duxerit. Solimannus enim Turcarum Imperator, post occupatam Rhodum, animis opibusque elatus, exploratam oceano fortunam, terrestribus etiam copiis experturus centum & quinquaginta hominum millibus, sese in Hugariam effudit, cui Ludouicus Hugariæ Rex adolescens, insigni quorumdam Ducum arrogantiâ ac temeritate delusus, præsertim Tomoræi ex Monacho copiarum præfecti, sese ad vicum Mohatium objecit, cum sex & viginti Hungarorum millibus, ac regni nobilitate universa. Suadebant non pauci expectandas auxiliares sociorum copias, quarum Illyrici, Trnsilvani, Bohemicique nominis, propemodum justi exercitus singuli, jàm regni fines ingressi fuerant; sed cum Hungari spreta Turcarum gente, solam victoriæ laudem præmiaque, æmulatione Majorum, aliis præripere festinarent;

Jovius in Elog. Ludovici Isthuanf. rerum Hung. l. 9 Dubrav. in hi. Bohem. l. 33.

An. Chr. narent: ea fuit, seu Ducum imperitia, seu gentis cæcitas, ut Dravi fluminis transitum perquam difficilem hosti incustoditum facilemque relinquerent. Qui nihil moratus, Hungaros admirabili negligentiâ contemptuque omnia administrantes, sine pulveris tormentorumq; apparatu, in navibus relicto, sine ulla ordinis lege confusa equitum, peditum lixarumq; multitudine, in acie stantes aggreditur, tanto hominum frementium ululatu, tormentorumque fragore, ut primo congressu exanimati Hungari, ante pugnam conspectumque vix hostem, inter fumum strepitumque armorum, turpi se fuga subducerent. Quæ res tam cæcâ reliquorum animos trepidatione implevit, ut de aliqua salutis latebra quilibet equitum circumspiceret: soli pedites suorum proditione hostium furori relicti, quem stando locum acceperant, moriendo tenuêre. Ceteris, præter vitam, pristinum etiam gloriæ decus inter ignobilem fugam ereptum est: cùm & multitudine, & celeritate Barbarorum, inter consiliorum itinerumque implicatas rationes facilè occuparentur. Tomoræus totaque nobilitas, aut hostili gladio, aut Danubij aquis consumpta est, Rex ipse Ludovicus palude anno MDXXVI haustus interijt. Præstantissimâ juvenis indole, magnarumque virtutum Princeps; fortior tamen feliciorque futurus, nisi majoribus animis, quàm viribus pugnasset. Maria Ludovici conjux, Caroli Imperatoris soror, ægrè Turcarum manibus subducta, Viennam tenuit. Solimannus ingenti prædâ apparatuque bellico ditatus, Budam deinde Regum sedem nullo negotio expugnavit: neque haud multò pòst, arce etiam fortissimâ neglectâ, deseruit, majori victoriæ famâ, quàm emolumento.

XXXIV. Joannes Transilvanus ab alijs ad regnũ vocatus, & à Ferdinando armis pulsus ad Solimãnum confugit, eique se vectigalem, si restitueretur, fecit. Cochlæ. in acta Luth. Surius in Comment.

Mox divisis regnorum studijs; alij Ferdinandum Cæsaris fratrem Bohemiæ anno superiori inauguratum, cui Ludovici Regis soror desponsata erat, ad regni coronam evocant: alij Joannem Vaivodam Transilvanum Ciliæ comitem ad Hungarici regni sceptra usurpanda admittunt. Ferdinandus & suis viribus, & aliorum favore potentior Joannem prælio ad Toccaium victum fugatumque facilè, occupatis regni possessionibus, eliminavit. Qui cùm frustra Sigismundi Polonorum Regis opem implorasset, Lasci Siradiensis Palatini exitiali consilio operâque, legatione ad Solimannum institutâ, ei se clientem vectigalemque, perpetuæ servitutis onere, constituit, modò per illum armis in regni amissi possessionem reduceretur. Grata hæc erat Solimanno oratio, quod ad Europæ possessiones & regna viam immensæ ipsius cupiditati ostenderet. Accepto in fidem Vaivodâ spem fecit restitutionis omni armorum potestate abs se anno proximè insequenti urgendæ. Quâ re factum, ut Cæsar turbatas in Germania res, tranquillitate aliquâ componere, ad vires in Turcam colligendas, festinaret.

XXXV. Acatholici, Philippo Hassorum Duce, bellum criminatione ficta, Catholicis inferunt.

Erant hæ non levi cùm religionis studio, tum bellorum impendentium metu convulsæ. Jam enim Lutheranæ factionis homines numero viribusque sensim auctiores, vim atque arma meditari, suspectare, ac moliri occultè omnia, ut, eversâ quiete publicâ, quàm ratione multis non poterant, bello hæresin suaderent; quæ anguillis similis, gaudet turbidâ. Natus ad hanc rem Philippus Hasso-

rum

rum dominus inquieti audacisque ingenij, leviculam, ab aliena perfidia, opportunitatem acceperat, ut in orthodoxos Principes ferrum occuparet. Georgius Saxoniæ Princeps Philippi socer, constantissimus Romanæ assertor fidei, domi suæ nobilem alebat hominem, Ottonem Paccium Lutheri opinionibus occultè depravatum. Hic, ut erat improbè prodigus, quique impares profusæ in luxum vitæ facultates possideret, flagitio eas, cum industriâ non posset, ubique colligebat. Ergo hæresi simul inopiæque suæ consulturus, Principis sigillo, quo ex Cancellarij officio utebatur, literas obsignavit, quâ clandestinam Principum Catholicorum machinationem & fedus adversus Acatholicos complexus erat: quod, sive inani suspicione, sive malitiosâ fingendi libidine conceperit, fictum prorsus ac commentitium, ut postea constitit, repertum est. Comprehenderat, præter Ferdinandum Regem, Guilielmum & Ludovicum Bavariæ, & Georgium Saxoniæ Principem, tum Brandeburgicum & Moguntinum Electores, Salisburgi denique, Bambergæ & Herbipolis Antistites, conjuratione armorum sociatos. Philippus igitur cum Saxoniæ Electore, communicatis opibus, militem insigni tum celeritate, tum frequentiâ colligit, ceteris facti rationem consiliumque ignorantibus: quod per absentiam Cæsaris poscere atque explorare tempestivè non licuit, ut simul penè arma propositumque explicaret. Postquam delati ad se federis exemplum caussamque bellorum vulgasset, negare illud omnes, fictamque ad injurias opportunè inferendas calumniam asserere, autorem postulare fabulæ, & conspirationis idoneos testes: nisi faxit, Philippum suo se judicio reum agere, & turbarum autorem prodere: artificium hoc esse malevolorum, & publicæ tranquillitatis hostium. Hæsisse inter ea Philippum memorant, & sperasse à Paccio federis concepti prototypon. Quo frustra expectato, simulatæ offensionis plenum, vicinis Episcopis Moguntino, Herbipolensi, & Bambergensi arma intentasse, dum aliorum interventu centum aureorum millibus cladem redimerent. Tantus erat Catholicorum id temporis, dicam ne amor pacis conservandæ, an languor propugnandæ? ut immeriti pœnas dare; quam malè promeritos armis animisque junctis, plectere maluerint. Qui si ea, quæ Paccius falsò ausus comminisci, fortiter audere potuissent, brevi Germania bello, æternam bellorum materiem oppressisset: quorum modò, ut in neglectis primùm morbis, nullus nisi in exitio apparet exitus, calamitate ipsis etiam Acatholicis merito deplorandâ. Philippus, ut se perfidæ machinationis suspicione liberaret, Principum Legatis Paccium exhibuit; sed malignæ deindè fraudis convictum, jamque antea quatuor à se aureorum donatum millibus, suâ intercessione defendit; ut patriâ potiùs, quàm vitâ exularet. Quâ tamen protectione, sive innocentem, sive nocentem tuitus fuerit, non satis æquum tutorem se probavit: quòd nocens exilio graviora, innocens leviora promeruerit. A Paccio etiam suspicionem malitiæ, vel in adversarios, vel in seipsum, tanquam autorem primum, amolitus est; cum remota ab illo culpa, in hos recideret. Eventu tamen compertum est, Paccium sceleratæ mentis hominem, digno Antvuerpiæ exitu, quadripartitim sectum flagitia cum vita absolvisse. Suevici postea

1528.

Ottonis Paccij perfidia tandem prodita.

An. Chr. stea federis Principes injuriarum Philippum accusabant, resque illa novis cruentisque obnoxia motibus videbatur, nisi & Palatini Principis curâ, & Cæsaris Regisque diligentiâ actum esset, ut dum gravissimus ab Oriente hostis Germaniæ immineret, domesticæ seditiones quiescerent.

XXXVI. Cæsar & Rex Gal. Franciscus acerbis se mutuò literis ad duellū provocāt, tempore parum opportuno. Guicc. l. 18. Belcar 19. Schleid. lib.

Inter Cæsarem quoque ac Franciscum Gall. Regem adhuc inimicitiæ flagrabant, cùm hunc & honoris & fidei suæ oblitum, duello ad contestationem veritatis oblato, Cæsar diceret. Acerbis iccircò literis in Caroli nomen grassatus Rex, ita scripsit Parisijs. *Illa coram meis Legatis jactare diceris, quæ ad vellicandam famæ nostræ integritatem spectant, non ferendâ forti viro ignominiâ. Oblitus fidei datæ asseror, tuisque excessisse manibus perfidiæ reus. Equidem omni obligatione solutus fui, postquam transactione mutuâ præstanti fidem, fidem non haberes; cùm eâdem me amicum, quâ hostem antea, corporis custodiâ inclusum sepseris, & libertatem absque libertate obtuleris. Quocirca si meum crimineris abitum, siquid à me commissum contra viri Principis officium asseras, diserte ego te assero mentiri. Fixum mihi est, honorem atque existimationem meam cum vitæ etiam discrimine tueri. Et quid verbis armisque cum tot hominum excidio contendimus, nostro duorum, ad quem me provocas, gladio hanc litem dirimamus, duelloque quo postulas, experiamur utri causa & æquitas faveat? huic locum tempusque designa. Si congressum hunc differes, solisque in famam meam verbis debacchabere, totius ad te controversiæ turpitudinem pertinere declarabis.* His Cæsar mense Junio Montisone per destinatum Parisios legatum ita respondit. *Falleris, cùm me tuum criminari abitum existimas; dilatum accuso reditum. Nonne abs te juramenti fide confirmatum est, in meam te potestatem custodiamque rediturum, nisi sancitæ pacis leges impleres? Si negas, tuis evincam sigillis ac literis. Si concedis, ut debes, quomodo laudati te Principis officium implere asseris, cùm in ea re fidem fallas, quæ & obligationis tuæ est, & potestatis? Affirmo, & sine mendacio quidem, turpiter abs te factum, & scelerate. Et quoniam duello huic controversiæ absolvendæ assentiris, conditionem accipio, locumque ad illud designo flumen, quod Fonterabiam inter Andæamque labitur, quem sanè recusare minimè poteris: nam si & tuam, & obsidum liberorum ei salutem, ante biennium credidisti, nihil erit cur modò declines. Ne verò disceptatio morâ longiori differatur; mittantur viri nobiles, earumque congressionum non imperiti, qui de loco, de armorum genere, deque certo constituant tempore. Quòd si intra diem quadragesimum ab accepta epistola nihil responderis, dilationis in te residebit turpitudo, atque ad alterum non servatæ fidei crimen novum illud adjicies.* His literis Legatus in Galliam profectus, atque ad Franciscum pro concione in procerum turba sedentem admissus est. Postulante Rege: an duelli adferret formulam? respondit, & afferre se, & præterea, quæ adderet, habere: petere verò, ut ex mandato Cæsaris, publicè ea sibi recitare liceat. Rex ad ea indignatus, negavit ab eo quicquam se, præter formulam provocationis admissurum. Quam cùm seorsim detrectaret Legatus, memorant cunctantem Regem, neque publicè illum auscultâsse, neque admisisse literas; sed verbis aliquot commutatis excessisse concione. Verène hæc, an falsò? non facilè, in caussa, affectionibus privatis obnoxia, definierim. Hoc sentio, laudabilius duellum subterfugisse hos Reges, quàm mutuis ad hoc odijs inflammatos provo-

provocasse; ne quod in alijs offensionum vindicandarum genus damnarent; in se committerent. 1529.

His odijs bellisque dum Christiana jactaretur respublica, Turca hanc facilè, tanquam imbecillum morbis corpus, oppressurus videbatur. Quare ea Caroli inprimis cura fuit, ut Germanorum dissidia utcunque componerentur, ne in dissipatam atque inutilem potentiam hic impetus verteretur. Spiram itaque indictis comitijs, Principes Ordinesque Idibus Martij anno hujus seculi nono & vigesimo convenêre. Legati Cæsaris erant Ferdinandus frater, Fridericus Palatinus, Guilielmus Bavarus cum duobus Episcopis Tridentino & Hildeshemio. Aderat Elector etiam Saxoniæ cum Melanchthone suæque factionis hominibus, magnâ frequentiâ. Utriusque partis studium hoc erat præcipuum, ut liberarum sibi urbium Legatos addiceret, quos proximo conventu ad federis consiliorumque communionem Acatholici provocaverant. Ferdinandus unà cum collegis ut hanc conspirationem everteret, aliquot civitatum Legatos separatim evocat, & de neglecto Cæsaris edicto primùm accusat: deindè ut ad reliquorum Ordinum sententiam adjungant sese, sedulò hortatur, ne fortè hæc comitia animis Germanorum conciliandis instituta, graviori seditione dejiciantur. Illi neque se quicquam ad Cæsaris injuriam novi machinatos esse, neque legitimi Concilij judicium defugere asserunt. Ceterùm omnia & Cæsaris & concordiæ gratiâ cupere. Aliquot tamen Helvetiorum populi, Lucernates, Urani, Suitenses, Untervaldij, & Tugiani, qui duabus potentissimis ejus nationis gentibus Tigurinis & Bernatibus, ob Zwingliani schismatis infectionem maximè adversabantur, Ferdinando se Regi adjunxerunt. Legatus verò Argentinensium ob nuper abrogatum, contra proximi decreti leges, Missæ sacrificium, à consessu publico Concilij rejectus est, Jacobo Sturmio ejus urbis Senatore, ceterisque Acatholicorum nequicquam obnitentibus. Denique hoc unius maximè partis consensione decretum: ut, *quandoquidem ex nupera comitiorum sententia (quâ quisque ita se jussus est gerere, ut Deo Cæsarique factorum rationem probare posit) non pauci abutantur, & portentosa quævis dogmata Cæsari se Deoque probaturos improbè confidant. Nemo deinde quicquam mutare usque ad proximi Concilij definitionem audeat: qui VVormatiensi edicto obsecuti sint hactenus, porrò obsequantur, qui absque seditionis metu id modò nequeant: semel cœptis insistant; neque inconstanti novitate omnia confundant. Et cœna Dominicæ, ex veteri usu, & sacrificio Missæ sua constet autoritas, neque secus docentium disciplina admittatur. Passim sacrificare Catholicis ritu suo liceat, etiam ubi novum doctrinæ genus receptum est. Anabaptistis suo errori pertinaciter insistentibus pœna capitis constituta sit. Omnes, controversis de fide rebus pro concione abstineant, atque ex receptis Ecclesiæ interpretationibus Scripturam exponant, donec Concilij decreto hæc lis absolvatur: Religionis causâ nullum incommodum detur, nullius adversus dominum subditi rebellio defendatur: qui secus fecerint, proscriptorum in numero habeantur.*

LXXXVII. Spirensibus in comitijs nova Catholici Principes decreta constituunt.

Schleid. l. 6. in fine Pontan. l. 2. rerum memorab.

Adversabantur hisce legibus Joannes Saxoniæ, Georgius Brandeburgi, Ernestus & Franciscus Luneburgi Principes, Philippus Hassus & Wolfgangus, atque

XXXVIII. Acatholici plerique contra pro-

testando his legibus adversantur. Unde Protestantes deinde sunt dicti.

An. Chr. que Anhaldinus. Cauſſam verò diſſenſionis ſcripto palàm exponunt. *Standum eſſe conventûs ſuperioris decreto, quo ſuus cuique religionis uſus ad proximi Concilij ſententiam inviolatus conſtet. Facultates ſe quidem vireſque omnes ad Cæſaris obſequium dignitatemque collaturos, Dei tamen ſalutiſque æternæ rationem apud æquos animos meritò præponderare. Notum eſſe, quo potiſſimùm autore hæc in religione alatur diſſenſio. Conventu Noribergico, ipſiusmet Pontificis Romani confeſſione, fontem malorum in depravatis Eccleſiæ moribus repertum. Octoginta facilè capita ab imperij Ordinibus Legato Pontificio oblata, quibus & vulnera & medicinam proponerent. Nihil emendatione ſeriâ curatum. Multis deliberationibus illum fuiſſe exitum, ut ad vitia erroreſque abolendos Concilium fuerit ſemper poſtulatum, ſemper dilatum hactenus. Quod verò præſenti decreto jubeantur ſolo metu ſeditionis ſemel conſtitutis inſiſtere, id ſe probare non poſſe, cùm nullo ſeditionis timore, verùm conſcientiæ religione ſuis in fide præceptionibus adſtringantur. Pontificiæ ſe Miſſæ locum dare non poſſe, quæ manifeſtis Scripturæ teſtimonijs jugulata conciderit, cœnæque à Chriſto inſtitutæ, atque ab Apoſtolis uſurpatæ, ceſſerit. Quorundam verò doctrinàm hoc tempore de cœna Dominica Chriſtique præſentia, controverſam prorſus hoc decreto excludendam damnandamque antè non videri, quàm hujus doctrinæ propugnatores in judicio audiantur, Cæſariſque diplomate ac voluntate ſententia poſtuletur; quorum utrumque etiamnum deſideretur. Ad ſacrarum literarum interpretationem, quod ſpectet: non perperàm illam quidem ad Eccleſiæ præſcriptum ſenſumque exigi: ſed in lite ac diſceptatione id comprimis eſſe, penes quos vera hæc Eccleſia ſit, ex cujus mente expoſitio Scripturarum petenda ſit. Se interea dum hæc finiatur controverſia, ipſis S. Biblijs decreviſſe inſiſtere, atque obſcuras illius ſententias per alias illuſtres minimèque dubias interpretari. Hanc certam prorſus atque indubitatam eſſe viam, quâ qui abſiſtant, humaniſque fidant traditionibus, debili lapſuroque niti fundamento. Præſenti igitur decreto adverſus proximum vim eſſe non poſſe, niſi quæ graviſſimis turbis offenſionibuſque aditum ſternat. Iam enim (quamvis VVormatienſi edicto ſuſpenſo hactenus) nonnullos Principum, privatis ſuæ ditionis hominum opibus animum manuſque admoviſſe, manifeſto futurarum rerum argumento ſi denuò nunc eadem ſanciantur, viſque in obnitentes exerceatur. Quocirca fixum ſibi eſſe ſuperioris decreti rationibus inſiſtere, neque admittere quicquam, quod Cæſari jure poſſit improbari. De quietis publicæ ſtudio, de abolendis injurijs, de iniqua rebellium defenſione, de Anabaptiſtarum ſecta coercenda, ſuum ſe officium minimè ignorare.* Hâc proteſtatione illius ſectæ Principes, quique illis adhæreſcerent, Proteſtantium nomine cenſeri cœperunt: vulgato deniquè vocabulo, ad novam Sectariorum factionem diſcernendam, quæ prima ſolet eſſe hæreſûm in Eccleſia ſubnaſcentium nota. Animos ſeditioſis auxerant multæ per imperium primi nominis civitates, quæ cùm pleræque Sacramentariorum opinionibus infectæ eſſent, communicatis tamen conſilijs ſeſe adjunxerunt, quòd licet hoſtilibus ſeſe invicem proſequerentur odijs, adverſus orthodoxam tamen Eccleſiam, quæ altera eſt hæreſûm affectio, conjuratâ perfidiâ conſpirarent. Argentoratum erat, Noriberga, Ulma, Conſtantia, Rutelinga, Winshemium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Heilbrunna, Iſna, wiſſeburgum, Nordlinga, Sangallum: quas urbes olim religione florentes, ſua denique *libertas perdidit,*

tam

tam sæpe poßidentibus noxia, quàm accipientibus jucunda; cùm omnis obsequendi libertas in turpi plerumque vitiorum servitute amittatur. 1529.

Nihil admodum caussæ erat, cur huic se potiùs decreto Sectarij objicerent, quàm tot retrò comitiorum constitutionibus. Poterant eâdem, quâ in ceteris decretis dissimulandi licentiâ, huic etiam liberâ transgressione illudere, nisi tot hostes Cæsaris, tot suæ factionis amici suspensam dubio metu audaciam extimulassent: hostilia tum demum professi odia, cùm pares his exercendis vires accepissent. Ceterùm prudentibus *imbecillis nimium iste conscientiæ objecta clypeus visus est, ac frivolè prætensa S. Scripturæ ex Scripturis petenda expositio; ut si hactenus illa, vel SS. Patribus incomperta fuisset, ubi suis sese ipsa nodis expedit; vel ita sese illustraret, ut nullus maneret controversiarum in fide post collationem etiam diligentißimam locus, cùm Europa universa, non pugnantibus minus de Scripturæ sententijs, quàm de regnorum poßessione gladijs dißipetur, & vix duo reperiantur, qui per omnes rerum credendarum articulos eandem ex collatis inter se Scripturis sententiam eruant. Ipsi nunc religionis mutatæ antesignani, Lutherus & Melanchthon, manifestis inter se fidei articulis dißideant: ut hic in visitatione Saxonica, prodito etiam libello, præscriptuque in Sacramentorum administratione ritibus, ex voluntate Electoris Saxonici testatum fecit: in quo pœnitentiæ & bonorum operum studium, veteresque Ecclesiæ cæremoniæ præscribuntur, Luthero dißimulante, ne hominem sibi suisque conatibus adversantem sentiret.* Verùm hæc frustrà oggerebantur ijs, qui à Patrum Ecclesiæque communi sensu, ad proprij capitis interpretationem versi, specioso Scripturarum titulo per diversa sententiarum spargebantur: dum quisque sibi sapere præ reliquis visus est. Imò ipse sibi tam dissimilis Lutherus esset; ut quod hodie ex Scriptura assereret, seque de cœlo certum habere affirmaret, haud multò pòst, vel inconstantiâ animi, vel oblivione sui negaret ac destrueret; uti innumeris scriptorum antilogijs compertum manet: vixque hæresis deinde nata sit, quæ ipsius autoritate non fulciatur. Quare & cum Melanchthone dissimulandum; & hic non minus inconstans, sibi cum Luthero, imò cum ipso etiam Zwinglio, ut postea constitit, syncretizandum esse sentiebat. Mollium proindè Lutheranorum Melanchthon chorum duxit. Quibus Rigidi sese Matthiâ Flacco Illyrico autore (qui ex Melanchthonis disciplina profectus erat) magnâ contentione objecêre: ut jam post varias inter se dimicationes subnascentium sectarum Protestantes magis de concordia inter se, quàm cum Catholicis stabilienda laborarent. Ferdinandus igitur spe conciliandi dejectus, se comitijs subduxit, quando ipsi ad Cæsarem, & futurum Concilium generale, subterfugiendi solùm decreti gratiâ, provocabant.

XXXIX. *Cur his potius, quàm superiorum comitiorum decretis adversati sint.*

Cochl. & Ulenb. in actis Lutheri. Surius in com.

Inconstantia & repugnantia Acatholicorum in eruendis ex Scriptura fidei articulis. Vnde mira sectarum diversitas.

Pullulabant inter hæc alia aliaque hæreseos, velut hydræ, capita. In quibus Gaspar Swenckfeldius è Silesia nobilis, scientiarum opinione elatus, qui scepticus omniumque medius, cum Anabaptistis puerorum baptismum, cum Zwinglio Christi præsentiam, cum Luthero plura damnabat, & veræ fidei sensum magis ex interno Spiritûs S. dictamine, quàm externo verbo, quod ambiguum esset, hauriendum docebat. Quem Lutherus vulgato scripto, tanquam obsessum à Diabolo morionem explosit, ac cum Sacramentarijs ad ultimam

orci

An. Chr.

orci regionem proſcripſit, pari ab ijſdem ſententiâ proſcribendus. Ita novi hi Evangelici aurem ſibi invicem vellicabant.

XL. *Pontifex cum Cæſare lege certa conciliatur.* Epiſt. Principū l. 2. Guicciard. l. 19

Pontifex tum ut hæreſi & Turcis invaleſcentibus per Carolum potentius occurreret, tum ut Mediceis à Florentinis imperio dejectis, rectius conſuleret, pacem Barcinone cum Cæſare his legibus pactus eſt : *Alexandrum Mediceum in priſtina apud Florentinos dignitate collocato. Cerviam, Ravennam, Mutinam, Rhegium, ac Rubericam ad ſedem Apoſtolicam Cæſar pro viribus reducito. Contra Pontifex his recuperatis Cæſari diploma, de juſta regni Neapolitani poſſeßione concedito, cenſuque omni remiſſo, nivei tantum coloris equi tributum accipito. Cæſar Franciſci Sphortiæ cauſſam judicibus minimè ſuſpectis examinandam committito, eique ſi innocens compertus fuerit, Inſubriam reddito; ſi nocens, cum Pontificis arbitrio, de alterius ſucceßione decernito. Cum Ferdinando fratre vim omnem ad opprimendas hæreſes per Germaniam exortas conferto. Denique cum Pontifice in Italiam Cæſar ad colloquium proficiſcitor.* Hæc à Carolo ſolenni juramento XXIX Julij ſtabilita ſunt.

XLI. *Per duas deinde feminas Cameracenſe fedus celebre, inter Carolum & Franciſcum Reges, novis legibus ſtatuitur.* Jovius l. 26. hiſt. Guicc. l. 29. Belcar. 20. Haræus & alij.

Sub hæc, Pontifice atque Angliæ Rege moderantibus, pacis inter Cæſarem Gallumque ineundæ rationes ſuſceptæ ſunt. Hujus plena conficiendæ poteſtas hinc Margaritæ Cæſaris amitæ Belgio profectæ; indè Ludovicæ Regis parenti commiſſa fuit. Eodem illæ ſeptimo Julij die Cameracum ingreſſæ, viciniſque exceptæ ædibus, cum Belgico Francicoque ſenatu, Legatiſque Angli & Pontificis in has denique pacis leges Nonis Auguſti convenerunt : *Vt Cæſar jure ſibi in Burgundiæ Ducatum, Comitatumque Auxerroanum, & vicina loca hactenus uſurpato, acquieſcat; redituque annuo mille librarum ex Burgundici Ducatûs Salinis poſtulato cedat, uti viciſſim onere omni tributario, ex Salinis Comitatus Burgundici Gallis debito, Belgij Principes liberentur. Rex pro redemptione filiorum Cæſari vigeſies centena aureorum liliorum millia puro auro exſolvat, præſentique pecuniâ ducenta millia, ante inſtantes Martij Kalendas, quibus filios recepturus ſit : ducenta verò nonaginta millia Regi Angliæ Cæſaris nomine pendat. Revocet etiam ante filiorum libertatem, omnem ex Italia militem, Mediolanenſis imperij jure cedat, & ad regni Neapolitani integram poſſeßionem Cæſari opibus operâque ſubveniat; neque Italiæ Germaniæque rebus, pro ullo ſe Principe in fraudem Cæſaris immiſceat.* (quâ tamen obligatione ſe poſtea teneri non cenſuit, quò minùs ea, quæ materno jure ſibi vendicabat, quæque occupabat Sabaudus, armis repeteret) *Borbonij proſcriptionem aboleat, liberis in paternæ hereditatis ſucceßionem admißis. Omni Rex jure ac prærogativâ, quam in Flandriam, Arteſiam, Tornacum, Mortangam, Duacum, Inſulas ac Orchiacum uſurpârit, liberè abeat : viciſſimque Cæſar juri in urbes, ad Somonam amnem ſitas, obnuntiet. Ducatum Bullionium à Cæſare Antiſtiti Leodienſi, contra Marcanos, adjudicatum, ne adimat. Philiberto Aurantio ſuum Principatum reſtituat, Carolusque Egmondius Geldriæ Dux, Cæſarique conciliatus, hoc fœdere comprehenſus cenſeatur. Eleonora ſoror Caroli cum dote promiſſa regio matrimonio jungatur.* His legibus pacem hanc toties à viris irrito labore tentatam, feminarum denique induſtria reperit; ut ceteris quidem, in hoc bello militiæ labores, mulieribus victoriæ præmia ac fructus Europa debuerit.

XLII. *Cæſar ex Hiſpania in Italiam cum exercitu ad coronationem proficiſcitur.*

Dum hæc Cameraci magnis conſilijs ſtudijſque agitantur, Cæſar, tum ex fe-

deris

deris obligatione satisfacturus Pontifici, tum Romani imperij coronas, veteri Imperatorum consuetudine, in Italia petiturus, ad iter se, post septennij in Hispania quietem accingit. Susceperat ex uxore Philippum jam natum biennio Principem, hunc una cum conjuge, velut dignitatis amorisq; sui pignus, Hispanis reliquit, classemque, denis militum millibus occupatam, secum Barcinone solvens, quindecim dierum itinere Genuam, Augusto mense, deduxit; ubi duplici recreatus nuntio: altero pacem Cameraci esse absolutam: altero, Felicem Furstenbergij comitem octo Germanorum peditum millia, præter equites mille, suis stipendijs in Cæsaris gratiam conduxisse, intellexit. Tanto apparatu Italorum Principum animos magnopere Carolus perculit, qui jam Pontificijs regijsque præsidijs nudi, adversus potentissimi felicissimique Imperatoris vires, ne spe quidem, sufficiebant. Hinc amplissimis quisque legationibus Cæsaris, fidem atque amicitiam ambire cœpit. Soli Veneti, aut virium fiduciâ, aut pertinaciâ jam semel occupata retinendi, Cæsaris indignationem suis emolumentis posthabuêre; Florentinorum verò ac Ferrariensium legatio, ne audita quidem à Cæsare est. Sed in Venetos destinatus, Antonius Leva, in Florentinos ac pontificij juris populos cum Vastio arma expedire jussus est. Et Veneti quidem mitiora denique Pontificis consilia secuti, amicum quàm hostem experiri maluerunt. 1529.

At Florentini post obtentam pactione Perusiam, & Aretium factiosorum quorundam procerum obstinatione, ultimam subire belli aleam decreverant, quàm amissâ libertate Mediceorum imperia tolerare. Verum, ut *audacia sine viribus successu caret*, longâ obsidione, ac prælio ad montes Pistorienses fracti, denique anno sequenti in victoris Cæsaris arbitrium concessêre: nec aliam habuêre voluptatem belli, quàm quòd suas inter strages hostium Ducem Aurantium viderint concidentem. Cæsar cum Mediceis suum urbi præsidium intulit, nec multò pòst, ex Clementis voluntate, Alexandrum Medices magnum Etruriæ Ducem pronuntiavit, traditâ illi uxore filiâ Margaritâ Austriacâ, quam Carolus quadriennio ante matrimonium, ex Margarita Vangestia Belgicæ nobilitatis virgine susceperat: non tam suâ, quàm aulici hominis illam sufficientis adductus levitate. Susceptam Margarita Caroli amita ac deniq; soror Maria cultissimis moribus imbuit; ut indole Austriacis dignâ labem qualemcunq; generis facilè obliteraret.

XLIII. Florentini, cæteris Italis obsequentibus, sub jugum à Cæsare missi, & Mediceus gener Dux illis præfectus.

Jam quemadmodum Pontificem Carolus Bononiæ convenerit, operæ pretium erit paulè disertius explicare. Priusquam ditionem Pontificiam subiret, Imperator Placentiæ substitit; & recepto Cæsaribus more solenni verborum forma, ex cæremoniarum libris petita juravit: *Nunquam se Pontificiæ Majestati & libertati vim allaturum*: Quanquam ex Antonij Levæ instructione subjiceret: *nihil tamen de suo jure decessurum*, quod Parmæ Placentiæque urbium, Insubribus olim debitarum, causâ, additum perspicaciores existimabant. Hinc Bononiam delatus Cæsar, quo jam Pontifex, ut honore, sic tempore præcesserat, eximiâ, ac penè triumphantis specie, incredibili omnium ordinum applausu exceptus est. Paludamentum ipse militaribus armis superfuderat, alboque invectus equo, illu-

XLIV. Bononiæ Cæsar post Pontificem splendidè ingreditur.

An. Chr. illustri Principum coronâ cingebatur. Umbellam auro distinctam præferebant literarum &, Academiæ Proceres. Equites suis turmis coloribusque distincti, peditatu sub signis insequente, præcesserant: prætorianæ cohortes, ac Hispanis, Belgis, Germanisque lectæ, croceis in sagis ponè Cæsarem, extremo agmine, incedebant; ita ad summam urbis basilicam provectus, in vestibulo Pontificem, inter Purpuratorum senatum, sublimi elatum sede, deprehendit, quem illustriori stipatus procerum catervâ pedes adiit, binis, ad imos gradus, ex sacro Antistitum ordine, deducendi Cæsaris gratiâ, occurrentibus.

XLV Duorum orbis capitum celebris congressus.

Verba Jovii lib. histor. 27

Omnium in se oculos duo maximi Europæ Domini, magnâ spectantium aviditate converterant.* Explorabat enim quisque valde suspensus & tacitus, propter memoriam veteris dissensionis, & recentis amicitiæ, an ora ipsa interiores sensus nunquam ex toto fallentia, subitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæsaris in gestu militari & gravi, blandâ quâdam lenitate verecundiâque perfusus: Clementis verò facies, ita subito ad eius concursum exhilarata est, ut vel ob id maximè lætari crederes, quòd illum multò humaniorem, & augustiorem, quàm putarat esse, conspiceret: varia siquidem ab Hispanis, & falsa quidem de Cæsare, plerique malignè retulerant; & multi etiam vltrò trepidis animis propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingebant, vti alterum Ariovistum aut Rotomalcem, aliquo scilicet vultu Cimbrico & feritate Gothicâ metuendum, ac ipsius denique militibus ferociâ & spiritus immanitate persimilem, qui devictis & stratis tot hostium exercitibus, tot urbibus direptis, evastatisque provinciis, divina ac humana omnia, dirâ confusione miscuissent.

XLVI Caroli mores, humannitas autoritas continentia atque animi moderatio.

Sed jam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ demum, Regii & Mutinæ cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus: utpote qui passim humanitatis, abstinentiæ, castitatiis, atque justitiæ monumenta, absque ullo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimvero, quo nihil est in Rege popularius, ac gratius aditū cunctis atque aures summâ benignitate & singulari patientia præbuerat, dederatque obiter responsa spei æquitatisque plenissima, quæ propositis postulatorum capitibus sigillatim rectissimè responderent. Illam verò militum licentiam diuturnâ impunitate confirmatam, iis, qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arrogantes stipendia flagitarent, supplicio protinus affectis, ita represserat; ut illo, quod teneret longè omnium maximo, imperio dignissimus haberetur. Sed nec eum, quanquam ætate ac fortuna florentem, ullæ unquam vel illicitæ voluptates à perpetuis rerum maximarum consultationibus avocabant; ita ut in eo, simul juventæ decor eximius, ad martiam laudem, emineret, & consiliâ senili maturitate propriis non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Nunquam enim præclarum, nobile, & firmum eius ingenium vel irarum impetus perturbarat, vel cœca vindictæ libido pupugerat, vel ulla humana mollities, quin recta sentiret, expugnarat.

XLVII Forma & habitus corporisque dignitas.

Erat eius vultus (vt hoc quoque curiosi minimè desiderent) argenteo & gra-

to quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, suaves, nullâ acri severitate formidabiles, & ii quidem ad ingenuum pudorem virilemque modestiam instituti. Nasus è medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam Regibus ab antiquis fuit observatum. Mentum erat, ad exiguam venustatis injuriam, paulò prominentius, & quod gravitatis speciem addebat, subcrispâ & flaventi barbâ convestitum. Capillum vero fulgore pallentis auri more Romanorum Cæsarum circumtonsum ostendebat. Porrò statura corporis, ut in ipso ætatis integræ flore, & prosperrimâ valitudine, non ab inerti succo, sed à valido nervorum nexu longe firmissimus; peramplæ item robustæque manus ad stringendum ferrum idoneæ, crura autem venustissime extantibus totis, trunci proportione directa, quod tum maximè apparebat, cùm equo veheretur. Tanto enim ei inerat, cum dignitate, equitandi peritia, ut nullus, eo armato atque equum incitante & in gyrum reflectente, vel pulcrior, vel vividior, vel, in ferendo armorum pondere, patientior eques reperiri posse videretur. 1528.

XLVIII Salutationes Cæsaris & Pontificis mutua, privataque colloquia.

Ceterùm ad Pontificis pedes flexo genu provolutus, ac mox dextrâ læti, arridentisque Pontificis erectus ad osculum Hispanicâ Oratione * *Veni*, inquit, *Sanctissime Pater ad pedes tuos, quod summo voto semper expetivi; ut fessis Christianæ Reipub. rebus communi consilio succurramus. Oro Deum Opt. Max. qui me hujus voti compotem fecit, ut nostris consiliis adsit, atque hic adventus meus Christianis omnibus sit salutaris.* Tum Pontifex, *certè hoc ipso congressu*, inquit, *sicuti Deus immortalis & S. Cælites certissimi sunt testes, mihi nihil fuit unquam antiquius, etiam Superis gratias ago, quod te videam prosperè ac feliciter mari terraque perductum, resque eo deductas intuear, ut te autore de concordia omnium, & solenni pace minimè desperemus.* * Obtulit subinde Cæsar auri signati circiter libras decem, deductusque est summâ comitate à Pontifice ad templi limen; atque ita digressis, Cæsar ad aram maximam Supplicaturus superis contendit; Pontifex verò in prætorium cum universo Sacerdotum ordine reversus est: nec multo post Cæsar, & ipse prætorium intravit, cui paratæ erant summæ ædium partes, ita conjunctæ pontificiis; ut inter unicujusque cubilia solus interesset paries, aditum præbente portula; ut cum vellet ignaris omnibus, remotisque arbitris, interdiu noctuque de summis rerum negotiisque familiarissimè disputarent. Eo modo sæpe arcana sensuum, mutuâ & syncera animi libertate, detegendo, ac odiorũ origines ad fatalem vim, & consiliariorum & Ducum insaniam referendo, facilè, divis bene juvantibus, viam invenêre, quâ pax egregiè componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur *

*hucusq; Jovius

XLIX Pontificis autoritate Cæsar Florentinis magis aversus, Sphortiæ; & Venetis, quam

Valuit Pontificis autoritas plurimum ad Caroli animum in Florentinos concitandum: Sphortiæ verò Venetisque inflectendum, tanta, præter dignitatem, Clementi inerat vis, ad rerum gravissimarum excutiendas rationumque momentis ponderandas sententias. Ea porrò etiam rerum erat Germanicarum ad hæresin, Vngaricarum ad Turcam inclinatio, ut nisi Ferdinandum patriasque

vis non sine gravi æris mulita, conciliatus est.

Ch Austriacorum sedes, inter extrema pericula vellet destituere, deliberandum serio de Italiæ quiete videretur. Quare oblatâ Sphortiæ coram se purgandi facultate, quam frustra diu exoptaverat; cum ille admissus ad Cæsarem aut innocentiæ veræ aut audacter simulatæ fiduciâ, literas promissæ fidei ad pedes Caroli imperatoris projecisset, seque renuntiare eis, neque alio, quam caussæ præsidio defensum velle liberè dissereret, mirificè Cæsaris animum tenuit, faciliusque injuriarum absolutus, atque in amicitiam receptus est. Magno tamen pecuniarum onere jussus decennii tempore nonaginta auri pondo exsolvere, ex quibus, intra annum, quadraginta penderet; tum deinde Mediolanensi arce potitus integrâ imperii possessione frueretur. Quod tam liberali Cæsar benevolentiâ Sphortiæ indulsit, ut & novo diplomate Insubrum provincias illi adscripserit, & oblatâ in thalamum consanguineâ Christianâ Daniæ quondam Regis Christierni & Elisabethæ Sororis filiâ, cognationis titulo obstringi voluerit. Ceterum Venetis hac obligatione pax data est; ut Ravennæ ac Cerviæ urbium possessione abirent, cederentque Pontifici, juris, si quod esset, prærogativâ manente. Regni deinde Neapolitani finibus jussi militem abducere, & numerare Cæsari tria millia auri pondo, veteris potissimum fœderis rationibus debita.

L. Solimãus Joannem Transilvanum, contra Ferdinãdum occupatâ Buda Regem Hungaris præficit, ac deinde Strigoniũ Archiepiscopi sedẽ invadit.

Eâdem tempestate seditiosâ illa innovandæ Religionis studia atque imminentium Turcarum vis ac sævitia extremis Germaniam periculorum fluctibus perniciosè jactabant. Enimvero Solimannus cum ingenti exercitu Joannem Waivodam Vngariæ regno contra Ferdinandum præfecturus, omnia, vel suis viribus, vel nostrâ inertiâ ad deditionem prona habuit. Buda, præsidio infugam effuso, hosti, præter arcem, patuit: hanc Germani defendendam susceperant, fortiori consilio, quàm opere; siquidem, ubi suspensam cuniculis arcem igne sulphureo vertendam reformidarent, de vitâ magis, quam virtute solliciti, paciscendæ salutis occasionem flagitant, quam cum arcis Præfectus Thomas Nadastus Vngarus constanter rejiceret, illo vinculis cohibito, à Solimanno impetrant, quocum de sua incolumitate pacti, Præfecto in vinculis destituto, Possonium discedunt; sed ubi militum perfidiam Nadastique virtutem Tyrannus comperisset: hunc, suis nequicquam stipendiis ad se invitatum, insigni humanitate ad Regem dimittit; illos in via occupatos jugulatosque violatæ fidei pœnas jussit exoluere: tantum in Barbaro etiam pectore virtutis atque æquitatis ratio potuit, ut nec in hoste quidem perfidiam, quantumvis utilem sibi, inultam pateretur. Hoc lætus eventu, Joanne Buda relicto, ad Danubium arma vertit, ubi Strigonium, munitissimam regni arcem, Vardani Archiepiscopi trepidâ imbellique custodiâ malè defensam, non multo labore occupat; juxta locis, pari terrore, immanissimi hostis potentiæ cedentibus.

Isthuanff. lib. 10. Surius in com.

LI. Germani inter hæc de religione perniciose certant; aliique ex his Lutherum, alii SWenkfeldium, alii ZWinglium [illegible]

Interea Germani totâ viciniâ bellorum incendiis conflagrante, in summo imperii salutisque discrimine, internum etiam seditiosæ hæresios æstum mutuis concertationibus inflammabant. Jam enim divisis factiosorum studiis, cùm multi

si æmulatione succensi hunc Evangelicæ doctrinæ magistratum ambirent, alii ex aliis sectariorum exercitus nascebantur: paucis aut antesignani, aut novæ religionis stipendiarii deerant: nonnulli ZWinglium aut SWenckfeldium: alii Enthusiastas, aut Anabaptistas, desertis Lutheri vexillis, sequebantur. Et certè Zwinglius cum Oecolampadio, Carolostadii vestigia legentes, vsque adeò multis probabantur; ut præter Helvetiorum gentem Argentina, Vlma, Constantia, Augusta, imperialium urbium haud sanè postremæ, Sacramentariorum hæresi, ab illis resuscitatæ egregiè faverent. Quæ Evangeliorum levitas, & lubrica credendi libertas, florentibus eorum rebus, non exiguam cladem intulit: cùm livore odiisque distracti, magnâ animorum acerbitate, sua invicem denudarent vitia, calamisque ac linguis perfidiam exprobrarent; nec secus, quam demissæ ex orco Furiæ in famam existimationemque, mutuis convitiis dilacerandam grassarentur. Nemo tamen omnium ita dissentiebat à ceteris, qui non eâdem, quâ reliqui audaciâ, ex Evangelio cœloque haurire se indubitatam prorsus fidem assereret. Prudentioribus tamen Sectariorum ea dissentiendi libido displicuit; quòd ad conditæ nuper Religionis exitium hanc spectare intelligerent.

1529

Cochleus in vita Lut. Schleid. lib. 6

Quare & Zvvinglius, suarum partium metuens, de aliqua cum Lutheranis societate ineunda solicitus per Hassiæ Comitem Philippum nuper Lutheri, & nunc suis faventem erroribus, vix tandem obtinuit; ut ad colloquium Marpurgi instituendum pertraheret Lutherum, gravissimè suis partibus adversantem. Quo loco, cùm, non tantum de Eucharistia, sed & originis peccato ac Baptismi ad peccata abolenda virtute, aliisque Sacramentorum usibus dissiderent; visus est in omnibus ZWinglius Luthero, amicitiæ gratiâ quam summopere ambiebat, accedere, præterquam in controversia Eucharistica, ubi ex illis Christi apud *Joan. 6. Cap.* verbis: *Caro non prodest quicquam*; tum Physicis rationibus, quibus corpus sine dimensione ad locum negabat posse existere, ac denique ex SS. Patribus *Sacramēta signa esse rerum* asserentibus pertinacissimè contendebat; non aliter Christum, nisi significatione sola, ac fide credentium præsentem exhiberi. Ita cœci mortales, qui in verba sacrarum literarum jurare videbantur: cum ardua nimium, neque ad sensum exacta occurrerent, nullâ religione apertissimas scripturarum sententias ad humanæ scientiæ regulas detorquebant: quod cum Oecolampadio seorsim Princeps Philippus objiceret, asserens evidentiora videri Bibliorum verba, quàm quibus contravenire æquum esset, cum gemitu optasse fertur, ut antè dextra ferro ablata esset, quàm calamum ullum in hac controversia contrectasset. Certè Luthero neque difficilis, neque dubia ex divinis sanctorumque Patrum monumentis, disertè corporis Christi præsentiam astruentibus, victoria relinquebatur. Neque rationibus ex possibili divinæ potentiæ reductis, expugnari non poterant; cùm & supremum cœlorum absque loco consistere, naturali vi Lutherus ostenderet, & minoris repugnantiæ speciem præseferret, unum corpus exiguis diversisque locorum spatiis includere, quàm ex nihilo tam admiranda rerum creatarum simulacra educe-

LII Zwinglius Lutherum sibi conciliare Marpurgensi congressu nisus, illi multa remisit, in cœna tamen, licet victus, cedere noluit.

An. Chr. re;sed pudore cedendi metuque populorum, quos in hanc opinionem pertraxerant, suis erroribus pertinaciter adhæsêre, quanquam amore concordiæ spem faceret Zwinglius sententiæ immutandæ. Certis igitur legibus fedus amicitiamq; sanxerunt; at non multò pòst, mutuis rursum criminationibus subversum.

LIII Anabaptistæ in quæsita Acatholicorum unione intractabiles.

Utramque hanc factiosorum societatem insigni impudentiâ, levitate atque insaniâ dissentiendi superarunt Anabaptistæ, non minoribus aliorum objecti odijs, quàm suis inflammati. Manifestum præsensque erat Germaniæ exitium, usque adeò hæc pestis animorum invaluerat, cujus jam neque certum genus, neque remedium supererat; cùm quot corpora, penè tot morbi hominum: dum suâ quisque cupiditate, velut humore depravato, infectus, vitium traheret. Accessit intestino huic malo tantò metuenda amplius violentia hostium, quantò imperij res erat afflictior. *Iam enim prostratum superare nulli difficile.* Nimirum Turcarum vis, uti potentior, sic majorem Cæsari ac Ferdinando injecit curam: Solimannus namque rerum ad Danubium latè potitus, cum millibus pugnatorum quadringentis Viennam Austriæ imperijque præcipuam sedem petebat; cùm defensores incolæ suburbijs incendio deletis, ne opportuna hostium receptacula fierent, imbellique religiosorum, feminarum, senumque ac puerorum vulgo urbe pulso, armatis eam cohortibus, sub Philippi Palatini ducis auspicijs implent. Ad exitum spectabat September, cùm urbi exercitum Solimannus admoveret, tantâ hominum circumfusâ multitudine, ut à summis turribus nullus castrorum terminus spectantibus occurreret. Expeditam in cuniculis vim esse hostis sentiebat; ut proindè omnem huc conatum inprimis verteret; sed quæ fuit obsessorum, cùm vigilantia, tum industria, deprehensæ hostium machinationes, oppositisque cuniculis subversæ, spem animumque aliò inflexerunt, ut apertis simul viribus tormentorum, occultisque cuniculorum suffossionibus obsessorum virtutem experirentur. Fefellit hic astus Germanos, qui dum alteram urbis partem vi tentatam defendunt, aversa murorum propugnacula subitò cuniculorum hiatu animadvertunt discedere. Nec mora, ingens Turcarum sese multitudo per ruinas mœnium infundit; sed audaciam alij post alios exitio luunt, tantâ mortalium clade, Turcarumque velut in certam mortem impulsorum horrore, ut denique neque imperio, neque verberibus sese adigi in tam manifesta discrimina paterentur.

Solimannus Viennam Austriæ & Impp. sedē fortissimè oppugnat, fortiusq; à Palatino repellitur.

LIV Collectis Germanorum copijs Solimannus cedit.

Dum adeò præsenti universæ Germaniæ periculo ad unam urbem concertatur, Fridericus Palatinus in comitijs Spirensibus designatus exercituum, contra Turcam, Imperator, unà cum Ferdinando Rege collectas, magno per imperium numero, copias Viennam contra Solimannum ducunt; qui, re cognitâ, vires Germanorum sustinere non ausus, incensis primâ noctis vigiliâ castris, signa retro Constantinopolim vertit, sexaginta suorum millibus ingenti clade trucidatis, quorum Manibus totidem ferè captivorum millia inferias misisse dicitur, ne incruentam Christianis relinqueret victoriam. Ita insigni Germanorum, atque inprimis Palatinorum virtute celeberrimum Germaniæ propugnaculum, & imperij sedes defensa est, quâ semel in Turcarum manibus destitutâ, Danubius univer-

universus, ipsaque Germaniæ viscera potentiam immanitatemque crudelissimi hostis nequaquam evitassent. 1529.

LV Cæsar in Italia Protestātium legatos gravi oratione perstringit. Vide Schleidanum parum discrepantem l. 7. initio.

Cæsar in Parmæ Placentiæque urbibus duos facilè menses versatus, priusquam Bononiam accederet, & Spirensis comitij eventum parum optatum, & Solimanni feliciùs rejecti discessum intellexit. Nec deerant Legati Protestantium, qui provocationis à Ferdinando & Spirensi decreto ad Cæsarem profecti caussas exponerent. Quibus, uti oraverant scripto, Cæsar responsionem, quamvis præsentibus obtulit, hoc ferè argumento. *Orta inter vos sententiarum varietas & mutua voluntatum distinctio per Ferdinandum fratrem jam antè literis explicata, quantum mihi curæ ac doloris conciliet, non facilè dixerim: quòd ea & rerum, de quibus controvertitur, sit gravitas, & temporum, in quæ lis incidit, difficultas; ut ingentia prospiciam Germaniæ pericula, nisi intempestiva illa novandæ religionis studia, aut consilio, aut imperio moderemur. Hanc absens curam Ferdinando ceterisque Germaniæ Principibus sollicitè tradidi, qui si pro munere sibi imposito, aut Spiræ quicquam ad publicæ tranquillitatis bonum decreverint, aut jam antè VVormatiæ decretum exequendum duxerint; æquum erat, ut ijs Saxoniæ Princeps, vel suâ ratione, vel alienâ autoritate, vel denique caussæ æquitate persuasus sese adjungeret: nisi præter se alium neminem existimet esse, qui religionis, qui salutis, qui animæ suæ curam habeat. In hoc certè studio nihil me Saxoni concessurum profiteor, quem rectiùs facturum judicem; siquidem in hoc negotio sanctißimis Majoribus suis, & tot alijs sapientißimis hujus ævi viris acquiescat, nec solus ad perversum unius Apostatæ ductum intentatam hactenus semitam calcet. Ceterùm, quid ipsi asseclisque faciendum sit, non isto rerum temporumque circuitu ex Cæsare tam anxiè requirendum: jam dudum imperij legibus definitum est, ne quòd major saniorque Ordinum pars suo arbitrio constituit, fas sit reliquos obluctando infringere. Legibus iccircò atque Imperatori pro illa, quâ utrisque tenentur, fide ac reverentia obtemperandum erit. Quod nisi fecerint, neglectæ æquitatis autoritatisque Cæsareæ reos habebo, neque justæ animadversionis pœnam declinare poterunt. Hæc ipsa jam literis ad Saxonem perscripsi, quem fidem obsequiumque ante omnem pertinaciam habiturum sperem; nisi illam Turcæ Germaniæ incumbentis immanitatem, aut non metuat ipse, aut domesticis etiam contentionibus provocare cupiat. Enimverò quid funestius imperio, atque adeò Europæ universæ evenire, quid gratius Solimanno poßit, quàm mutuis offensionibus distractos Christianos offendere, quorum non opes modò & urbes; sed leges, religionem, fidemque eversam atque extinctam funditus desiderat? Quos si nec animis, nec armis conjunctos munitosque reperit, actum est, perijt illud non modò imperij, sed & religionis nostræ decus Germanorum scelere, quorum virtute tam diu inviolatum constitit. Avertite hanc, obsecro vos, ubi licet præcipere, dissenßionis flammam ab urbibus vestris, famam à nomine: &, quod obsequentes decet, parete imperantibus, ne cum eversa tranquillitate omnia imperij religionisque nostræ decora per Europam intereant. Concilium, si aliter opinionibus consentire nequeatis, defuturum vobis non est: cùm nihil perinde mihi curæ sit, quàm ut illa animorum distractio propediem corrigatur.*

LVI Appellatio à Spirensi decreto, & Ferdinando, tū verò maximè catechesis Lutherana Cæsari obtrusa, graviter offendit.

Hâc Legati responsione nihil deterriti, ipsam, ut erat, provocationem, adhibitâ testium fide per Alexandrum Schweisium Cæsari exhibent, majorique au-

An. Chr. daciâ per collegam Michaëlem Cadeum Lutheranæ professionis catechesin prodeunti ædem sacram Imperatori obtrudunt, caussam scriptumque ignoranti. Quâ hominum proterva libertate summoperè offensus Cæsar, Legatos, gravissimâ capitis fortunarumque denuntiatâ pœnâ, vetuit diversorio pedem efferre, dum Granuellani intercessione vix incolumes dimissi sunt, Cadeno ad incertum veniæ pœnæque exitum reservato, nisi fugâ ille justam Cæsaris iram declinasset. Protestantes cùm hanc Cæsaris offensionem ad suam perniciem spectare intelligerent: de parandis opportunè religionis vitæque defendendæ præsidijs, consilia viresque conferunt. Cui rei faciliùs certiusque peragendæ, Smalcaldiam omnes novæ religionis societate conjunctos evocant, ut armis opibusque collatis, sese adversùs potentissimum hostem tuerentur: jam enim à clandestinis machinationibus ad vim apertam, tot provinciarum favore operâque adjuti, spectare cœperunt. Postquam non tantùm ad superioris Germaniæ populos; sed ad Flandros Batavosque extremas Teutonici nominis gentes, ea perversarum opinionum pestis sese effudisset, nullâque edictorum severitate serpens hæresis, & promiscua ex sacris paginis sentiendi libertas cohiberi posset: flumini exundanti persimilis, quod ubi semel perruptis aggeribus in campos sese effudit, nullis facilè vallorum obstaculis ab effuso impetu retardatur. Quocirca evocatus in Germaniam Cæsar, ut gemino, eoque gravissimo, à Turcis atque Hæreticis impendenti regionibus, malo, præsens consuleret, in itinere Romam destinato substitit, Bononiæ more antiquorum Cæsarum duplici coronâ inaugurandus.

LVII Imperatores Romani tribus locis triplici corona, argentea, ferrea, & aurea coronari solebant.

Harum, veteri instituto, tres, summi Europæ Imperatores, suscipere consueverant, primam argenteam regni Germanici, quam decennio ante Aquisgrani in amplissimo Principum senatu Carolus tulerat: alteram ferream (nam tenuis ferri lamina interiori parte cingebatur) regni Longobardici, sive Insubrici, Medoëtiæ, haud procul Mediolano, tribui solitam. Tertiam denique auream augustali Romani imperij decore, atque honoris supremi prærogativâ eminentem. Hujus suscipiendæ dies constitutus est sextus ante Calend. Martias D. Matthiæ Apostolo sacer, idemque natalis Cæsari singulari jam olim felicitate auspicatus, quo celeberrimâ illâ ad Ticinum de Francisco victoriâ potitus fuerat.

LVIII Carolus post ferream coronam acceptam ad aureã insigni via pompaq; suscipiendã progreditur.

Ferrea biduo ante in sacello Pontificis domestico, inter regalis apparatûs insignia, ornatus erat. Hunc verò diem, ut cœlo illuxit, serenissimum, totius penè Italiæ nobilitas, vel rarissimi spectaculi famâ, vel officij postulatione excita, frequentavit. Urbs tanta, ac via præsertim, quâ Pontifex, inter Purpuratorum ordines, ac deindè Cæsar, ornatissimâ procerum coronâ septus, ad summam ædem incedebat, incredibili hominum multitudine obsessa tenebatur, ipsis domorum tectis sub pondere spectantium fatiscentibus. Nec minor ponè Cæsarem incedentium turba pontem premebat, quem, medio suspensum aëre, ex prætorij fenestris, per forum obliquo tractu, templumque Petronianum ad summam

Jovius l. 27. hist Bull. tom. 1. Clem. VII. Const. 28. Surius in Com.

mam aram, inter frondes variaque tapetium periſtromata, perduxerant, quæ cùm denſatis ordinibus præeuntis Imperatoris veſtigia calcaret, pons impar oneri hiſcentibus tabulatis poſt Cæſarem ſub prætorianorum multitudine ſubſidit, multoſque non ſine vulnere in terram depoſuit. Imperator intrepidè ruinam contuitus, ad baſilicam progreſſus eſt, ubi omnia ex Vaticani templi imitatione effi&ta, vultum alium nominaque acceperant; ut abſens etiam Cæſar, Romæ haberet imaginem, & veteris inſtituti ritus locorumque appellatio, ex Pontificijs libris, uſus maneret. 1530.

Ad aram primò maximam à Romanis presbyteris deductus Cæſar, ſacerdotali in tunica Vaticano ſacerdotum collegio adſcriptus eſt, deinde ſacramento, certis verbis concepto, Apoſtolicæ ſe dignitatis, legumque Romanarum defenſorem conſtituit, aureaque Cæſarum diplomata, Pontificiæ ditionis immunitates complexa, Rudolphi Imperatoris ſententiâ ac liberalitate aucta confirmavit. Inde ad templi deductus limen, ſuper dalmaticam Diaconorum veſtem, paludamento indutus imperatorio, ad rotam Porphyreticam (medium illa Vaticanæ ædis obtinet) progreſſus, ſolemni precum ritu, ibidem, atque ad aram maximam, expiatur. Vnde à Farneſio ſacri ſenatûs Principe ad Sancti Mauritij ſacellum deductus, diffibulatâ veſte humeros brachiumque dextrum, inter conſuetas apprecationes inunctus eſt. Quibus ex more finitis ſolenni Miſſarum ſacrificio operaturus ad aram Pontifex, ſacroque in habitu miniſtraturus Cæſar exordium faciunt, harmonicis muſicorum concentibus, quà voce, quà inſtrumentis artificiosè interludentibus. Hic Imperatori ad aram ſupplici ſceptrum aureum, nudatus gladius, pomumque ex auro formatum, ac demum haud abſimilis tiaræ corona à Pontifice exhibetur: cuius deinde exoſculatus ſubmiſsè pedes, lateri ſiniſtro paullùm humiliore ſellâ, accumbit, ac Romani Imperatoris titulis, publico vocum æriſque, cùm bellici, tum campani applauſu ſalutatur.

LIX Coronationis ſolennitas ritusque.

Abſolutis ſacris omnis repentè procerum multitudo in equis conſpecta eſt. Ipſi Pontifici equum conſcenſuro ad lævam Cæſar auratas pedibus inſerturus ſtapedes erat; niſi obſequium Religiosâ modeſtiâ detrectaſſet. Iunctim igitur uterque niveo invectus equo, ſub umbella procerum manu ſuſtentata, inter gratulantis populi fauſtas acclamationes progreſſus, ſpectatiſſimam poſt ſe principum virorum turmam, auro gemmiſque, mirifico veſtium fulgore irradiantem, trahebat. Æmulatione quâdam, totius Europæ nobilitate, in illo honoris theatro de opibus ac dignitate concertante, ut ab omni retrò memoria, nulla unquam major illuſtriorque hominum multitudo vel in celeberrimi triumphi majeſtate unius urbis mœnibus comprehenſa fuerit. Ante umbellam Montisferrati Marchio, illuſtri chlamyde & coronâ ornatus, ſceptrum imperiale deportabat. Poſt hunc Franciſcus Maria Feltrius Vrbini Dux urbiſque præfecturâ donatus, purpurea in veſte, capitiſque tegumento, in mitræ formam, defluentibus utrimque tænijs, compoſito, nudatum enſem ſtringebat. Deinde Philippus Palatinus Viennenſi propugnatione, & nominis formæque dignitate clarus, ta-

LX Diſceſſus à coronatione magnificentiſſimus.

An. Chr. lari in purpura, pileo septemvirali, niveis pellibus præcincto, orbem aureum deferebat. Postremò Carolus Sabaudus Allobrogum Dux, cui in cetero habitu pileus, unionibus, smaragdis ac carbunculis irradians, eminebat, officij gratiâ, sublatum, tempori locoque, Cæsaris ex capite diadema manibus sustinebat. Inter hos Principes umbellamque medius imperialis Quæstor, signatam imagine coronati Cæsaris, argenteam aureamque monetam, in confertam plebem spargim effundebant.

LXI Cæsar digressus ad templum D. Dominici Lateranensis Ecclesiæ Canonicis adscribitur.

In bivio à Pontifice divulsus Cæsar ad D. Dominici templum concessit; ubi à Romanis Lateranæ Ecclesiæ presbyteris perquam honorificè exceptus, in eorundem collegium cooptatus est. Mox ad aram digressus, secundum preces, multos ex nobilitate equestris ordinis dignitate ornavit.

LXII Augustali mensa in prætorio excipiuntur omnes.

Inde ad prætorium mensamque incredibili apparatu instructam processit, ubi solus ipse eminentiori ceteris loco accubuit, quatuorviri, insignium præfecti, juxtà humiliori mensâ recepti sunt; reliqui verò procerum alio seorsim triclinio magnificis epulis adhibiti sunt. Nec militari civilique vulgo suæ defuerunt epularum lautitiæ; siquidem bos integer versatili machinâ ad luculentum focum tostus, minori, cùm hædorum vervecumque, tum diverso volucrum suffartus genere, partitim offerebatur: fontes præterea sub prætoriana manantes porticu, albi purpureique coloris vina sitientibus affundebant.

LXIII Dux Ferrariæ veniâ donatur. Mãtuanus Dux creatur.

Peractis inaugurationis solennibus, multi diversis honoribus à Cæsare ex officiorum obsequiorumque merito ornati. Dux Ferrariæ ad veniam benevolentiamque admissus, Carpioque donatus est oppido, sexcentarum ex auro librarum repenso munere. Porrò Fridericus Mantuanus Marchio cùm venientem ad se Carolum perquam magnifico honoris genere liberalissimè excoluisset, Ducis prærogativam ac titulum Cæsareo favore literisque promeritus est.

LXV Cæsar ad Augustana comitia discedit ex Italia.

Ita, compositis per Italiam rebus, Cæsar unâ adhucdum Florentiâ (brevi infringendo conatu) obluctante, in Germaniam reversus, antiquo Imperatorum honore illustrior, sese Augustam Vindelicorum properatò contulit; ut indictis à se ad octavum Aprilis comitijs, hæresios Turcarumque insolentiæ reprimendæ gratiâ adesset, suâque autoritate imperaret, ne irritis toties conciliandi laboribus fatigata, majoribus sese etiam difficultatibus implicaret Germania. Joannes Saxoniæ Elector fraternæ defectionis æmulator egregius, ne parum unanimi dissensione cum Romanæ religionis hominibus pugnaret, Lutherum, Jonam ac Melanchthonem primæ suæ factionis capita, Torgam evocavit, ad quos Spalatino Islebioque adjunctis arbitris, omnem de religione controversiam referri toto imperio voluit, ut ex communi sententia de rerum credendarum articulis decernerent, Cæsari denique omnium nomine in Augustano comitio deferendis.

LXV Augustanæ Confessionis libellus à Lutheranis conficitur.

Lutherus calamum, reliqui etiam consilium adhibuerunt, brevique, septendecim articulorum compendio, suas opiniones complexi sunt. Quo instructi scripto, cùm Augustam præter Lutherum Cæsaris olim proscriptione imperio exclusum, Principis sui auspicijs, deducti essent, Melanchthon per otium, non-

dum

dum præſente Carolo, juſſus eſt ruditer conceptam diſtributamque novæ religionis diſciplinam, ſtylo, ad modeſtiam cultumque orationis majorem temperatè excolere. Quod ille, Lutheri aſperitate nonnihil caſtigatâ, uberiorique in multis ſententiâ induſtriè præſtitit, tandemque famoſum illum Auguſtanæ confeſſionis libellum excudit, quem cùm ad Coburgenſe caſtrum, ubi Lutherus ſpeculator atque arbiter omnium deliteſcebat, Princeps miſiſſet, probavit omnia, quamvis molliori, quàm Theologo conveniret, ſtylo tractata diceret; adjecit tamen illi, quo damnantur Sacramentarij, articulo hanc clauſulam: *Et improbamus ſecus docentes*, quam Luthero extincto, Melanchthon non iniquus Sacramentarijs, reſecuit. 1530.

Feſtinantem in via Cæſarem pluſculum, remorati ſunt magnificentiſſimi paſſim apparatus, quibus per terras Venetorum, Tirolenſium, Boiorumque ſumma cum honoris benevolentiæque ſignificatione exceptus eſt. Nec obſequio magis, quàm muneribus eſt cultus: in quibus ſi minùs dignitate ac pretio, raritate certè eminuit nummus argenteus (Tirolenſi in agro natus, oblatuſque) qui 1700 æſtimatione ſuâ æquaret aureos, Cæſariſque cùm inſignia, tum ſtemmata, ſingulari quâdam operis elegantiâ complexus eſſet. Ubi Auguſtam 17 ante Cal. Julias acceſſiſſet, effuſâ PrincipumOrdinumque turbâ, Moguntinum inter Ubiumque Septemvirum medius, Ferdinando fratre, ac Campegio Cardinali Legato ſubſequentibus, in urbem deductus eſt, poſtridieque omnes publicæ adeſſe ſupplicationi voluit, quam ipſe, ardentiſſimo Sole, ſingulari pietatis ſtudio, ac digniſſimo Chriſtiani Principis exemplo, obire conſpectus eſt: aliorumque hac in re contemptum tam accepit graviter, ut plenus indignationis Lutheranæ factionis Principibus, religionis ſuæ causâ, hoc officium detrectantibus, obnunciaturus amicitiam, diſſoluto conventu fuiſſet: niſi ceteri procerum, audiendam in comitijs Proteſtantium cauſam, ex edicti ſententia, perſuaſiſſent. Conciones tamen utriuſque partis Sectariorum, publico Cæſaris decreto Auguſtæ ſunt abrogatæ, pœnâ capitis in refractarios conſtitutâ. Et inter ſacrorum ſolennia Elector Saxoniæ ex officio gladium Cæſari præferre juſſus, conſilio ſuorum Theologorum paruit.

LXVI In via & Auguſta ſplend. (?) Cæſar exceptus, hic ſupplicationẽ indixit, quã Lutherani fugerunt.

Die Junij vigeſimo, prima comitiorum habita eſt conventio: in quâ nomine Imperatoris gravis oratio de ſcripto recitata ex more, fuit, in hanc ſententiam. *Quantam Cæſar imperij hactenus quietè adminiſtrandi, motuumque per Germaniam, ex religionis diſſidio ſubnaſcentium, tempeſtivè ſopiendorum curam geſſerit, docet illa VVormatiæ, ſub prima electionis exordia, virorum principum doctorumque convocata ſocietas, ad gliſcentem ſeditionis flammam in ipſo ſemine opprimendam. Ex quo tempore cùm illum Hiſpania depoſceret: nequid per abſentiam malorum invaleſceret, Ferdinandum ſenatumque Cæſareum, ſub Friderici Palatini moderatione inſtitutum, officio partibuſque ſuis implendis ſuffecit. Quorum hoc in munere, neque diligentiam, neque fidem Germania deſiderare potuit. Sed eſt, quod vehementer doleat, omnem vigilantiæ atque induſtriæ fructum multorum ſimultatibus turbulentiſque machinationibus interceptum; neque tantùm æquiſſimi magiſtratûs humanitatem ac ſtudium ad communem Reip. tranquillitatem*

LXVII Oratione publicâ cauſa adventûs Cæſarei exponitur.

Goldaſt. Conſt. Imp. tom. I.

 quantùm

An. Chr. quantùm ad intestina odia exitialesque universæ Europæ seditiones, perversorum hominum artes, valuisse. Animadvertitis opinor quanta, quàmque perniciosa ac diuturna cervicibus nostris, hinc ab immanissima Turcarum tyrannide; inde ab infelici Sectariorum novitate ac dissensione calamitas immineat. Iam hostes Christianorum jurati præcipua Europæ propugnacula, in oceano Rhodum, terra Strigonium, vicinaque loca, suis armis nostrisque contentionibus ad victoriam usi, insederunt. Impressa, non tantùm Vngariæ; sed & imperij caput, Austria truculentissimi hostis plena sanguinis incendiorumque, atque extremæ crudelitatis vestigia retinet. Viennam inter sui jam Solimannus imperij numeraret munimenta, miserrimamque ac morte ipsâ detestabiliorem vestris capitibus, liberis, conjugibus servitutem machinaretur tyrannorum sævissimus: nisi paucorum virtute ac constantiâ, dum plerique de religione litigant, non modò religio; sed & vita omnium extremis periculis circumventa, in spem aliquam libertatemqre asserta fuisset. Respirastis nunc, ita Divis volentibus, neque istam contentionis insaniam, quâ Majorum vestrorum fidem temerè ignominioseque exscinditis, infami (quod parum aberat) exitio luistis. Quem rerum eventum, uti optimi quique vobis favent, sic non vano timore formidant, ne & suis elatus successibus, & vestris seditionibus provocatus Turcarum Imperator, ad deserta propediem mœnia, viribus, ferociâ, atque indignatione inflammatus redeat, insigni aliquo facinore acceptam nuper repulsæ ignominiam vindicaturus. Pernicies certissima Germaniæ imminet, & nunquam discutienda bellorum tempestas, nisi istam in rebus divinis credendi licentiam, ad Apostolicæ veterisque Ecclesiæ leges revocetis, neque tam deformia religionum monstra, ad æternum Germani nominis dedecus, ex sacro Bibliorum codice, ad cujuslibet ingenium ficto distortoque, malè procudatis. Aeterna hæc sunt, nisi occurramus; seditionum bellorumque seminaria, quibus divulsa inter se dissipataque in dissentientium partes Germania, suo se ferro consumat, alienisque gentibus, invicta hactenus natio, in prædam ultimumque servitutis ludibrium distrahatur. Non enim est, quod sibi quisquam persuadeat, rerum divinarum opinionibus adversantes sibi homines, diu in humanarum legum, pacisque communione consensuros. Quare, cùm in VVormatiensi olim concilio, operam Cæsar locaverit discordiæ componendæ, hucusque quorundam obstinatione, prorsus inutilem, ultimum nunc iterum conatum additurus redijt. Potestatem cuique facit, ut sententiam scripto comprehensam exponat, quâ inspectâ Cæsar rectiùs faciliùsque ex communibus imperij emolumentis ac salute publica, pro suo in subditos studio, & in patriam amore, possit statuere, ac tam perniciosam contentionem, optatâ tranquillitate absolvere.

XXVIII. Legatus Pontificius breviter stultam Germanorum discordiã in religione coarguit.

Quatriduo pòst Legatus Pontificius Campegius oratione Latinâ, & Cæsaris voluntatem laudavit, & hortatus Principes est: *ut fœdum religionis dissidium, cum tanto sui nominis labe, & Reip. pernicie susceptum deponerent, nec paucorum, malo ingenij affectionisque vitio, dissentientium opinionibus, contra Europam, atque adeò antiquitatem universam adhærescerent: tutiorem viam esse, tot prudentum, sanctorumque, cùm Majorum nostrorum, tum æqualium tritam vestigijs. Neque sibi tantoperè illo Evangelici, quem affectent, nominis titulo blandiantur, quo omnes olim hæresûm repertores ac patroni, jamque etiam tot diversæ Sectariorum turmæ certatim triumphent: ut proinde, quod in patrocinium caussæ nomen accersant, invidiam suspicionemque erroris maximè concilieт: consultè facturos, si à tam periculosa novitate maturè animum ad saniora, &*

tradita

1530.

tradita à primis in Germania religionis Christianæ sectatoribus placita, revocent ; ne ijsdem, quibus Orientis olim imperium, obortis sensim post hæreses tenebris miserè excæcentur : difficilem enim esse ex inveterata morborum malitia ad sanitatem viam, proclivem ad interitum.

LXIX

Legati Austriaci subsidia contra Turcam rogant. Protestantes suam confessionem offerunt. Qui confessioni Augustanæ subscripserunt. Schleid. l.7. Surius in Com. Cochl. in Luth.

Post Campegium Austriacæ ditionis auditi Legati, à Cæsare, atque imperij ordinibus, subsidiariam contra Solimannum opem orantes. Denique Protestantium, quos in Spirensi comitio recensui, Principes fidei suæ confessionem, Augustanam à loco dictam, Cæsari offerunt, obnixèque contendunt ; ut in publico omnium comitio recitetur. Vix tandem pertinaci obstinatione id obtinuerunt, ut in privato Principum consessu, Ferdinando ac Cæsare audientibus, legeretur, quæ vernaculo deindè Romanoq; sermone concepta unà cum Principum suppositis nominibus Joannis Electoris Saxoniæ, Georgij Marchionis Brandeburgici, Ernesti ac Francisci Ducum Luneburgicorum, Philippi Hassiæ Comitis, & Wolfgangi Anhaldini. His Noribergæ ac Reutlingæ civitatum nomina, nec multò post Campoduni, Heilbrunnæ, Wemshemij & Weissenburgi accessêre. Denique, *nisi controversia finiri præsentibus arbitris posset, gravius se Concilium promissum decretumque toties minimè defugere asserebant, cui suas se opiniones minimè diffiderent probaturos.*

LXX

Quæ in Confessione dissimulata sint.

Hoc scriptum cùm antiquæ religionis Theologis esset exhibitum, animadversum est, multa à Luthero ejusque sectarijs vulgatis antea scriptis jactata, hic esse silentio præterita : Ut, *quòd liberum arbitrium sit titulus sine re. Deus per homines operetur scelera, ipse autor. Romanus Pontifex Antichristus sit. Omnes ex æquo viri feminæque sacerdotes habeantur, nullumque maneat externum in Ecclesia sacrificium. Matrimonium civilibus contractibus adscribendum, & à Magistratu politico dijudicandum sit.* Qua de re Cæsar edoctus, Legatos rogatum mittit : *an omnia complecteretur eorum confessio, quæ proponenda ducerent* ; Ad hanc quæstionem, cùm perplexâ consiliorum ratione hærerent ; post difficilem satis deliberationem, respondent : *in propositis se modò articulis acquiescere.* Quare cœpta à Joanne Fabro inprimis Eccioque confutatio est, paucisque diebus in sanas, erroneas, contradictoriasque sententias distributa ; nec sine acerbitate, ubi rerum indignitas postulasset, exarata est. Sed hæc verborum acrimonia tanquam acetum futura in vulnere, aut in læsis Sol oculis, cùm aliena à pacis consilijs visa esset, plusculum ad illam asperitatem mitigandam stringendamque certâ brevitate confutationem temporis insumptum est ; ut jam non obscurè Catholicorum silentium ad palmam victoriamque suam Protestantes detorquerent.

LXXI

Responsio Catholicorum, & ad pacem invitatio irrita.

At dum Pæana canunt, responsio adfuit, lectaque eodem loco est, quo adversariorum tabulæ. Quâ evolutâ Fridericus Palatinus adjecit. *Pro comperto habere Cæsarem confutationem hanc verè solidam Christianamque ijs inniti sacrarum literarum rationumque fundamentis, quæ nullis subverti adversariorum machinis possint : hortari proinde Saxonem, reliquosque collegas, ut suæ Ordinumque ceterorum sententiæ, pacis salutisque gratiâ, subscribant.* Qui re per secessionem ex more deliberatâ, scripti il-

An. Chr. lius sibi copiam fieri postulant. Quæ cùm Imperator, aut ad vicariæ confutationis meditationem: aut certè ad ludibria & sannas petulantium hæreticorum referri videret, ne lis mutuis calamorum disceptationibus inutiliter traheretur, aut protervè in risum verteretur, communicare cum illis aliâ lege noluit, quàm ut illis privatim tantùm serviret; neque ad aliorum manus aut typos transiret. Sed cum Saxo magnoperè pro scripto, absque ullâ obligatione, permittendo contenderet, à Cæsare in sua voluntate obfirmato, nihil obtinuit: qui *auditæ sententiæ acquiescendum, neque perpetuis disceptationibus res certas, omnibusque retrò seculis probatas, nullo fructu exagitandas diceret: veritatem nunquam sine hoste, mendacium sine tutore futurum: litium controversiarumque modum non fore, ubi pertinaciâ magis, quàm ratione pugnatur.* Hassus cùm frustrà tentasset Zwinglianorum caussam, (quorum impiæ de Eucharistia sententiæ, post Marpurgense colloquium, favere non parum cœperat) cum Lutherana conjungere; ut junctis viribus rem firmiùs adversus Romanos agerent, indignatione in Cæsarem plenus, improvisò urbe excedit. Quâ insolentiâ non mediocriter offensus Imperator, ceteros Principes monuit: *ne concordiam à se tanto quæsitam opere tam indignis divulsionibus interturbarent: summam rem agi, ubi de religione innovanda sit quæstio: hanc, & rationes salutis publicæ, & privatæ complecti: ad hujus motum quietemque nutare ac quiescere imperium: non posse hanc columnam everti sine magna Ecclesiæ ruina. Huic malo tempori occurrendum, laborandumque sedulò, ut in fide veritas, in imperio pax & tranquillitas reperiatur.*

LXXII *Lis Arbitris cõmissa est, & in plerisque controversijs cõposita. Luthero contra Melanchthonẽ vehementer excandescente, præsertim ob admissos Episcopos, quos vulgus aversabatur.*

Paucioribus deindè negotium datum est, qui utriusque partis contentionibus præessent arbitri. Hi, cùm indè pro Catholicis dissereret Joachimus Brandeburgi Septemvir (cui Melanchthon Pericleam facundiam tribuit) indè pro Acatholicis Georgius Pontanus; id denique, post exprobratos mutuò errores, constitutum est, ut septeni utrimque delecti aliquam conciliandi dissidentium opiniones viam inirent, inter quos hinc Eccius, indè Melanchthon Theologorum præcipui, ex quorum decisionibus pleraque agerentur: eòque tandem sedulus utrarumque partium labor recidit, ut in nonnullis facilè *concederent Romani, morum defectus in orthodoxam quosdam Ecclesiam irrepsisse, suo etiam calculo emendandos. Permitterent etiam Lutheranis sacerdotum jam nunc contracta connubia, ad futuri Concilij sententiam remittenda.* Contrà Lutheranæ confessionis articuli, in quibus disceptationis cardo versabatur, eò demùm redigebantur; ut *ex viginti articulis doctrinæ summam continentibus, quindecim conciliatos crederent, staretque etiamnum, de partibus Pœnitentiæ, de confessione, de fide, & operibus, de cultu Sanctorum, de Ordine Ecclesiastico, de ritibus, alijsque nonnullis, sub abusuum titulo recensitis, controversia.* Quanquam *de jurisdictione Ecclesiastica ad Episcopos revocanda* pertinax Melanchthonis opinio socios in eandem cum eo & Catholicis sententiam jam inflexerat; nisi Lutherus importunis sectariorum per urbes passim debacchationibus (qui Episcoporum juga suis cervicibus excussa volebant) incitatus, omnia mandatis suis retractasset. Undè ad Camerarium suum quinto Sept. his verbis scripsit Melanchthon. *Ego optimo animo semper putavi ista concedenda esse. Quo enim*

nim jure nobis licebit dissolvere politiam Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedunt illa, quæ æquum est concedere? Et ut liceat, certè non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus, quem nulla de causa quidam, ut video, amant, nisi quia beneficio ejus sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minimè utilem ad posteritatem. Qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesia, si omnes veteres mores sint aboliti? si nulli certi sint præsides? Lutherus his animadversis, per literas summoperè contendit: *Nequi sibi invicem adversentur*; itaque demùm concludit: *Satis est, ego penè rumpor irâ & indignatione. Oro autem, ut abruptâ actione desinatis cum illis agere.* Quod denique etiam obtinuit. 1530.

Melanchthon verò, cui tota controversiæ moles inter istos, cùm amicorum, tum adversariorum impetus præcipuè incumbebat, conscientiâ factorum ingentem animi mœrorem nequaquam dissimulante, lacrymis quotidianis squalebat; ut Brentij aliorumque collegarum oculis easdem nonnunquam excuteret, quemadmodum suis ipse ad Lutherum literis testatum reliquit. Cùm magna controversiæ pars, ut erat composita, Principibus exhibita esset, placuit de reliquorum articulorum consensione inter pauciores hinc atque inde ternos experiri. Sed res eodem vestigio constitit, suæ, utriusque partis hominibus, sententiæ pertinaciter inhærentibus. *LXXIII Meláchthonis ex rei malè actâ conscientia, perturbatio.*

Ita hæc deliberatio parùm felicem exitum, Augusti mensis fine, consecuta est. De qua re, cùm apud Caholicos primùm ordines Cæsar dolorem suum vehementer quereretur, fortunarumque ac vitæ periculum religionis causâ minimè detrectandum, unà cum ceteris imperij Principibus piè fortiterque statuisset: Saxonem deindè federatosque religionis socios graviter per Fridericum Palatinum, ac deinde Georgium Truccesium, tum invectæ novitatis, tum officij obsequiorumque admonet, leges etiam pacis ad futuri Concilij decisionem valituras proponit; sed cùm illi conscientiæ doctrinæque integritatem ad omnia, tanquam vallum objicerent, quò audaciùs impuneqne magis obsisterent, neque erubescerent pietatis obtentu suæ pertinaciæ quærere præsidium; detestatus tantam hominum pertinaciam Cæsar, sub finem Septembris decreto, publicis comitijs prælecto, statuit: *Vt postquam tentata conciliandi remedia nondum ad plenam dissidentium articulorum compositionem valuissent, agerent porrò, ac maturâ consiliorum ratione ante quintum decimum Aprilis diem liquido constituant scripto; velint, nolintne in ceteris etiam capitibus assentiri Cæsari ac Pontifici? Nihil interea novi comminiscantur, aut typis per suas ditiones evulgent. Catholicis ubique impunem esse sacrorum pristinæque religionis cultum patiantur, nullos ex ijs hortatione minisve suas in partes cogant. Opem consiliumque in Sacramentarijs atque Anabaptistis per imperium coercendis ad Cæsaris voluntatem adjungant. Laboraturum se, ut intra semestre tempus generale orbis Christiani Concilium indicatur, ad subrepentia, in ordinem utrumque civilem atque Ecclesiasticum, vitia emendatione purganda.* Ad hæc Protestantes Cæsari per Pontanum nunciant: *Frustrà ab ijs expectari, ut abnuntient doctrinæ in sacris literis prorsus fundatæ; cùm absque improba conscientiæ profligatione id nequaquam possint.* *LXXIV Disceditur absq; concordia decretúq; à Cæsare de nulla re novâda: donec reliqua per Concilium cõponâtur.*

Cujus rei luculentiùs demonstrandæ gratiâ Confessionis suæ nuper oppugnatæ, *LXXV Apologia confessionis à Me-*

An. Chr. lanchthone oblata rejicitur, & Lutherani à Brandeburgico ob pertinaciam gravius arguuntur.

gnatæ, apologiam à Melanchthone conceptam deferunt; sed à Cæsare repudiatam; denique exemplum decreti, irritâ tamen petitione flagitant. Quibus per Joachimum Brandeburgicum rursus in hanc ferè sententiam publicè responsum est: *Mirari vehementer Cæsarem, has machinationes, seditionis erroris que plenas, tam constanti asseveratinone in Deum autorem ab illis referri, & tam pugnantia sacris literis earundem provocatione stabiliri, cùm vetustissimas hæreses in lucem eruant, Scripturarum olim ac Conciliorum testimonijs impietatis convictas damnatasque. Ea verò, quæ Cæsar, quæ Electores Principes, quæ Reges totâ Europâ Christiani, quæ Majores ac proavi, ipsius adeò Saxonis parentes, tantâ retrò memoriâ, de religione Christiana piè verèque docti sunt, & docuerunt, erroris falsitatisque arguere. Quòd profectò aliud nihil sit, quàm illos perfidiæ accusare universos, hæreticorumque æternis adjudicare supplicijs, se tantùm hoc natos seculo, veluti innocentes purosque Evangeliorum interpretes, in arce religionis sanctitatisque collocare. Videant quota pars orbis ipsi sint? quibus initijs, quibus magistris cœperint? quo pietatis excitandæ studio in hunc sensum rapiantur? cùm magistratus Ecclesiasticos sedibus eliminent, religiosorum hominum continentiam dissolvant, bona occupent, consecratisque Deo spolijs ditentur, libertatem omnem vitæ, proscriptis pœnitentiæ jejuniorumque legibus, inculcent. Quibus demùm illa Bibliorum sacrorum scrinijs tam rationi æquitatique contraria eruant? Apologiam irrito labore exaratam esse, cùm ab exordio Cæsar disceptationem de fidei controversijs adversus sacras leges, & receptam omni retrò ætate verbi Dei in Ecclesia sententiam, se ingreßurum pernegasset. Recipiant porrò se ad saniora consilia, justoque ac leni Cæsaris imperio per decretum proposito morem gerant: quod nisi fecerint, non defuturum officio Cæsarem, Germaniæque Primores, ante opes sanguinemque æquitati propugnandæ impensuros; quàm in tanta sacrarum humanarumque rerum injuria pristinæ religionis caussam deserturos.* Ad hæc subindè adversarijs eadem ferè reponentibus paria adjecta sunt, monitique, *quàm gravi rusticorum seditioni viam fecissent, quàm petulanter ac contumeliosè in Cæsaris Principumque nomen grassati sint, quàm multas religiosorum hominum possessiones vi dolove occupaverint*

MLXXVI Protestãtes denique recedunt.

Et has quidem cum possessoribus in jura sedesque pristinas mandato Imperatorio jubentur restituere. Verùm Protestantes cùm diu frustrà conscientiæ se Evangelijque clypeo defendere conati essent, tandem ex Lutheri consilijs arenâ cedendum rati, *Deo se*, aiunt, *negotium committere, neque æquum recusare ex legibus judicium, quo suam cuivis innocentiam testatam faciant. Orare verò Cæsarem, ut conceptam immeritò offensionem gravioribus in se odijs inflammari ne patiatur.* Ita discedunt, Legatis tamen apud Cæsarem relictis. Discessuri admonentur, *Brandeburgicum quædam in illos acriùs, velut de obnuntiata amicitia disseruisse, quæ suomet judicio, non Principum aut Cæsaris adjecisset. Hanc igitur opinionem jubentur deponere, ac nihil à Cæsare adversarium, nisi quod mitis judiciorum æquitas decreverit, expectare.* Mirum certè quibusdam non injuriâ visum est, cur imbelles etiamnum Lutheranorum vires nullâque satis, ut factum postea, societate confirmatas, cùm arte consilioque non posset, expeditâ armorum potentiâ non oppresserit; sed nimirum verebatur Cæsar jam tum graviora bellorũ incendia, hoc ex fomite, quàm ut opprimi illa sine luculento imperij damno possent. Quid enim si ceteri hæreticorum ar-

Quare Cæsar eosdem adhuc imbelles non oppresserit.

ma

ter Germaniæ salutem, imperium Belgarum populis, hosque imperij accessione firmarem, & invalescentis nimiùm Turcarum potentiæ vim infringerem. Sed anno ætatis meæ XIX Romanorum Rex atq; Imperator factus, inter duos repentè scopulos, hæresin Germanorum, & invidiam vicinorum Principum me hærere conspexi, inter quos cupiditate diversorum velut adversantibus jactatus ventis, portum, quem spectavi, tenere non potui, quamvis nulla hactenus tempestate victus, etiam dùm insidiatores adversarij colliderentur, clavo retento steterim, nisi quod cedendum aliquando tempori fuerit, ne omnino fractus cederem. Quantùm verò iccircò laboris, quot fœdera amicorum, hostiumq; inimicitiæ, quot viæ, & expeditiones susceptæ fuerint, vix paucis includam. Novem in Germaniam, septem in Italiam, sex in Hispaniam, quatuor in Galliam, duæ in Angliam, totidemq; in Africam, deniq; in Belgiũ decem profectiones, & plerumq; ab armato, susceptæ. Mediterraneum ego mare octies, Hispanicum ter emensus sum, pacem etiam in armis studiosè consectatus; quam tamen, cùm plerumq; victoriam non possent, inimici semper evertere conati sunt: quò hanc saltem justi bellatoris palmam è manibus extorquerent, ut nec quidem valedicens hanc Belgis, quod inprimis doleo, queam relinquere. Has inter curas jactationesq; quassatum corpus, cùm invalescente ægritudine par diu futurum vix mihi videretur, jam pridem, & priusquam Germaniam postremâ, eaq; gravissima, profectione subirem, imperij dignitatem negotiorumq; molem, ad vitæ privatæ utilitatem deponere, meditatum habui; nisi & filij immatura ætas, & matris ad regendum imbecillitas, ac deniq; afflictissima me Christianæ reip. imago deterruissent. Cui dùm me pro viribus curandæ, nec infeliciter, propitiis Superis impendissem, repentè se Francorum Rex Germanis sociatum rebellibus, in caput meum imperiumq; hostili conatu immisit, quo eventu abundè constitit. Neq; Germaniæ me tunc defuisse satis ante Metas testatum feci, quando ne hostis firmaretur iniquo licet tempore, nec impensis, nec militi pepercì, quo urbs dignitasq; sua imperio inviolata constaret. Inde, re infecta, ne vos cum eodem hoste periculosè conflictantes desererem, suis ferocem successibus biennio, si non infregi, certè retardavi, suamq; rejeci in Franciam oblatam plerumq; ex pugna martis aleam detrectantem. Feci, quod Deo permittente concessum est, qui, ut homines sæpè bellorum, ex propria cupiditate nascentium, causa sunt; ita clades aut victoriam ex suo arbitrio dispensat. Cujus me benevolentiâ, ut sæpiùs vicisse gratus agnosco, ita cùm bellorum ac Reip. me pondus sustinere, imbecillo fractoq; corpore amplius non posse sentiam, ingratus in illum & remp. jure viderer, nisi magis idoneo, quem mihi dedit, successori locum facerem, vosq;, cum meo imperio, gravioribus, quæ ex vacillante capite imminerent corpori, incommodis liberarem. Accipite igitur bono vestro, amori meo, filijque honori consulturi, pro sene juvenem, pro imbelli fortem, pro languente, excitatum promptumque, amplectantur eundem fide obsequioque mihi hactenus constanter præstito, dentque operam, ut concordia in animis, Justitia in foro, religio una eademque traducta à Patribus integrè in templis persistat. Siquid vicini ad vos mali ex hæresum contagione manet, repentè in jactis primum scintillis opprimatur incendium, ne viribus, ut alibi sumptis, omnem eludat industriam. Hæc suprema, maximique ad vestram salutem ponderis monita, nolite remissis auribus animisque excipere, nisi vile vobis sit pari sorte, quâ in vicinis actum gentibus, omnem reip. felicitatem extremis afflictam calamitatibus sepeliri. Meum siquod aut hac in re neglecta, aut alijs offensionibus, quas diffiteri non possint, peccatum sit, quod vel præceps adolescentia, vel arrogantia virilis, vel rudis ignorantia

 sua-

, suaserit, ejus demissè veniam rogo. Profiteor tamen, scientem volentemque
, me nulli subditorum aut fuisse injurium, aut illatam inultè injuriam sustinuisse.
, Quod si tamen ignorans hic quoque offenderim, præsentes absentesque juxta
, obtestor, ut ex animo hunc non minùs errorem detestanti ignoscant. Subinde
conversa ad filium oratione sic eum affatus est. * Tu verò, ô fili, cui moriens has
, Provincias non relinquo, quod esset necessitatis, sed vivus defero, quod est li-
, beræ voluntatis, quidquid mihi ex gemino hoc beneficio tam naturæ, quàm
, gratiæ debes, id ut in horum amorem curamque populorum transferas, po-
, stremùm à te requiro. Reliquis ferè Regum vitam disciplinamque filiis dare,
, regna post mortem deserere sufficit. Ego præripere hoc beneficium morti co-
, natus sum, ut te non modò ex me viventem, sed regnantem quoque intuerer.
, Exemplo, quod ex antiquitate rarum est, ex posteritate pauci etiam fortasse
, consequentur. Addes huic facto meo gratiam, si te dignum ostenderis, timore
, Dei hominumque amore, in quo primum hujus facti monumenta exstarent.
, Religionis cura, mi fili, & illius à Romana Apostolicaque ad nos sede, inter ad-
, versantes undique hæreses traductæ religionis cura, non minùs animo comple-
, ctenda firmiter, quàm opere ab omni corruptione subditorum vindicanda est.
, Huic altera non minor æquitatis legumque inviolata ratio, tanquam fortissimū
, politicæ reip. firmamentum jungatur necesse est. Geminis his in rep. funda-
, mentis nutantibus miserè illa fluctuabit; stantibus unà tecum consistet. Quàm
, Tibi felicitatem, cum herede, nobis regnisque digno, largiatur ille regnorum
, omnium Rex, cui jure cervices submittimus, quique honorantes se Principes
, honorat, contemnentes abjicit.* Hæc inter profluentes lacrymas fatus, quibus
& ipse, & attentissima perfundebatur concio, istic inprimis, ubi de religione
commendata exardescebat cum voce oratio. Ad quam deinde latera pedesque,
& color vultus voxque ipsa deficiens, cùm magis vires, quàm eloquentiam na-
tura subtraheret, conticescens haud multò post, consedit.

Cæsar filio religionis & æquitatis studium impensè commendat.

CXVII.

Tùm disertissimus id temporis Orator Jacobus Masius, Antwerpiensium Syn-
dicus, Bruxellii Cæsarisque orationi Ordinum nomine respondit, quam paucis
cum Heutero, capitibus stringo; quod, * licet præclarissima Cæsaris in remp. Bel-
, garum merita, nominisque amplitudo, ac bellorum incumbens onus summo-
, pere tanti Principis præsentiam exposcant: nolle tamen se adeò meditatæ Cæ-
, saris voluntati, sibi semper æstimatæ observatæque adversari. Dolorem ex ip-
, sius discessu conceptum, lenire præstantissimum, quem pro se ipsis constituat,
, Regem ac Principem filium ejus Philippum. Huic debita obsequentium sese
, subditorum officia, ultrò lubentesque delaturos esse, ac quamcunque cum illo
, pacis bellive sortem haud invitè subituros. Proindeque id unum postremumq;
, enixè suam Majestatem orare, rogareque Belgas omnes, ut eos commendatio-
, ne paterna filio Regique ita devinciat, ne eosdem pace nondum conciliata in
, mediis bellorum turbis abiens deserat. Porrò, saluberrimis ejus monitis, ex pa-
, terno in hanc patriam affectu profectis, gratias se debere immortales. Agno-
, scere, in antiquæ religionis, justitiæque civilis observatione ac cultu, præcipuā
Reip.

Ordinū Orator Masius Cæsaris translationem in Philippum fil. admittit.

1555.

Reip. Christianæ integritatem felicitatemque versari, & hæc tanquam cor caputque in homine, ab omni incorruptione illibata debere persistere, ideoque se extremis vigilantiæ industriæque nervis, ne qua irrepat ex vicina contagione novitatis pestilentia, adlaboraturos.* Postremò Cæsari ad novum iter vitam, ejusque sororibus Hispaniam unà adituris felicitatem precatus, conticuit.

CXVIII Philipp' Rex Patri & Ordinibus gratias ob honorem collatum agit.

Tum consurgens è Sede Philippus, ut & Patri sibi imperium deferenti, & Ordinibus translationem acceptantibus gratias ageret; pronum se in genua ad Patris conspectum projecit, ejusque exosculatus dexteram, * indignum se illo Majestatis ejus honore ac munere professus est, nolle tamen firmatæ adeò sanctæque ipsius voluntati obluctari, ideoque ultimo ejus decreto submittere sese, ac Belgarum imperium, gratiis, quibus par est, maximis acceptare, facturumque ut, ne quisquam, in religionis avitæ cura, æquitatisque administrandæ rationibus, studium in se diligentiamque requirat.* Pater sic jacentem amplexus, cœlestemque illi opem impositâ capiti manu, precatus, lacrymis intermanantibus omniũ lacrymas excussit. Tum Philippus iteratò Patris manum exosculatus assurgit, & ad Belgarum Ordines venerabundè conversus. * Vellem (Gallicè inquit) me aut Francica, aut Belgica adeò lingua esse promptum, ut meum erga Belgarum populos affectum amoremque propensissimum disertâ coram oratione prosequi liceret; nunc quando ad hoc minùs instructus veni, Antonius Peronottus Granvellanus Atrebatensis Episcopus meâ illum sententiâ vobis exponet. “Quod paratâ ipse præstitit facundiâ, docuitque: Gratiùs longè futurum Philippo fuisse, si adhuc Patrem Cæsarem, quam animo, tam corpore rebus administrandis parem, licuisset præ se Belgis regnantem intueri. Nunc verò quando id constanter aversetur, Ordinesque hanc ejus voluntatem admiserint, seque in locum Patris oblatum humanitate ac benevolentia complexi sint, non sibi fas esse ampliùs obniti; ne ad paternam hanc sarcinam levandam; ad Belgarum verò benevolam in se voluntatem amplectendam invitus accessisse videatur. Dolere vehementer de Patris imbecillitate, gaudere verò; & cùm sibi gratulari, tùm gratias Belgis agere, pro delatis sibi suo in munere obsequiis; vicissimque pro recta felicique Reip. administratione, atque inprimis Religionis Apostolicæ defensione, non modò opes operamque sed & vitam sanguinemque delaturum; neque deserturum ante, quàm impendentes etiamnum bellorum nubes discussæ fuerint. Juratam se eis dedisse fidem, quâ patriis eos legibus privilegiisque salvis recturus sit, nec detrectare iteratò hanc facere Provinciis singulis, ne quâ diffidentiâ animorum armorumq; concors studium, avertendis reip. hostibus necessarium, labefactetur.

Per Grã-vellanũ Episcopum Atrebatensem.

CXIX. Maria soror Cæsaris gubernationis obitæ curas, quas hactenus gesserat, deponit; ac de futuris tumultibus præmonet.

Tacentem deinde Antistitem Maria soror Cæsaris Hungariæ Regina Belgiique gubernatrix excepit, * suumque se quod jam in 25 ætatis annum sustineat, inter varias jactationes regendi pro fratre munus, ita quidem executam fatetur, ut si quid in rerum peritia, judicii vi, ingeniique præstantia sibi defuerit; in se illud quidem fidei synceritate, optimique affectus promptitudine & amoris integritate; per alios verò delectos ex eorum gente viros sapientissimos, judi-

1555. cioque atque experientia probatissimos suppleverit. Quod si tamen aberratum, ut humanum est, fuerit, ejus se obnixè tantòque confidentiùs indulgentiam sperare, quòd plurium, non suæ unius voluntati error sit imputandus. Lætari se, quod eodem cum Fratre tempore, quem in Hispaniam comitatura sit, laboribus absoluta, exporrectæ ætatis vigorisque juvenem Belgis relinquant, cui si pari quâ hactenùs fide, religionisque avitæ cura adhæserint, neque Philippo vires regendique consilium, neque Belgis concordia felicitasque defutura sint. Si tamen, quod nonnulli ominentur, alii etiam optent, ab iis defecerint, certè habeant calamitatem ac servitutem extremam eorum imminere capitibus, ex qua tanquam naufragio vix liceat emergere.* Hæc dicentem Reginam, ubi ordinum rursus nomine collaudasset Masius, de administratione justè prudenterque religioseque obita, debitasque iccirco retulisset gratias, ac præstantium apud se monitorum fore memoriam pollicitus esset, discedenti felicitatem precatus absolvit, conventusque dissolvitur.

CXX. Rex Philippus Ordinibus & Regi ordines sacramentum fidei innovant. Cæsar reliqua in filium regna transfert

Sexto deinde Cal. Novembr. congregatis in Palatio Ordinibus, Rex inter aurei velleris equites considens juramento solenni fidem addixit, vicissimque Regi Ordines Brabantiæ, Limburgi, Luxenburgi, ac Geldriæ primùm, tùm Comitatuum, ac denique reliquarum Provinciarum. Cessionis deinde tabulæ confectæ, subscriptæque die consequente. Nec multò post Cæsar eidem filio omnibus sive hereditariis, sive bello partis, aut alia sorte aditis, in solennibus Procerum comitiis, regnis cedit; ut erant Hispaniæ, Siciliæ (nam ante Neapolim cesserat) Sardiniæ, Balearium, Americæ, ac Novi orbis: neque ex tam amplis terrarum proventibus aliud sibi, quam centum aureorum millia secreverat, quibus ad vitæ necessitatem, & liberalitatem in ministros egentesque uti posset. Denique cùm solum Romanorum superesset imperium, publica Majestate potiùs, quàm opibus privatis æstimandum, hoc Ferdinando resignare fratri, quando in unum congerere omnia filium non licuit) legatione ad Germaniæ Principes Regemq; missa decrevit. Cui tamen obeundæ cùm sequens annus designatus sit, ante gestis tantisper immorandum est.

CXXI. Ioannæ Matris Hispaniarum Reginæ mors ultimò ad hanc abdicationem Carolum impulit. *Orland. in hist. Soc. l. 15. § 84.*

Nec illud prætereundum, ultimum pænè impulsum cœptæ abdicationis Carolum ex morte Joannæ Matris habuisse, quæ ut alibi vidimus à morte Philippi mariti emotæ in plerisque mentis signa dedit, quam tamen Hispani Carolusque filius, ut Reginam publicis semper in literis coluêre. In obscura illa turri felibus colludere solita, hoc se quietiùs studio, per totum Carolini regni tempus oblectavit, quàm filius tot regnorum ornamentis, innumerisque simul jactationibus involutus; ut illa sedens in littore, filius inter perpetuos nationum fluctus regnasse videatur. Corpore tam sana, ut eodem illa anno vivere, & cum Carolo regnare desierit. Morienti adstitit vir sanctus Franciscus Borgia Gandiæ quondam Dux, & ex aula Caroli ob Isabellæ Reginæ, & conjugis suæ funere digressus ad Societatem Jesu. Hic prisco in familiam amore, jam extremè languentis adeò excitavit animum, ut velut ex delirii Letargo experrecta, non alienam se ostenderit ad Ecclesiæ Sacramentorum usum, jusseritque eundem sibi recitando præi-

re

re Apoſtolicum Symbolum, cui & ipſa deinde quædam ex Nicæno adjecit, S. Crucifixi effigiem exoſculata, ut Theologi præſentes capacem Sacramentorum pronuntiarent, expiataque unctionem extremam perceperit, cùm ſacro epulo, ex ſtomachi omnia regerentis imbecillitate, refici non poſſet. Hæc mortalis regni vitæque ſcena, tantò faciliorem nunc exitum oſtendit Carolo, quòd translatum ad ſe integrè regnum, in filii citra obtrectationem manus conſignare liceret, ut ſolennibus poſtea cæremoniis in Hiſpania quoque à Carolo peractum eſt.

CXXII. Quinquennales induciæ cum Gallis initæ.

Pacis inter hæc tractandæ cum Henrico Galliarum Rege, quam inprimis cupiebant Belgæ, cura minimè neglecta, ac denique cùm de ea convenire non poſſet, quinquennales ſancitæ ſunt Nonis Februarii anni 56 induciæ, eâ Lege, ut * ab hoc die quinquennio integro omnibus utrorumque Regum ditionibus, terrâ ' marique vis omnis bellumque abſit, Neuter alterius hoſti opem præſtet. Poſſeſ-' ſis in præſens quiſque inſiſtat, acquieſcatque. Liber mercatoribus ſalvusque u-' trimque commeatus conſtet, & priſca ſolùm vectigalia ſolvantur. Pulſis ultrò ci-' (An. 1556) tròque ad ſua reditus pateat, etiam adverſæ partis militiam ſecutis. Rebelles ta-' men exuleſque Neapolitani ac Siculi his legibus non fruantur, uti nec Albertus ' Brandeburgicus. Induciarum harum violator morte plectatur, ſingularium ta-' men hominum juribus his induciis non derogetur. Duci Sabaudiæ nulla in poſ-' ſeſſis etiamnum vis inferatur, nec Franci ad Indias occidentales, belli mercatu-' ræve gratia ſine Cæſaris ac Philippi Regis conſenſu, navigent. Eleonoræ dona-' tiones mortis cauſa à Franciſco Rege maritoque factæ ab Henrico filio præſten-' tur. Conditionibus ab utriuſque partis legatis ſubſcriptum, conſignante Bruxellis Cæſare, Antwerpiæ Philippo.

CXXIII. Pontifex inducias factas ſuis per nepotem conſiliis apud Gallum evertit. *Belc l. 27. Palav. in Trid. l. 13.*

His induciis turbatus Romæ Paulus Pontifex, qui ob proſcriptos ſuæ familiæ ex regno Neapolitano Caraffas, & non ita pridem Ducibus Columniis aliquem ſuæ ſtirpis à Cæſareis interfectum, ultionem molitus, fretuſque ope Francorum, vim Columniis jam adhibuerat, arcibus ac civitatibus M. Antonii occupatis, in cujus locum Fridericum Caraffam ex fratre Nepotem Paliani Ducem nuncupavit, locumque omni arte ac præſidio munire aggreſſus eſt. Cæſar verò, ut Farneſios ſibi conciliaret, iiſdem Placentiam jure pleno reſtituit, utque Coſmo Florentino Duci tùm impenſarum, tùm ſtudii in Senarum occupatione gratiam faceret, horum illi imperium tranſcripſit. Hinc præter Ferrariæ Ducem, Pontifex ſui fautorem conſilii in Italia vix habuit. Ad Gallos igitur ab induciis ad opem ſibi ferendam traducendis intentus, ut reliquorum exſpectationem falleret, Carolum Caraffam, Cardinalem recens creatum nepotem, ſago, quo uſus hactenus quam togæ aptiorem, ad Regem Galliarum deſtinat, ſpecie pacis & Concilii reſtituendi, quo nomine & Cardinalem Rebibam ſimul ablegat ad Cæſarem, ſed cunctanter immorari itineri juſſum, dùm à Caraffa nepote, ex Regis Galliarum reſponſis, ad mandata rectiùs exequenda regeretur. Unde iviſſe Romæ cognitus, ſed nunquam ad Cæſarem perveniſſe: dum occultiora cum Rege de belli opibus conſilia explicuiſſet, firmaſſetque Caraffa, publicè Regi poteſtatem de pace conciliandà exhibens, privatim de bello, quod Rex denique, neſcio quâ induciarum

1556. delusione, cum Pontifice amplexus est, cui, ut communi Ecclesiæ Patri capitique fas esse crederet, in discrimine subvenire. Cùm verò interea nec ipse Pontifex, à milite cogendo, firmandisque regionibus occupatis abstineret, Ferdinandus Albæ Dux ad Columniorum opem & regni Neapolitani defensionem à Cæsare missus, post frustra imploratam pacem, jam expeditioni se accincturus, ne mora occasionem vincendi amitteret, Pyrrhum Loffredum ultimò destinat, jubetque per Cardinales Pontificem sollicitare, sed evoluto quatriduo, quo arma ipse moturus erat, urbe exeisse, hac tamen causâ silentio præterita.

CXXIV. Ferdinandi Proregis Neapolitani contra Pontificem miri progressus, pacisque inter hæc frequens oblatio.

Loffredus à Pontifice delusus retentusque, ubi bellum increbuit, pro exitu carcerem Romæ est sortitus, documentum legatis, ne suorum facilè mandatorū limites prætervehantur. Quare Albanus armorum solers primo impetu Pontem-Corvi, ac deinde omnia cum Paliano Columniorum oppida recipit, pulsoque invasore Columniis restituit; tùm iteratò, sed frustra Pontificem obtestatione pacis conatus ab armis deducere. Quâ neglectâ, licet objiceretur Albano 17 millium exercitus, Pontificiæ ditionis oppida, Verulum, Babucum, Alatrium, Terracinam, Acutium, Fumam, & Anagniam feliciter expugnat. Cùmque Romæ Pontifex timeret, pacis rursum spem facit, pro qua tamen Albanus Pacecum Cardinalem irrito destinat, quod Regis Galliæ subsidia Pontifex exspectaret. Quare Albanus armorum cursum promovet, ac Præneste Vico Valerii, Tybure Segnia, Ardea, Porciliano, Antiatibusque potitur, Ostiâque, Romanorum portu fretus, urbem fame premere instituit, quando tamen adhuc paratus ad pacem Albanus stabat, ad quam dierum 40 induciæ concessæ sunt, gratiâ Cardinalis Caraffæ, quâ occupasse Albanum spe opulenti Sacerdotii, pro filio Notho facti dicebatur. Hic igitur exercitu per urbes occupatas distributo, instante hieme se Neapolim recepit, judicatusque est Romam expugnare potuisse, nisi reverentia Pontificis, & exemplum aliorum, parùm secundâ famâ fortunâque id præstantium, consultò Ducem retraxisset: licet Cardinales Cæsarei in captivitate, & Cæsaris existimatio improbè traducta, ut si venenum Pontifici tollendo destinasset, ultionem exposcere viderentur. Et sanè quam syncerus id temporis Cæsaris erat regnorum terrenorum contemptus, tam falsum ejusmodi cupiditatis extremæ, cum tanto scelere, affictum desiderium. Hærebat ille privatâ in domo, aulâ novo Principi relictâ.

Induciæ Pontifici gratuitæ dantur.

Calumniæ in Cæsarē ejusque Cardinales.

CXXV. Maximilianus Rex Bohemiæ cū conjuge Cæsari in Belgio valedicit.

Hic Carolus dum exspectat classis expeditionem, opportunitatemque in Hispaniam transeundi, æstivo ad Cæsarem tempore Maximilianus Rex Bohemiæ è Germania cum Maria conjuge Caroli filia, & ultimum dicturus vale, & dotis nomine transacturus accessit, Bruxellisque postridie Iduum Julii magno honore, & Philippo Rege, & Cæsare cum sororibus obviam profectis introductus est. Cùmque tabulis illi publicis dos confecta esset, ingenti pecuniæ vi certis pensionibus consignatâ, Hispaniæ & Belgarum Provinciis Maximilianus renuntiavit, & instanti jam Caroli profectione, Augusti mensis fine decessit, quando iteratis Cæsar ad Ferdinandum fratrem literis, imperio se illi lubentem volentemque decedere significat, felicitatemque recturo apprecatur. Simulque tres ad Germaniæ septem-

tem-

temviros Legatos, Guilelmum Nassavium Auranċii Principem, Sigismundum Seldium Procancellarii functum munere, & Wolffgangum Hallerum à secretis literis servientem destinat, qui resignationis tabulas hac sententia perscriptas exhiberent. *Carolus Dei gratia Rom. Imperator, &c. Omnibus ac singulis sacri profanique ordinis Septemviris, Principibus, Ducibus, Comitibus, &c. aliisque S.R. Imperii subditis salutem, &c. Multis magnisque de causis impulsi, hereditariis filio Philippo terris cessimus, jamque mari propiores stamus, idoneũ navigandi in Hispaniam tempus occupaturi, à quo nostro proposito, præter Deum, nemo nos est revocaturus. Propter hunc ergo meum in perpetuum abitum ad Ferdinandum Romanorum, Bohemiæ, Hungariæque Regem, fratrem nostrum charissimum, S.Rom.Imp. gubernatio, tanquam electum consecratumque Rom. Regem nostrumque in imperio legitimum successorem spectat. Ne quid igitur per nostram absentiam detrimenti imperium acciperet, coram quidem in comitiis apud vos renuntiare nobis fuerat constitutum; sed invalescens morbus propositum intervertit, meque proximè ad Hispaniæ portum aliquem jubet respicere, & quam hactenus publicæ, nunc privatæ saluti curam impendere. Quocirca ab universis petimus, juxtaque præsentes tabulas etiam potestate nobis concessa, imperamus, ut debitam Fratri fidem, obsequiumque præstetis. Qua expressa ultimaque voluntate nostra has literas concludimus, nostroque sigillo munimus. Zeburgi in Zelandia 7 die Septemb. anni salutis 1556 Imperii nostri 36. * Quibus Legati in Germaniam profecti comitiorum tempus proximum operiebantur. Alias Cæsar jam 27 Augusti literas ad supremi Tribunalis Spiræ Præsidem ejusque Assessores dederat; omnesque & de cessione sua, & de Ferdinandi observantia, tùm verò inprimis de avitæ fidei cura ac defensione gravissimè est cohortatus.

1556. CXXVI Religna- ti imperii tabulas per Legatos Cæsar ad Septemviros destinat, sed quæ cunctanter acceptantur.

Aliæ Cæsaris literæ ad tribunal Spirense.

Denique commodum nactus ventum, cum sororibus Eleonora & Maria Reginis, è portu Zelandico soluturus filium Philippum Regem ultimis amantissimus, ceu in vita non visurus ampliùs, constringit, postremisque verbis tam ardentibus Catholicam Religionem, eamque in regnis suis illibatè tuendam, hortatur, ut lacrymis intercipientibus vocem, orationem abrumperet, cautelâ tamen pro Belgis placidè gubernandis additâ: ne externorum jugo premerentur. Quod Philippus postea quamvis Hispanis magis fidens, impetrare illos à se passus est, Provinciis in patriæ Principes distributis, ac Margaritâ Parmensi sorore è Belgis oriunda, cum suprema autoritate in suo discessu præfecta. Sed cùm Guilielmus Nassovius tot beneficiis à Carolo ornatus, à Philippo Hollandiæ, Zelandiæ, atque Ultrajectinæ ditioni præfectus, in Regem Deumque perfidus, ad Geusiorum (hoc istic Calvinistæ nomen sortiti sunt) partes accessisset, Ferdinandus Albæ Dux bello in Italia contra Francos Pontificiosque gesto clarissimus, ad restinguendum incendium advocatus, magis idem quodam arrogantiæ & severitatis Belgis intolerabili flabello concitavit. At hæc extra Caroli tempora, à Strada aptissimo hujus tragœdiæ scriptore petenda, avido lectori relinquam. Illud tamen moniturus: nullum satis firmum adversus hæresin præsidium in quacunq;

CXXVII Cæsaris è Belgio discessus, quod subinde varia tempestate hæresium jactari cœpit, furore præcipuo Cæsaris ministro Nassavio.

1556. rep. præter unam Romanæ Apostolicæque Ecclesiæ observantiam, à qua & Dei verbum, & ejus interpretationem habemus, collocari posse. Nunc bellum Italicum, & plexam à Deo in Francis induciarum violationem expendamus.

CXXVII. Guisius in Italiã media hieme penetrat, majori terrore quàm damno. Brisaccus contra Mediolanenses pugnat.

Dux Guisius æmulus in aula Montmorantii hoc repugnante obtinuerat auxilia contra Philippum pro Pontifice, & hæc Decembri etiam mense superatis Alpibus Insubriæ intulit, bellumque illic Januario mense auspicatus, non solius Pontificis se venire gratiâ ostendit. Valentia enim, hujus loci oppido expugnato, cùm Madruccius Cardinalis Trident. rebus præfectus, parùm ad defensionem instructus præesset, ac Brisaccus bellum istic prosequendum, Albanumque hac arte evocandum sentiret, Mediolani trepidatum est. Sed cùm Hercules Ferrariæ Dux, qui Pontificiis confederatisque supremâ autoritate præerat, Ecclesiasticis terris ex Pauli mandato adesse juberetur, Brisaccus cum parte copiarum adversus Mediolanenses relictus est, qui aliquot locis occupatis expilatisque, nihil ad rei summam contulit. Italorum 20 totidemque Gallorum millia contra Albanum ducebantur, qui exploratis omnibus, domi se muniebat, dum occasio aliud consilium suppeditaret. Pontifex Româ Carassam Paliani Ducem cum Strozza copiisque suis miserat, qui Ostiâ arce receptâ, Palianum aliaque Columniorum oppida, facilè, nullo hostium comparente, invaserunt. Guisius, dum minùs inter Duces convenit, quâ viâ mars esset promovendus, Romam ad Pontificem profectus, ceteris non minùs deliberandi tempus, quàm sibi suisque indulsit, cùm Farnesius Parmæ Dux, Insubrici exercitus à Philippo dictus Imperator, Ferrariæ Ducem invadens hunc suâ sibi militia servire coëgit. Guisius verò, Camplio non magni nominis devicto oppido, Civitellæ munitæ urbis obsidionem aggressus est, quâ obtentâ facilior esset Neapolitanorum oppugnatio. Verùm infelix hic conatus omnem belli hujus vim consiliaque pessumdedit. Albanus enim interea collecto milite, & sex millibus Germanorum auctior, quatuor millia cum 500 equitibus M. Antonio Columnæ submittit, quibus ille fretus, cùm diversa loca invaderet resistentem sibi ante Palianum, Julium Ursinum Pontificium Ducem prælio vicit cœpitque, ac Paliano recuperato, in Latio dominabatur. Albanus verò jam 20 circiter millium exercitu spectandus, hunc Guisii ad Turturetum (nam Civitellam deseruerat) castris opposuit, quotidianis cum eodem velitationibus collisus, pugnandi tamen nusquam datâ copiâ, quod Gallos morâ atterendos nosset. Quin postremò dimissis Neapolitanis, Siculis, Calabrisque ad urbium defensionem, ipse, trajecto amne Truento, Anchoranum expugnat diripitque, ac per cetera ditionis Pontificiæ oppida, exercitum magnis passim cladibus circumducit, Guisio frustra per easdem regiones, pari vastitatis illatæ fructu, consequente, ut jam amicum juxta hostemq; ad suorum terrarum excidium se Pontifex evocasse cerneret, nihilque propiùs aberat, quàm ut ipse 26 Augusti cum Roma in Albani potestatem incideret; quando hic ad urbem noctis silentio præsens, minùs custoditam facilè habiturus fuisset, nisi falsa imagine instructæ per urbem defensionis illusus, se recepisset, Deo ultimam hanc Albani audaciam divertente. Qui tamen inter hanc armorum prosperitatem non destitit ad pacem irri-

Parmensis pro Cæsare invadit Ferrariẽsem Gallis federatum. Guisius obsidione Civitellæ irrita, ab Albano deluditur.

Albanũ Pontificiã ditionem vastantem Guisius frustra consequitur.

,ubi pœnitendi ardor? laudata caſtimonia? Videlicet ita ſuum illi Evangelium 1519.
,ſequuntur, ut iſta, neque ad animi ſenſum, neque ad uſum ullum recipiant.
,Sola fide, inter avaritiæ luxus, luxuriæque ſordes, cœlum ſibi patere exiſti-
,mant: profligata eſt quadrageſimalis Eccleſiæ abſtinentia, Bacchanalia man-
,ſere, Sanctorum vitæ ac feſta ludibrio exploſa ſunt; D. tamen Martini, Bur-
,chardi, Regum Regm, Joannis, aliorumque dierum comeſſationes jus ſuum
,uſumque obtinent. Jam verò incredibilis illa Sectariorum temeritas atque ar-
,rogantia, quâ omnis retrò ætatis viros in Eccleſia Sanctiſſimos, doctiſſimoſ-
,que erroris iccirco arguunt; quia ſecum non faciunt; intolerabilis mihi viſa
,eſt. Vt enim unius ſeculi, ac non magnæ nationis gens, contra tot ſeculorum
,locorumque autoritatem ſola ſcripturas intellexerit? ut etiam poſt tot ætatum
,lapſus, verius quam primi Patres, ab Apoſtolis proximèque conſecutis Majo-
,ribus inſtructi, aſſequatur, & hactenus in errore tot ſeculis conſenuerit Eccle-
,ſia, cui portæ inferorum prævalere non poſſunt, quis ita emotæ mentis ſit, ut
,hoc ſine ullo conſcientiæ vulnere tueri queat? Teſtatæ ex illis multi Sanctitatis
,viri, admirandis ſupra naturam factis, & doctrinam ſuam, toti orbi adeò pro-
,barunt, ut integræ de illis bibliothecæ loquantur: quis ex omni hoc ſectario-
,rum numero, quod maximè in re nova oportuit, vel unius miraculi virtute,
,recens illud religionis inſtitutum confirmavit? niſi fortè miraculi inſtar ſit,
,tam repentina morum paſſim in Rebusp. perturbatio, ut nihil Chriſtianæ ſim-
,plicitatis reliquum ſit, ut ſubditi in principes, hi in ſe invicem atque ipſa im-
,perii membra funeſtis odiis armiſque concitentur, ut priſtina jam integritas, ac
,religioſorum hominum continentia probrum ſit ac pudor non eſſe impuden-
,tem. Illa porrò vertigo & fluctuans diſciplinæ rituumque per Saxonicas Ec-
,cleſias inconſtantia quo ſpectat? Quilibet ſacrorum antiſtes ſibi traditam
,Eccleſiam ſuo moderatur ingenio, ſuis cæremoniis ſacra ordinat: ut, quot
,quæque urbs Eccleſias, quot religionis interpretes; tot ritus, tot admini-
,ſtrandi diverſas rationes inveniat. huic malo corrigendo Provinciarum viſi-
,tatores adhibuimus; ſed & illi ſuo reguntur ſenſu, ac regunt; & niſi multos
,audiant, à multis non audiuntur: prorſus alio ingenio Eccleſia Romana admini-
,ſtratur: quæ hæc in Italia; hoc in Gallia, Hiſpania, Germania agit: idem
,vultus, mores, ſacra eadem; ut ne ex habitu quenquam diſcernas: & hæc qui-
,dem tot ſeculis, inter tot adverſarios cum Romano papatu ſtetere inconvulſa,
,quæ res omnino pluſquam humana ratione nititur. Et ſanè illa Sacrorum,
,cum hominum tum locorum irreverentia deterrere prudentem quemlibet æ-
,ſtimatorem debet. Ex ſordido ſæpe projectoque vulgo ſacrificulos, penuriâ
,hominum, deligunt: quibus templorum, Evangelii, ac religionis cura de-
,mandatur, quorum cum exiſtimatio nulla apud cultioris indolis, ingeniique
,viros ſit, religionis ſanctitatiſque cum illis fama obſoleſcit. Videas deinde
,pagorum templa in tabernas paſſim tranſiiſſe; cemæteria beſtiarum etiam
,ſqualere cadaveribus, & profana jam omnia ante fana curari. Denique ea,
,quantumvis gravia, prorſus diſſimulem, illoq; me ſoler unico, quod Evangelicæ

An. Chr.

,veritati me totum addicere cupiam, neglectis humanarum traditionum regu-
,lis. Jam ego quemlibet sapientem virum omnique affectionum pondere im-
,hanc illamve partem liberum consulo, quò vult, ut me recipiam? Lutherum,
,an Zwinglium; Pelargum, an Campanum audiam? omnes eodem Evangelii
,titulo triumphant. Quin & ipsa Romana Ecclesia ejusdem observatione nul-
,li se quicquam hactenus concessisse affirmat, siquas traditiones, aut Ecclesiæ,
,in rebus scripturæ controversis, definitiones admittit: hoc ejusdem se Evan-
,gelii cohortatione ac ductu facere asserit. Eodem igitur omnes sacrorum vo-
,luminum fundamento se nixos clamant, quantumvis contrariis opinionibus
,inter se dissidiant, nemo alterum probat; nemo non damnat erroris. Quid?
,quod ipsum Lutherum nemo ita esse clarum in scripturæ interpretatione pro-
,bet, qui non, ubi primi sese illius hominis antilogiis senserit, continuo eundē
,deserat, seque, non in verba sententiamque Lutheri; sed sacrarum literarum
,jurasse asserat? quod est, suo quemque ingenio de scriptura sentire, ac incre-
,dibili levitate non tantum ab adversariis, sed amicis etiamac suæ sectæ disenti-
,re velle ac reipsa fateri, ipsum quoque Lutherum spiritu erroris deviasse. Pari
,ego sentiendi temeritate cùm olim adversus se invicem ac Romanam simul
,Ecclesiam concurrisse legam innumeras alias hæreses, uno omnes, ut fidem
,mererentur, Evangelii nomine vulgatas; cùmque intercidisse penè universas
,solamque etiamnum Romanam Ecclesiam persistere, latiusque inter ipsas Se-
,ctariorum machinationes toto orbe propagari intelligam; cùm denique om-
,nem tantarum seditionum fontem, ipsam scripturam videam aliis aliisque sen-
,tentiis, pro cujusque privati temeritate arrogantique sensu explicatam; ne-
,que ulla fin endarum controversiarum sapientior expeditiorque occurrat ratio,
,quàm à Romana hactenus Ecclesia per Conciliorum sub uno capite Pontifice ed-
,cisionem usurpata sit; quis jure mihi, utrarumque jam partium non ignaro, ex-
,probret, si ad hanc me recipiam, quam recta ratio tutissimam ad salutem aperit?
,Res hæc est, quæ non ex opum honorumque discrimine, sed ex ipsa felicis
,aut infelicis æternitatis alea pondus habet; ut nemo irasci mihi possit, si,
,quanto hic possim rationis nisu, exploratis erroribus, eo demum convertar,
,quo certiora argumenta indubitatæ fidei salutisque revocant.* Hæc pauca ex
Wicelii defensione excerpsimus qui inter cetera funestam bellorum tempesta-
tem Europæ imminere ex hoc fonte non malè est auguratus, quam ad extre-
mum omnis religionis per Germaniam excidium desævituram existimabat;
quod vulgus Principesque, aut illâ vivendi libertate, aut bonorum Ecclesiæ
Romanæ subductorum aviditate occupati, haud facilè ad pristinum religionis ju-
gum revocandi.

LXXXV Helvetii, Duce Zwinglio religionis causa co[mmoti] in arma, se mutuo conficiunt & Du[x] è [medio] tollitur.

Eodem tempore in Helvetiis furor ille religionis homines tanquam insano
œstro percitos, ad contumelias injuriasque primùm, deinde ad arma pertra-
xit. Tigurini cum Bernatibus Lucernenses aliosque Helvetiorum populos,
improbis machinationibus provocatos, ad bellum concitarunt. Hi antiquæ
religionis placita; illi novæ tuebantur, Zwinglio domi forisque propugnatore.

Surius comment. Schleidanus l. 8. Cochlæus in vita Luth.

Sed

Sed lingua ille quam manu felicior, in acie quâ ſtetit, pro templis ariſque quas devaſtaverat, pro religione, quam exciderat, occubuit: dignus morte qui tot aliorum vitam perditè corruperat. Mille quingenti ex Tigurinis, inſidiis Catholicorum circumventi occubuerunt, contemnendo facilè damno, niſi cladem unius Zwinglii ſtrages cumulatiorem feciſſet. Iterum iterumque, pertinaci gentium odio, collatæ manus infelici ſemper Acatholicorum exitu: dum, mutua denique ſed turpi Catholicis victoribus pace, ſancirent, ne quis alteri religionis cauſſa moleſtus eſſe pergeret. 1531

LXXXVI Carolus, Mariâ ſorore Belgii præpoſite, Chriſtierno Daniæ & Sueciæ Regi, merito ſuæ crudelitatis exuli, fruſtra auxilium præſtat.

Venerat in Belgium hac tempeſtate cum Maria ſorore, Hungariæ Regis vidua, Carolus: quam, Margaritæ amitæ jam vitâ functæ loco, Præſidem iis Provinciis deſtinaverat. Hic inter alia Chriſtierno Daniæ Sueciæque Regi, ex Iſabellæ ſororis nuptiis ſibi affini, expectata dudum auxilia conſtituit. Multis ille magniſque, avaritiæ & crudelitatis exemplis, ſubditorum favore regnoque exciderat. Illud inprimis facinore, memoriâque ipsâ perquam truculentum; quod Stocholmii in Suecia edidit. Vrbem hanc cum obſidione pactoque intercepiſſet, Proceres omnes, tanquam benevolentiâ inſigni conciliaturus, triduano convivio cautè feſtiveque recreat; ſed fine perquam tragico Thyeſtæas haſce epulas funeſtat, cùm diſpoſitis per Vrbem armatorum cohortibus, immiſſiſque Sicariorum audaciſſimis convivas, nihil minus opinantes, crudeli ſpectaculo interimeret: ac verſa deinde in vrbem immani rabie, aliquot dierum continuatâ cæde, totam exhauriret incolis: &, ne quam in tanta barbarie perfidiam omitteret, profugorum latentiumque reliquias proclamatâ immunitate elicuit; ut & iis gladio ſubjectis, fidem ſimul omnem, ac humanitatem ſuam cum innocentium ſanguine profunderet. Quo quidem facinore multorum vitam, omnium benevolentiam ſuſtulit, expertuſque eſt, *Violentum nullum imperium eſſe diuturnum*; *nec ſecurum Regem*, *quem omnes metuant*. Nam, ut ipſi Chriſtierno ſubditis ſic ille inviſus ſubditis eorum odiis armiſque graviſſimè exagitatus, regno denique utroque ejectus eſt: quod Procerum voluntate, apud Danos Fridericus Chriſtierni patruus, Dux Holſatarum; apud Suecos, Guſtavus Lutheranæ ſectæ princeps, Chriſtierni nuper cuſtodiâ elapſus, occupavit. Regem igitur, tam fœdè exulantem, ſpe magis, quam promptis auxiliis Cæſar ſuſtentabat. Exul ille Melchiniæ opem adventumque Caroli praſtolabatur, ac denique hoc anno duodecim onerariarum navium claſſe exercituque decem millium in Noruegiâ contendit, ubi junctis Lubicenſium cum Dano Suecoque viribus facilè ſuperatur, Aiſloi (quam vrbem occupaverat) moenibus incluus, fidemque cum adverſariis tractandi pactus, parem illi, quam olim præſtiterat, expertus eſt, cùm Sunderburgi Holſatiæ munitiſſimæ arci incluſus, annorum quinque & viginti captivitatem morte denique abſolvit miſratione dignior, niſi bis captus corpore ac mente, Lutheranæ religionis infelix aſſecla interiiſſet.

Schleid. l. 4. Spondan. an. 1518 20, 23 32.

LXXXVII Cæſar, poſt tene

Cæſar inſtaurato Belgarum principatu; ut majoribus indies incrementis gli-

An. Chr. tata pira Ratisbõa & Swienfortia conciliandi remedia, denique, ut contra Turcam sibi Protestantes jungeret: possessiones Eccl. bonorum & pacem usque ad proximũ conciliũ indulget.

Goldast. tom. 1 & 2.

scentem conjurationis pestem incruentis remediis sanaret inprimis anxius, Spiram Comitia indixerat; sed mox ex communi sententia Ratisbonam translata, ut Turcarum consilia collecti illic Principes propius inspicerent. Dum tamen huc Cæsar aliique orthodoxorum Proceres à mense Januario contendunt, Sweinfordiæ urbe Franconum Protestantes coeunt, ad quos ex voluntate Cæsaris Electores duo Moguntiacus ac Palatinus Rheni profecti, omnes conciliandi dissidii vias rationesque explorant; sed irrito prorsus conatu religionis controversiæ oppugnatæ sunt. Cæsar denique, ut adversus Solimannum ingenti hominum multitudine Austriæ Germaniæque minitantem, vires sibi Germanorum adjungeret, in altero à Protestantibus coacto Noribergæ Comitio illorum postulatis morem gerit, integramque, contra intentatas à Judicio Imperiali lites, Ecclesiasticorum bonorum possessionem indulget, ac vetat religionis causâ cuiquam molestiam creari, usque ad futuram, intra semestre, aut generalis, aut provincialis Concilii decisionem. Quod Pontificiis nequicquam dissuadentibus, existimaret in summis rei Christianæ periculis, minus discrimen negligendum, & *iniqua aliquando toleranda, ut æqua impetrentur.* Hac igitur re sub finem Julii per utrumque Principem constitutâ, ac sub Augusti initium Ratisbonæ confirmatâ opem omnes operamque contra Turcam Cæsari detulerunt. Quod obsequium ultimum Joanni Saxoniæ Principi in vita fuit, qui post brevem electoralis dignitatis honorem spirare ac sperare desiit sectæ per Lutherum auspicatæ post fratrem præcipuum columen. Cui Joannes Fridericus filius, haud minus infelix successit.

LXXXIX. *Ingens Christianorum exercitus 160 millium in Austria collectus balit. sed primus Solimanni ingressus parũ secundus fuit.*

Jov. hist. l. 30. Surius in Commentar. Schld. lib. 8.

Interea ex Italia Belgioque quantum potest militem evocat, Dux ipse atque Imperator omnium futurus Carolus. Et quidem ex Germanis Prætorianarum cohortium nomine, duodecim sibi adjungit millia. Itali Principes cum summo Pontifice operam dedère; ut optimus quisque veteranorum militum, ingenti multitudine, sub Alphonsi Vastii ac Ferdinandi Gonzagæ proregis Neapolitani, auspiciis, Cæsaris vexilla sequerêtur: quibus Hippolitum Mediceum Cardinalē cum delectis copiis Pontifex adjunxit, totâ Italiæ nobilitate sacrum hoc bellum propriis impendiis prosequente. Affluxit ex omni propemodũ natione, si Gallos exceperis. Viennâ exercitus Christianorum ingens; Ut supra ducenta & sexaginta hominum millia unis denique in castris Imperator censeret, quibus Patauiensis ex Bavarica familia Episcopus Ernestus Guilielmi Ducis frater trium se mensium annonam præbiturum receperat. Solimannus verò, innumerabili hominum multitudine, apud Belgradum, contractâ, ad Austriæ se fines transfuderat; ubi, velut ex transitu, ignobile despectumque oppidum Guintium occupaturus, tanti nominis viriumque famâ inutili viginti dierum obsidione turpiter amisit; æterna Nicolai Jurixii, fortissimi propugnatoris, gloriâ. Emisit subinde prædatum quindecim facilè equitum millia Calono duce, qui Viennenses per agros, omni immanitatis genere exercito, parum felicem sortitus reditum, variis nostrorum equitum turmis, locisque ac præliis attritus, suo suorumque sanguine inconsultam prædandi licentiam absolvit. Cæsar etiamnum Lintii cum

part-

parte exercitus morabatur, quando intellexit Gretzium, Stiriæ oppidum versus 1532.
totis castris, hostem movere. Igitur adhibitis in consilium belli ducibus, pug-
nantibus multorum sententiis deliberatum est; Gretzium, defendendi caussa,
an Viennam, hostis opportuno loco exspectandi gratiâ, peteret? Erat hoc iter
abruptis vallibus montiumque jugis summe asperum, ac curulium tormento-
rum vecturæ perquam iniquum, quod tamen, non paucis, nostro comodum pe- *Solimanni de pugna consilium.*
diti contra Turcarum equitatum, quo maximè valebant, assererent. Neque enim
aliud Solimannus exspectabat, quàm ut apertis Cæsaris exercitum campis na-
ctus, multitudine equitum circumsederet, eminusque ac carptim lacessendo
potius, quâm totis castris aggrediendo fatigaret, cum arte magis, ac numero
vincendum sibi, quam robore, contra fortissima Europæorum corpora existi-
maret. sed obtinuit sententia, quæ Viennæ contendebat subsistendum con-
tra hostem non magnopere urbibus timendum, quod Campestria tantum, ad
captandum prælium tormenta duceret; adeoque idoneo ad commeatum pug-
namque loco operiendus esset. Jam istic sub auspiciis Friderici Palatini, for-
tissimo Germanorum Heroe, Teutonicæ nobilitatis robur, & delecta militiæ
decora confluxerant, æmulatione quadam nationum vrbiumque, pro salute
publica optimum quemque ad bellum destinantium, quando nullâ majorum æ-
tate ac recordatione, quicquid à Viadro amne ad Britannicum Oceanum, &
Rhæticis Iuliisque Alpibus ad Hercyniæ silvam terrarum intercipitur, unâ con- XC
spiratione, jurata adversus Turcam, arma induisset. *Exercitus Cæsaris in aciem ordinesque digestus.*

Cæsar ubi præsens lustrasset militem, haud procul Viennæ mœnibus totum
per ordines, velut in hostem adventantem, pugnaturum degessit. Mediam a-
ciei planiciem tria hastatorum peditum occupabant agmina, magnis à se invi-
cem æqualibusq; in latitudinem spatiis discedentia. His intervallis, ac geminis
veluti ex latere hiatibus, equitatus, in duas distributus partes, receptus est; ne
expeditis tercentum (quos propemodum hostis censebat) equitum millibus
aperto campo, extraque omne munimentum temere objiceretur. Levis dein-
de sclopetariorum cohors longo, nec tamen densiori quam virorum quinque,
circuitu quadratas hastatorum phalanges circumdabat, triginta ab iisdem pas-
suum intervallo, frontem, latera tergaque, non interrupta serie,
muniendo: geminis tantum ad utrumque cornu exercitus, locis, tan-
quam valvis, ad emittendum recipiendumque liberè equitem, patebat. Cu-
rulium tormentorum insignis copia per ordinem ante levis armaturæ peditem
digesta erat; eâ ratione, ut cum usu frequenti calefacta explosionibus serviret
munitionis tamen vallique instar irrupturo hosti objiceretur. Et verò Sclope-
tariorum corona, licet quinis tantum densata ordinibus, ad hostilem tamen
impetum, continuatâ glandium procellâ, retardandum, sufficere peritis vide-
batur, cum alternantibus ordinibus facilè ultimi instaurarent jacula, dum primi,
quaternâ successione, profunderent. Quin etiam si turbatio incidisset, para-
tus erat ad hastatorum ordinem receptus, in quo tanquam munimento tuti
pugnarent. Solis Vngaris extra septa alarum officio fungi placuit; quod in-

An. Chr. gentibus animis, velocique equitatu freti Turcarum artes viresque despicerent.

XCI Ita distributum sub duobus Regibus exercitum, Solimannus, licet altero copiosior, & provocatus, declinat.

Ita distributi exercitus, dextrum cornu Cæsar, lævum Ferdinandus moderabatur: tam rara illustrique lectissimorum virorum; suis stationibus inhærentium multitudine ac specie, ut ex admirando prorsus spectaculo, atque ingentis victoriæ spe intuentium ora lacrymis madescerent. Subinde memorant Cæsarem, tanti exercitus nixum fiduciâ, Solimannum, licet quingenta centenum millia, ad decretorium certamen missa pugnæ indictæ tesserâ, chirothecâ, provocasse: Sed Turcam, malè metuentem, periculum detrectasse respondisseque, *Non Te ego, Carole, sed tuam fortunam reformido.* Vnde vincendi spes nostra brevi, juxtaque amittendæ victoriæ timor evanuit. Nam Solimannus, intellecto robore consilioque Catholicorum Dravo tumultuariis pontibus strato, Belgradum immensas Orientis copias ignominiosè timidèque reduxit, identidem venientem à tergo Carolum pertimescens; quòd Illyrici equites postrema recedentium agmina minutis carptim præliis conciderent. Ita tantus barbarorum apparatus, tantæque, quanta nullâ hominum memoriâ collectæ his locis copiæ, momento sine pugnæ disjectæ sunt, quando Solimannus Germaniam intestinis seditionibus distractam, nequaquam tam præsenti defendendam virtute sperasset. Verùm intellexit, Germanis, etiam inter mutua odia diffidentibus, consilium audaciamque ad communem hostem reprimendum superesse non minus, quam Canibus concertatione mutua ad Lupum in se venientem conversis. Neque lacessendos deinde gravius existimavit, ne obliteratâ popularium offensione conciliati, conjuratam Hispanorum, Germanorùmque potentiam, sibi maximè formidandam, suum in caput concitaret, felicemque hactenus armorum cursum, hunc in scopulum, tanquam classem opulentam, impingeret; plus habiturus in clade, quàm periculorum fuga dedecoris.



LIBER

1528.

LIBER V.

I. Cæsar florentissimum exercitũ sine ullo militiæ fructu præter quàm fugati hostis dissolvit, & Italiam repetiit. *Iovius histor. l. 30 Guicciard. 20. Surius in comment. Isthuan. hist. Hung. l. 10* Relicti Ferdinando Itali malè Austriam tractant, & malè tractantur.

Arolus, Turcâ fugato, præter exspectationem omnium, contractam tantis hominum studiis, impendiisque militiam, Pannoniâ in manibus hostium destitutâ, solvit, seque, maturâ nondum hieme, properatò in Italiam recepit. Seu, quòd diffusam totis castris jam pestis contagionem metueret; seu, quòd Italiæ, Hispaniæque ingenti desiderio abstraheretur; seu denique, quòd anxius formidaret, ne partam solo nominis terrore gloriam, inutili forsan obsidionis conatu, profunderet. Quæ si minùs singula, universa certè potuerunt, ut Ferdinandum Regem, fratremque negligeret, ultimis licet precibus contendentem; ut vim tantam, famamque victoriæ ad Hungariæ restitutionem converteret. Relictæ tamen cum Germaniæ imperio, Ferdinando sunt aliquot Italorum copiæ; sed cum iis Maramaldus, invisus severitate suâ militibus, Dux Præfectus esset, neque postulata numerarentur stipendia, excusso militiæ jugo, populationibus adeò fœdè per Austriam grassati sunt; ut suis Ferdinandus præcipiti furore, alienoque prorsus ab usitata clementia decreto, edixerit; ne cuiquam Italici nominis parcerent, quo facto exacerbatis utrimque animis magnæ clades datæ, acceptæque sunt. Ceteri Romanorum, qui Mediceo Duce repetebant Italiam, ac biduo post primum Cæsaris agmen sequi jubebantur, impatientiâ, levitateque Ducis, præoccupare omnes in reditu cupientis, distracti solutique imperio, post Dravum superatum stipendiis, ductoreque fraudati, cum execratione, infelicis militiæ, suam quique domum concessêre; ut dubites majorine formidandus hic exercitus gloriâ contractus sit, an ignominiâ dissipatus?

II. Auria classis Præfectus felicius bellum administrat *Iovius l. 31.* Veneti hoc bellum mediastinè dissipant

Feliciori progressu Andreas Auria, maritimæ contra Turcam militiæ Præfectus, utebatur. Nam Coronem, Patrasque, egregias munitasque Græciæ urbes, tum deinde Castella antiqui operis gemina, Jonii maris angustiis hinc inde imposita, in Achaia Rhium, Molycreumque in Aetolia novis operibus firmatum, egregio labore successuque occupavit; Venetis inter has dimicationes mediis, ne parti utrimque metuendæ offensionem aliquam darent. Quin & illi præcipui autores dissoluti inter Solimanni, Cæsarisque exercitum belli ferebantur, quòd apud utriusque gentis Imperatorem, alterius (quas exploratas habere credebantur) vires, supra veritatem extollerent, ut conciliato hinc atque inde metu supremum dimicationis periculum impedirent, ne alteruter uno prælio, tantâque belli mole superior terrarum orbi inprimisque Italiæ, nimium formidandus esset.

1532
III
Henricū Angliæ Regem Bolenæ amorà Catharina Cæsaris matertera, ideoque & Cæsare avertit Rege Gallia rum hoc dissidiū fovente ut sibi Henricum adversus Carolum jungeret. *Sanderus de Schismate Anglicano l. 5. Belcar. lib. 20. Flor. Ræmund. de ortu & prog. hær. lib 6.*

Eâdem tempestate, quâ Solimanni conatus in Germania observabat Carolus, Henricus Angliæ Rex insanâ libidine Annæ Bolenæ exæstuabat, quæ tamen potestatem sui corporis Regi, nisi matrimonio copulata, negabat; quod ex Sororis Mariæ, Regi nuper familiariter cognitæ, jamque evilescentis gratia, hunc amorem, nisi vinculis conjugalibus adstrictum, didicisset esse instabilem. Rex igitur meditatum hac de causa jam diu cum Catharina Cæsaris agnata divortium Galliæ se Regis favore extorturum à Pontifice, post longam irritamque litis contentionem sperabat; aut certè suffragante Francisco, invito licet Cæsare ac Pontifice, Annam Catharinæ suffecturum. Quare instituto cum illo, inter Caletum, Boloniamque, colloquio, perductâque eodem Anna, solenni hanc sibi matrimonii ritu in his comitiis adjungere statuerat, nisi inexspectata Solimanni fuga Cæsarisque in Italiam adventus hanc illi mentem excussisset. Erat Franciscus, tum inveteratâ jam æmulatione, tum recenti offensione, ob tam rigidam pecuniarum rationem pro filiorum libertate exactam (cùm ad ducenta aureorum nummûm millia, adhuc quadraginta, post trium ferè mensium concertationem adjicienda fuissent) non mediocriter Carolo exasperatus. Neque magnopere post exemptos captivitate liberos ejus invidiam declinabat; unde Henrici causam de Catharinæ repudio, titulo affinitatis nixam, jamque olim à Volsæo Cardinale, supremo Aulæ Britannicæ moderatore, Francisco expositam Rex non improbabat, omnemque ad hoc operam, minaciter etiam Pontificem pertentandi Regi obtulit.

Quin etiam persuaderi sibi est passus, ut, posthabitâ authoritate Pontificis, à Gallicano Clero decimas suâ authoritate exigeret. Quâ longè atrociorem, adversus Clerum Britannicum, sententiam Henricus edidit; cùm omnium possessiones Regio addictas fisco pronunciaret, ob dignitatem Pontificiæ legationis, contra Regis placita, ab Ecclesiasticis propugnatam. Nimirum Pontificem hactenus nullis rationibus flexum, sperabant hoc sibi metu addicendum; ne duorum longè florentissimorum regnorum Principes facultatesque annuas amitteret. Missi etiam utriusque Regis nomine ad Clementem Turnonius & Grammontius, purpureo galero insignes viri, qui seriò admonerent Pontificem, quanti Ecclesiæ rerum interesset, utroque Regum, aut propitio, aut adverso Romanos uti, futurum, ut nisi illorum postulatis acquiescat, junctis cum potentia viribus, rem ausint, postmodū cum immenso multorum dolore, seraque nimis pœnitentia conjunctam.

IV.
Uterque Regum violentis consiliis Pontificem ad probandum divortium Henrici cum Catharina conantur inducere.

Mitiora tamen Rex Galliæ amplexus privatim consilia, Legatos monuit, ut si moderatum tractabilemque Pontificis animum comperissent, pollicitationibus sibi eum potiùs adversus Carolum devincirent, oblato Henrici filii, secundo loco geniti, matrimonio cum Catharina Medicea, Urbinatium Ducis filia, contrahendo, postulatoque conventu Regis cum Pontifice in Italiæ, aut Galliæ finibus, pro eadem nuptiarum solennitate celebrando, quod, ut Regis uterque observantissimus erat, magnâ ab illis agendi solertiâ præstitum. Cæsaris apud pon-

V. Rex tamen Galliæ occultè sibi Pontificem, saltem adversus Carolum, conatur sociare, spe conjugii Henrici filii & neptis Medicææ.

Pontificem adventum præoccuparunt; ut novis consiliis inter utrumque orbis Principem agitandis, speculatores, atque etiam, si opus, diremptores interessent. Imperator magnis etiamnum stipatus copiis, præsertim Hispanorum, advenerat, urgebatque, cùm Pontificem, tum cæteros Italiæ Principes: ut innovata, auctaq; fœderis antiqui obligatione (quâ tantùm ad Insubriæ, Siciliæque imperium pro Cæsare defendendum adstringebantur) communem etiam Genuæ tuendæ curam admitterent, quòd Galli, salvis pacti Cameracensis legibus, huc se arma transferre posse existimarent; Vix, post longam contentionem id demùm à Pontifice, ceterisque Italiæ Principibus, si Venetos excipias, impetratum, non tam benevolentiâ Cæsaris, quàm armorum terrore impulsis. Cùm Hispanos, gravem Italiæ populum, non aliis, quàm oblatis postulatæ securitatis legibus, dimissurus videretur, quo etiam Pontifex titulo, apud Franciscum deinde factum purgavit, cùm dimissis ad Peloponnesi, Sicularumque urbium defensionem Hispanis, nullâ se arte, aut Italiæ, aut Galliæ rebus meliùs potuisse consulere doceret. Constituto omnium suffragiis Antonio Levâ Italici exercitûs Imperatore, indictisque ad omnem belli necessitatem, quâ quisque eorum peteretur, certis singulorum Principum urbiumque expensis. Illud præterea Cæsar egit, ut plerorumque sibi animos regiæ largitionis, aut spe, aut muneribus occuparet. Jam Florentiam Mediceis cum filia tradiderat; Alphonso Ferrariæ Duci Mutinam Rhegiumque, quamvis invito Clemente, addixerat. Præter hæc Christiernam sororis Isabellæ ex Dano Rege filiam, Sfortiæ conjunxit. Soram Feltrio Urbinatium Duci restituit. Auriæ Melphitanum Principatum confirmavit. Mantuano Duci Marchionatus Montisferrati diplomate consignandi spem fecit. Columnios denique Proceres ingentibus donis est prosecutus.

An 1531. VI Cæsar verò magis timore exercitus Pôtificem & Italos, quàm amore sibi addixit. Pluresque muneribus sibi devinxit. Antonio Leva militiæ præfecto. *Iovius l. 31. Guicciard l.20 Belcar. l.20.*

Vt verò Germanorum tranquillitati contra inquieta sectariorum ingenia consuleret; missi ad Saxoniæ Principem Oratores duo, alter à Pontifice, à Cæsare alter, qui post declaratum Pontificis Cæsarisque de Germaniæ incolumitate studium, leges instituendi per Europam universalis Concilii illas proposuêre.

Liberum illud ac commune foret ad Patrum, veterumque Conciliorum præscriptum atque exemplum, quorum mentes actionesque divinus haud dubiè spiritus moderatus sit. Deinde, ut concilio interfuturi, ante ejus sese decreta probaturos Sacramento recipiant. Irritum enim hunc conciliandi laborem fore, nisi de legum condendarum observantia cautum fuerit, & mandata ferantur non obsecuturis. Primam in legibus esse, legi obsequendum quâ neglectâ & cetera negligantur. Omnes Germaniæ Principes concilio aut intersint ipsi, aut legatione destinatâ. Interea res controversa eo hæreant vestigio, quo cœperunt, neque aliu mutationibus, ante Concilii decretum, innoventur. De loco diu multumque deliberatum esse, ne vel ad commeatum sterili, vel ad valetudinem difficili cœlo tot tantorumque hominum societas cogatur. Placentiam, aut Bononiam, nobilißimas Italiæ urbes, aut certè Mantuam civitatem Imperii, Germaniæque finitimam, non incommodas huic negotio visas esse. Licere eam, quam maximè vellent, Pontificiâ Cæsareâque facultate, deligere. Acturum Pontificem, ut rebus probè deliberatis intra semestre Concilio & locus, & necessarii commeatus præparentur, modò Romanorum Rex ceterique Germaniæ Principes

VII. Legati Pontificis & Cæsaris protestantibus Concilii instituendi rationem aperiunt, locumque. *Cochlæus in act. Luth. Surius in com. Schleid. l.8.& 9.*

1533. *hanc ejus voluntatem non improbent. Cœptum verò Concilium, ob quorundam absentiam Principum minimè abrupturum, qui si deindè Concilii decretis non acquiescant, Cæsarem aliosque Christianos Reges ad eorum propugnationem minimè defuturos.*

VIII. Protestantes ex Smalcaldiæ synedrio neque locum neque modum instituendi concilii probant, sed ad liberam ex Scriptura S. rerũ controversarum definitionem provocant Pontificemque ipsũ, ac Patres ex eadem volunt judicari, reipsa sibi, ex Scriptura muta, ac controversia, & pluribus sensibus obnoxia, judicium. definitionemque hæreticorũ more, vendicantes.

Saxoniæ Princeps Joannes Fridericus dilatâ responsione, reque totâ cum sociis Smalcaldiæ deliberatâ, hanc ultima Junii die à Protestantium Synedrio retulit sententiam.* *Permagnas habere se gratias Cæsari, qui tantum pro Concilii maturatione laboris susceperit, cui & gloria Dei, & salus publica, & privata multorum, curæ fuerit. Optandum, ut ille aliquando dies illucescat, quo oppressus error, superstitio, perfidia; veritati virtutique triumphanti cedant. Concilium postulatum in crebris Imperii comitiis, promissumque, verùm in Germania: hanc pro veritate contra errores Romanæ illapsos Ecclesiæ dimicationem suscepisse, fœdè modò dissentientium opinionibus distrahi, illic remediũ exigere, ubi vulnus inflictum est. Illam Pontificis mentem gravißimis Cæsaris Principumque decretis adversari; dum in Italia Germaniæ prospiciendum statuit, & alibi consilium, alibi opem postulat. Illa verò obligatio, jurejurando firmata, cui poßit probari? ad liberi concilij sententiam adstringi quorsum attineret? quis tam hebes, ut has artes non intelligat, quibus specioso, videlicet, Concilij titulo suum Pontifex dominatum potentiamque stabilire contendat; ut errores, aut reprehendat nemo, aut quivis coactus probet? Verùm hoc artificio non suaderi prudentibus concilium; sed offerri, ut negetur, leges has esse, quibus lex omnis & æquitas conciliandi destruatur. Quid? quod nec ordo, nec modus, nec forma Concilij definiatur, incertumque maneat, an Pontifex hic cupiat imperare ceteris, an sibi suæque clientelæ præcipuam authoritatem vendicet? an pari omnes jure ac dignitate affuturi sint, ut cujusq; judicium non ex majestate, sed veritate pondus habeat? Nondum etiam de finienda religionis lite rationem initam. Humanisne illa traditionibus, an S. literarum sententiis absolvenda sit? Quod veteri more Concilium instituendum asserant, captiosum esse & fraudi obnoxium, nostræ ac vetustioris aliquantò memoriæ concilia, à priscis differre plurimùm. Illa plus æquò hominum decretis Pontificumque authoritati tribuisse, quæ res & sententiarum libertatem, & veritatem subruat. Aliud ad præsentem controversiam exigi. Sacrarum literarum vestigiis inhærendum, ut ab implicatis opinionibus pateat exitus: ut sua conscientiis tranquillitas, pax reddatur Ecclesiæ. Hujus commonendum Cæsarem, provideat, ne in hac disceptatione absolvenda, idem judex esse velit, qui sit actor, atque etiam reus. Multa in Pontifice ejusque reperiri curia accusatione digna, qui si legitimam cognitionem defugiat, si suam antè probari velit, quàm audiri causam, sententiam dare, non accipere: metuendum sanè ut malum accersat gravius, & dum in fluctibus concitatis portum quærit, ad scopulos impingat. Quod si pias liberasque Germanorum voces ac vota surdus præterierit, si suo ex animo arbitrioque instituerit concilium, nolle se idcirco causſæ suæ desperare patrociniũ, habituros etiam vindicem, suam Deum ipsum non deserturum doctrinam, se quidem etiam publicum hoc orbis judicium minimè subterfugere, modò suis abundè legatis cautum sit, spesque divinæ illic gloriæ propugnandæ affulgeat. Exspectare tamen, ut Cæsar, secundùm Imperij decreta, Concilium procuret, ne adversus veritatem errori faveat, & suâ potentiâ illorum crudelitatem confirmet, qui Evangelij lucem ac salutem innocentium opprimunt.** Quo responso satis à Cæsare intellectum est, quod Concilium, quemque in eo judicem exspectarent. Neque enim summum aliquod in terris caput tolerabant,

quo

quo, ex plurium sententiis pronuntiante, lis absolveretur. Sed ad ipsam provocabant Scripturam, ut ambigui Scripturarum sensus ex ipsa Scriptura S. per collatas ex illa sententias certâ judicatione definirentur. Quod, quàm insolens, quàmque insanum, nemo, nisi errore amens, non videbat; cùm omnes hujus ætatis hereses eodem bibliorum nixi judicio in diversas maximè sententias abibant, quas tamen, nisi hæc regula falleret, prorsus convenire necessum fuisset, cùm eorundem verborum Scripturæ contrarii pugnantesque sensus esse nequeant, neque alia ex hac Lutheranis, alia Zvvinglianis, alia Anabaptistis pronuntiari sententia. Ita, ne defugere caussæ suæ cognitionem viderentur, palàm quidem flagitabant Concilium, sed occultis illud consiliis detrectabant, cujus facti invidiam, ad Pontificis Romani obstinationem, errores, ac crudele metuendumque piis conscientiis imperium, derivare conabantur. Quem certè nulla ætas in conciliis libertatem sententiarum suo imperio atque authoritate imminuisse comperit. Neque enim hanc ei potestatem quisquam concessit, concilia indicere, non sententias solito. Quòd si quos errores in Ecclesia tolerasse compertus, si in tradendis mercede indulgentiis, si in meretricia sacerdotum vita, aliisque vitæ offensionibus peccatum sit; morum illi errores, non fidei, hæresin nullam arguebant, nisi probata, *Neque abominandum continuò scelus est tolerare, quod nequeas corrigere.* Et quis unquam mortalis vitæ status ab omni immunis vitio repertus est? ut icirco reum facere, obstinatumque in mala caussa, Pontificem, ab æquitate ac ratione prorsus alienum rectè sentientibus visum sit. 1533.

IX. Carolus in Hispaniam redit. Pontifex Massiliã ad Franciscum pro nuptiis abit.

Initio Veris Cæsar Bononiâ Ticinum profectus campos, nobilissimâ olim suorum contra Gallos victoriâ celebres invisit, atque in illis, quos Franci insederant, manentibus adhuc castrorum vestigiis, non absque voluptatis sensu, jucundâque belli recordatione immoratus, Mediolanum subindè Genuamque invisit, magnâ ubique benevolentiæ honorisque significatione exceptus. Hinc demum classe instructâ, ventisque facilè aspirantibus, paucorum dierum navigatione Hispaniam tenuit conjugis desiderio, diu expetitam. Jam annus ad Autumnum deflexerat, cùm Pontifex destinatum ad Franciscum Massiliam iter, posthabitis Caroli dehortationibus, prosequitur. Tum, ut honoris illius, quem Cæsari bis obviam detulerat, ambitiosè cupidum, demereri hoc obsequio posset, tum ut Regis Henrici animum, usque ad omnem humanæ divinæque legis injuriam protervum ac contumacem, ad aliquem rationis sensum, Francisci intercessione, posset inflectere; tum porrò, ut nuptias cum Medicea Aureliæque Duce supra spem penè oblatas felici pactione, jucundâque celebritate liceret absolvere.

X. Angliæ Rex Bolenæ copulatur.

Sed peractis ex voto ceteris, Angliæ Regis, obfirmatam in libidine pertinaciam, corrigere non potuit. Cujus legati insolenter Pontificis authoritati illudebant, atque ab illius sententia procaciter ad Concilium provocabant, quâ tamen neque à Pontifice (qui Cæsari jus suum pro consanguinea perurgenti negare non poterat) neque à concilio exspectatâ per Rolandum Presbyterum simulatione dispensationis inductum, Rex Annæ occultis nuptiis copulatus est. Episcopis subindè

1534. *Sander de schis. l. 6. Flor. Ram l 6. Belc. l 20* Episcopos ipsumque Volsæum Card. obnitentes abdicat, aliis ex fece hominibus in dignitate substitutis.

indè Henricus ceterisque regni Proceribus , Regiæ cupiditati adversantibus, honorem authoritatemque sublatam in nefarios infimæque sortis adulatores transtulit. Thomas Audlæus in cancellarii munere integerrimo viro, magnisque frustra pollicitationibus adversùs æquitatem impulso, Thomæ Moro successit. Thomas Cromvelus, ex vulgi fece, ad Essexiæ comitatum, secretaque, ac Regij sigilli custodiam admissus est. Thomas verò Cranmerus Bolenæ sacrificus ex tenuis aræ victu, ad Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopatum accersitus est, penes hos maxima in regno authoritas. Jam enim Volsæum primum hujus tragædiæ repertorem arrogantiâ, potentiâque elatum, mutata sors in carcerem, ac mors repentina in tumulum devolverat.

Illi igitur Thomæ administri fautoresque insanæ cupiditatis, omnia ex Lenæ unius, Regisque libidine constituebant , & Cranmerus quidem Pontificiâ sibi potestate temerè perfidèque usurpatâ Catharinam, illegitimam Regii tori consortem, publicâ divortii sententiâ, in illam promulgatâ, declaravit. Quæ tam indomita hominis insania, ad extremam non illius modò , sed regni totius ruinam spectans, præter Clementis, Francisci Gall. Regis animum à tanta impietate alienum, non mediocriter offendit. Ut proindè, Rege etiam post tentatam frustra conciliationem, probante, Pontifex in rebelle perfidumque Henrici caput Apostolicum fulmen, dirasque Romanæ sedis execrationes strinxerit , atque adumbratum Bolenæ conjugium adulterii loco habendum constituerit. Cujus tanti flagitii originem exitumque paucis subjicio.

XI. Thomas Cranmerus Cantuariensis ex Bolenæ Sacellano Archiep Catharinam ut illegitimè nuptam ab Henrici thoro separat.

Thomas Volsæus ex humili Sacelli administrandi officio ad Eboracensis Ecclesiæ purpuram, Aulæque Britannicæ summam evectus potentiam, non Regem modò Henricum sibi devinxerat; sed & Franciscum, Cæsarem, ac Pontificem ita sibi obnoxios fecerat, ut nemo quicquam ab Henrico speraret , qui Volsæo adversario uteretur, hinc in conciliando Rege Carolus, operâ ipsius inprimis usus, spem fecit, fore, ut vicissim, Leone X mortuo, favorem operamque Volsæo , ad Pontificiæ sedis possessionem impenderet. Sed cùm Caroli studia melioribus deinde viris addicta essent; Volsæus indignationis ambitionisque jactatus æstu, in hanc denique vindictæ occasionem mentem intendit, quâ, abstractâ ex thalamo Regis Catharinâ, Margaritæ illum Galliæ Regis Sorori, simul atque amicitiæ, adversùs Cæsarem devinciret. Rex, ut erat levissimus, gravisque iccirco ac modestæ feminæ moderationem pertæsus, Volsæi consilium avidis excepit auribus, jussitque altissimo premi silentio, dum eventuum maturis rationibus ponderaretur. Omne in hoc causæ momentum versabatur, ut doceretur, Catharinam Arthuro, Henrici Regis fratri, ante conjunctam, nullo potestatis, jurisque privilegio à Pontifice potuisse alteri germano fratri rectè sociari. Quod cùm frustra diu privatis, publicisque conventibus, Romæ & in Anglia disceptatum esset; evenit, ut Henricus, contra omnem etiam Volsæi exspectationem, leviculæ, ut & famâ, & eventu postea constitit, feminæ Annæ Bolenæ amoribus excæcatus, hanc in con-

XII. Volsæus in aula Anglicana potēs sua abusus dignitate, ut Carolum Imp ulcisceretur Regem pessimis divortii consiliis pessumdedit, ipse his periturus. Ex quo capite Catharinam conjugem censerent illegitimam.

conjugem sibi deposceret. Cujus sororem Mariam, jam ante Henrico ad libidinem consuevisse, manifestum erat, neque ipsi ignotum Annæ, quæ Regis voluntati iccirco ante conjugii solennia obluctabatur; ne pari facilitate, quâ Soror, amorem Regis atque repulsam incurreret. Ut proinde potioris impedimenti titulo Anna, quàm Catharina à Regis thalamo excludenda fuisset. Imò, hanc ab Arthuro fratre, morbi vehementiâ à primis nuptiis præpedito, intactam ad Henricum pervenisse, vel ipsius Regis testimonio exploratum esset. Illam verò (quod fidem, ac rationem penè omnem vincit) ex ipsa Bolenæ matre jam diu antè Regis affectionibus lascivè obsequente, Henrico natam esse Sanderus aliique constitisse asserunt. Quòd cùm Thomas Bolenus, conscientiâ facti ductus, Regi dissimulanter ignoranti aperuisset; se videlicet in Gallia absente, hanc filiam, confessione uxoris de Rege susceptam esse, cum indignatione ab Henrico rejectus, jussusque conticescere, quòd centum alii, inquiebat, uxorem compressissent. 1534. Multis titulis Bolena hujus conjugii incapax.

Quæ tot matrimonii impedimenta Schleidanus, pro sua integritate, præteriit, & Bolenam ob Lutheranismum à Pontifice rejectam commemorat. Volsæus, cùm suâ se exspectatione dejectum, malique inexpiabilis invidiam contraxisse animadverteret, postquam Regi, cœcâ libidine præcipiti, sese pristinâ authoritate objiceret, brevi & illius effudit gratiam, & latentia jam dudum aliorum, ad opportunam eruptionem, odia in se concitavit, adeò, ut rebus subitò inclinatis, ille Pontificiæ dignitatis insanus quæsitor, & Regiæ depravator indolis; ut ex imo ad summos honorum apices tardè obrepserat, sic ex summo ad imum carceris squalorem momento decideret, & naturæ hanc demum gratiam deberet, quod præcipiti morte graviorem ejus infamiam præveniret. Volsæus eidem conjugio resistens carceri inclusus brevi moritur.

XIII. Ceterùm Henricus, ille antiquæ religionis propugnator egregius, ac subnascentium per Germaniam hæresûm profligator, à tanta sapientiæ constantiæque laude excidit, postquàm luxuriâ in feminam, odiisque in Pontificem extremis inflammatus, ea meditari perfidiæ in Deum hominesque scelera cœpit, quæ antea in Saxonibus execratus fuerat. Rem portentosam nullisque satis calamis explicandam scribo. Unius luxuriosi hominis effrenata cupiditas, perturbatissimæ illius, totque parricidiis cruentatæ religionis, quam Anglia hodiedum amplectitur, fundamenta jecit. Siquidem, ubi Pontificem, adversum se Annamque pronuntiasse sententiam, dirisque imprecationibus fulminasse ex Caroli Imp. & Cardinalium consilio, animadverteret; non pœnitētiâ, sed vindictâ percitus, Rege Galliarum ad causæ suæ patrocinium, nequicquam sollicitato (qui amicum se quidem, sed usque ad aras professus est) regni Proceres, eâ, quâ diximus, permutatione dignitatum ad se traduxit, ac Fischero Roffensi Episcopo persuasit, ut Clerum induceret, ad juramentum Regi, tanquam summo illius Ecclesiæ capiti præstandum, hâc, ne recusaret, adjectâ conditione, quantum per verbum Dei liceret, quod ille, præsenti necessitate circumventus, & saniora persuadendum aliquando Regem, post refrigescentem libidinem, existimans, magnis rei Christianæ detrimentis, suâque pœnitudine, executus est. Henricus Rex adversantē suo divortio conjugioq; Pontificem aspernatus, summumEcclesiæ caput, nova hæresi semetipsum in Anglia constituit.

XIV. Jam enim Lutherana se factio in Angliam, ad spem evertendæ religionis pristinæ Luthera-

1534. ni hac occasione in Angliam penetrāt, & Bolenam Cromvellumq; sibi habent faventes.

stinæ, transfuderat, quæ facilem apud animos omni flagitiorum genere perditos aditum reperit. Anna inprimis Bolena, cui nihil sanctum, his occultè nomen dedit, Cromvelus, aliique Procerum faverunt, adeò, ut famosis, impietatisque ac nequitiæ refertissimis scriptis, Regis, Principumque sæcularium, odia in Ecclesiasticum ordinem provocarent. Uno libello supplici mendicorum (hæc erat inscriptio) ostenderunt, quantas toto regno opes otiosi Religiosorum ordines possiderent. Cui Thomas Morus libellum animarum in purgatorio supplicem opposuit, quo adversariorum fraudes ac machinationes aptè confutavit.

XV. Bolena post quintū conjugii mensem Elisabethā, postea Reginam parit, quę legitima proclamatur heres, & Maria ex Catharina spuria traditur, Roffensi & Thoma Moro sese opponentibus. Varia supplicia in contradicentes exercita.

Interea, post quintum conjugii mensem, Anna peperit Elisabetham, ultimam Catholicæ religionis per Britanniam pestem. Hanc cùm nemo, præter Henricum Regis filiam crederet, Mariam, Regis ex Catharina sobolem, jam antè à regni Proceribus sub fata parentis in solium adoptatam, publico decreto spuriam illegitimamque regni hæredem; contra, Elisabetham legitimè in regni possessionem natam, declarat, geminumque ab utroque, Laicorum Clericorumque, ordine juramentum exigit, unum, quo Elisabethæ tanquam legitimæ Principi; alterum, quo sibi tanquam supremo Ecclesiæ capiti fidem Sacramento addicerent. Huic se Roffensis ex clero, Religiosique de observantia: ex Laicis, æternæ vir memoriæ, Thomas Morus, Regiis consanguineorumque blanditiis posthabitis, paucique alii objecêre. Ceteri (ô fragilis & lubrica mortalitas!) cum nefario Rege interire, quàm opibus vitâque excidere maluerunt. Quanquam Calvinista Anglicanus ita in has nuptias postea cecinerit; *O verè beatæ, & non sine summo Numine conciliatæ nuptiæ, cœlestisque partus ac progenies, quibus patria à servitute & caligine plusquam Ægyptiaca erepta ac liberata, & ad verum Christi cultum restituta est!* Addamus & nos. *O pura religio, ex tam sanctis castisque nuptiarum fontibus promanans!* Nullum Rex immanitatis genus, in obluctantes sceleratis consiliis homines, omisit, Sacerdotes religiosique suo in habitu suspensi; nonnulli secti, assatique & suarum domuum vestibulis suffixi, aliis cor, lingua, virilitas etiamnum viventibus, erepta.

XVI. Catharina Cæsaris consanguinea illustribus ornata virtutibus obit, Bolena exultante, sed haud multò post fœdius repudiatâ, & addicta ob impuritatē supplicio.

Catharina, non multò post, obiit, tam illustre virtutum, quàm Henricus flagitiorum exemplar, moritura, literis ad Regem datis, commonefecit salutis, omniumque injuriarum deposuit memoriam, ut legenti eas Regi lacrymas excuteret; sed ad brevem justi doloris sensum valituras. Pullum tamen aulâ totâ indixit, sumpsitque habitum; Bolenâ cum pedissequis, flavi coloris ornamentis, exultanteque lætitiâ, hunc Regi dolorem protervè exprobrante. Sed perbrevis illi ex alieno funere, atq; ab ipsius Regis libidine voluptas supererat. Etenim postquam molem carneam prolis loco effudisset (qui fortunæ simul ipsius abortus fuit) Henricus eam aversari, Seimeramque pedissequam, formâ gratiâque florentiorem, complecti cœpit. Anna igitur, pari ultura Henricum perfidiâ, aut præsentiorem ab aliis opem prolis exspectans, cum Georgio fratre, Smetono musico, Vestonoque ac Suertono nobilibus, ita vixit; ut Henricum magnitudine scelerum facilè vinceret. Neque latere tam profusa vagaque luxuries Regem diu

potuit;

potuit;sed indignantem frementemque irâ hominem aliquamdiu detinuit proprii nominis ignominia;dum tandem Grenvici,post projectum ab Anna, in publico spectaculo,sudariolum in nobilis gratiam manumque, Regis ira pudorem superavit,Lenamque impudicam vinculis,ac deinde etiam judicio subjecit,quæ ab ipso Thoma Boleno ad mortem,cum omnibus complicibus damnata,inauditam libidinem,infameque triennii conjugium,digno supplicio terminavit. 1534.

XVII. Regi variæ deinde thalamo junctæ, nulla diu placere potuit; fastiditâ, cum impleta esset, cupiditate.

Alias deindè quatuor Rex thalamo induxit conjuges, nullam fastidiosæ vagæque incontinentiæ viro diu placituram,Seimera prior illi Eduardum (postea regnantem)peperit; sed more viperarum:cum Rex difficulter enitenti,libique jam vili,uterum rescindi juberet,ne, opinor, pluribus hanc felicitatem inviderer,ut Reginæ essent.Brevi enim alia successit Anna Guilielmi Cliviæ Juliæque Ducis filia,sed nec illa Regis cupiditati blandimentisque, quòd Anglicâ linguâ careret,diu idonea Cromvelo improbissimo adulatori nuptiarumque conciliatori,ignominiosæ mortis causa fuit, cùm , ut erat Lutherano infecta fermento, hæreticam,etiam alterius implicitam nuptiis,adduxisse, cavillaretur. Subiit in torum Catharina Hauarda;sed & brevi fastidita,supplicioque tradita,quòd corruptâ,ut Rex ferebat,virginitate thalamum intrasset.Altera denique Catharina Parra ultima fuit,quæ regia uxor esset;non diu futura, nisi destinatum jam illius repudium morte Rex suâ prævertisset. Ita insanæ cupiditatis homini cui legitima uxor non placeret,nulla diu placuit,tam amantium,quàm amentium libidine exemplar ultimum,dignumque, quo Anglorum religio triumphet, principium.Quorum certè Ecclesia,sub hoc capite,sponso non fuit destituta. Quamvis verò Rex in tanta conversione rerum hæresin sese omnem aversari profiteretur, magnis tamen incrementis ac sectarum diversitatibus accepta in regnum,manavit.Neque enim ubi semel homines corripuit serpens illa religionis pestilentia facilè subsistit.Nam,uti Ecclesiasticorum hominum vita semper quidem objecta profanorum invidiæ est:ita tunc justissimæ eorum indignationi per Europam penè universam exposita erat,propter usurpatam passim vivendi licentiam; ut offendiculo plerisque disciplina esset Ecclesiastica, minùsque rectè de religione, tam pravis moribus inquinata sentiendi occasio. Quæ res emendandæ Ecclesiæ curam præ se ferentibus,omnium aures benevolentiamque conciliabat: præsertim cùm ipsas vitæ fideique corrigendæ regulas ex sacris literarum monumentis se depromere , pleno ore prædicarent,speciosumque perfidiæ velum obtenderent.Nam,*ut mendacium nullum sine veritatis tinctura persuadetur; ita nullum flagitium,nisi virtutis habitu,personaque ante indutum,placere diu poterit.*

XVIII. Franciscus,Rex Gal. ex seductionis periculo se recipit.

Hæc eadem tam speciosa melioris per Ecclesiam disciplinæ instauratio penè Franciscum Gal.Regem dedisset præcipitem,nisi maturior sapientissimi Regis prudentia robustiorque extitisset fides,quàm,ut tam levibus inclinata momentis paucorum hominum errata,antiquissimo religionis instituto imputaret.Cùm palam esset,hæc flagitia non ex corruptis Ecclesiæ legibus, sed hominum moribus existere.*Neque idcirco jura ipsa funditus evertenda,ut tolleretur injuria:*non magis quàm Deum ipsum cœlo deturbandum , quòd malè agentibus vitam indulgeat.

1534. Erat Rex omnis eruditionis perquàm amans; ut iccirco tota Europâ ad Franciscum doctissimi quique, honorum præmiorumque spe excitati, prævolarent, in quibus ex Lutheri Zvvingliique Schola non pauci. Hi Roussello clam instruente, Margaritæ Navarræ, animum Pontifici jam diu offensum suis artibus possederant, ac brevi Franciscum Sororis captum blanditiis eò jam adduxerant; ut & aures Lutheranis præberet, & comœdiis, ad ludibrium Ecclesiastici ordinis egregiè concinnatis, cum voluptate interesset; dum tandem Foxius, Turnoniusque Cardinales Regem periculi, errorisque commonefacerent, ac docerent, quantâ passim libertate, ad regni totius exitium invalesceret hæresis: & hic quidem opportunè Irenæi, antiquissimi Galliarum Episcopi, codicem manibus, dum Regem conveniret, præferens. Ex quo cum percunctanti de autore, Regi ostendisset, quàm periculosum omne esset cum hæreticis commercium. Tum velut è sopore evigilans Franciscus, ne ingentium malorum primas radices negligeret, secures suppliciaque corruptoribus adhibuit: ac Melanchthoni jam ad regiam consuetudinem invitato nuntium remisit, sed tamen ad vivum adeo resecari malum non potuit; quin majori deinde vi, copiâque per Joannem Calvinum vaferrimum corruptissimumque hominem ad totius Europæ perniciem repullularet. Cujus quidem Magistri, ob turpitudinem, nomen sectatores hoc tempore, ægrè sustinent. Hic Lutheranorum disciplinâ à Wolmaro quodam imbutus, eam denique tanquam crassioris ingenii commentum, detestatus est, adeoque rudes Lutheri fœtus lambere, novisque etiam opinionum portentis ad eam admirationem cœpit extollere; ut novarum rerum studiosos, versuti subtilisque ingenii scriptor, facilè à Luthero, Zwinglioque, inter quos medius versabatur, ad suam sententiam inflexerit.

Flor. Ram. de orig. hær. lib. 7 & alibi.

Calvinus per Galliam emergit Lutherumq; & ceteros sectarios cum Catholicis reformare conatur.

XIX. Quanquam verò Franciscus participare cum hæreticis in perfidiæ sceleribus nollet; opes tamen illis adjungere adversus Imperatorem Carolum majori regni sui, quàm alienæ religionis curâ, nunquam est veritus. Erat in Germania inquieti prorsus ingenii, ac novâ religione corrupti Philippus Hassiæ Dynasta, quem magnis pollicitationibus ad se denique in Galliam pertraxit, oblatâque opportunâ in usum belli pecuniâ, ad Ulrici Ducis Wirtenbergici causam armis disceptandam jmpulit. Is ob illatas Reitlingæ bello injurias à Suevis (violentiam majori virtute refutantibus) patriâ ejectus, dudum exul oberrabat, Gallorumq; præter Helvetos, Germanosque, subsidia implorabat, postquam ipsius jam possessiones auro traductæ à Suevis ad Austriacos transiissent.

Franciscus religionem Protestantium aversatus contra Carolum tamen illorum federi sociatur, & Hasso arma suppeditat.

Nec deerant, qui filio Christophoro magnæ indolis juveni inprimis faverent. Philippus certè Gallorum stipendiis non contemnendum brevi exercitum scripsit, quem tripartitim in Ducatum Wirtenbergicum infudit, ac magnâ ejus parte in potestatem redactâ, obvias sibi ad Laufenum oppidum Ferdinandi Regis copias, postquam earum Dux Philippus Palatinus vulnere præmaturo ex castris subductus esset, non magno negotio confecit, ac perpetuo deinde victoriarum cur-

Surius in comment.

XX. Philippus Hassiæ Princeps Wirtenbergicum contra Austriacos restituit, pace denique novis legibus cum Protestantibus initâ eidem conciliatus.

cursu ceteras urbes pronas habuit. Pax tamen, ceterorum Principum interces- 1534.
sione, arma Austriæ inferenda sustinuit. Erant hi Georgius Saxoniæ Princeps so- XXI.
cer Philippi, & septemvir Moguntinus, quorum labor is primum fuit, ut Saxo-
niæ Electorem Ferdinando Regi adversantem conciliarent, quod Cadami Bo-
hemiæ oppido his legibus impetratum est; *Ut ea, quam Cæsar Noribergæ concepit, pax
inviolata constet, neque religionis caussa vis cuiquam fiat, Cæsareum Spiræ judicium nullâ
juris actione adversus Protestantes experiatur, quæ quidem religionem tangat, Anabapti-
stis Sacramentariisque seclusis. Saxoniæ vicissim Princeps sociique Ferdinandum Regem
esse Romanorum justo titulo profiteantur, impetrato tamen à Cæsare intra decimum men-
sem decreto, quo caveatur, ne inconsultis deinde Principibus, atque ante electionis necessita-
tem illorum sententia declaratam, vivo etiamnum Cæsare Rex in imperium admittatur.
Denique Ferdinandus det operam, ut quæ Saxoni sunt cum Principe Clivensi pacta matri-
monij, Cæsar approbet.* His ita constitutis, pacem quoque Philippus horum arbitrio
accepit, & concessus Ulrico Ducatus beneficiario clientelæ titulo à Cæsare est,
sine mascula prole ad Austriacos rediturus, onus etiam subsidiarii militis, ad sæ-
vientem Monasterii Anabaptistarum furorem reprimendum Duci impositum
est, adeoque illa bellorum tempestas brevi detonuit, Francisco suâ spe frustrato;
qui Germaniam, more gentis, in armis semel sumptis pertinacem, diutius ja-
ctandam speraverat; ut ab Insubriæ defensione, cui rursus occupandæ animum
adjecerat, vires Austriacorum averteret.

Ceterùm alia in imperio Monasterii Westphalorum inferioris Saxoniæ urbe XXII.
excitata seditio, tam raræ, atque per omne retro seculum inauditæ vecordiæ est; Mona-
ut præteriri hoc loco à nobis non debeat, ne ignoret posteritas, quàm semel à sterii
veritatis fideique linea aberrantibus ad extremæ dementiæ avia pronum sit iter. West-
Est Monasterium urbs facilè totius Westphaliæ nobilissima, ac regionis illius phal. no-
Metropolis, ad quandam Mediolanensis urbis ideam per Saxones ab Insubria va sedi-
(relictis ibidem Longobardis) reduces excitata, populum habet à primo sum- tio emer-
moque sacrorum Antistite D. Ludgero, Caroli magni ætate, disciplinis Chri- git in im-
stianis imbutum, quibus remp. divini, humanique juris hactenus observantissi- perio.
mam magnis Ecclesiasticarum rerum incrementis propagaverat; ut præter Ec- *Meshov. in hist. Anabap. l. 6. & 7.*
clesias Parochiales sex, Collegia quinque Canonicorum, plura etiam religioso-
rum hominum cœnobia, Sacella ac templa censeret; sed infelix illa religionis per *Surius in Com. a.*
Saxoniam exorta lues, quin suâ quosdam contagione inficeret, nullâ Magistra- *l. ique.*
tus diligentiâ prohiberi potuit, siquidem Oratores sacri pernicioso hoc primùm
malo afflati, ceteram facilè plebem novitate, ac indultâ vitæ licentiâ deprava-
tam, adversus Magistratum atque Ecclesiasticum ordinem invidiâ odiisque in-
flammarunt, ut proinde magna horum pars, seditiosorum hominum vocibus ap-
petita, exilium ante patriam habuerit, opumque aliquantò leviorem jacturam, XXIII.
quàm religionis duxerit, quòd hac animorum, illis corporum salus niteretur. Caroli
Hanc Cæsar insolentiam severâ licet animadversione in sontes pronunciatâ, Imp. pæ-
frustra opprimere conatus est, quin ut pressus violenti fluminis impetus, majori nis frustra in-
deinde eruptione aquarum exundat; sic furor intervallis remissus, graviori sem- tentat s obnititur

 per

1534.

A Lutherana secta Rothmannus & Cnipperdollingus per Pistorem Harlemensem, & Sartorem Leidensem denique ad Anabaptismum traducuntur.

per violentiâ,tanquam instauratis quiete viribus,prorupit.Fax prima seditiosorum Bernardus Rothmannus ex D.Mauritii Sacellano Saxonicæ libertatis Præco factus;altera Cnipperdollingus,armis,quàm ore promptior,uterque urbis incola;ac nato ad rebellionem ingenio. Haud multò post,insana Anabaptistarum factio,quæ magnis jam per Flandros, Batavosque augmentis invaluerat, urbibus ac regionibus illis profligata,Monasterio sese etiam infudit. Ex his Harlemi Pistor Joannes Matthias egregiè callidus,ad quandam suæ religionis dictaturam aspirans,duodecim imitatione Christi,(cujus ipse personam induerat) legit Apostolos,quibus omnem latè regionem suis auspiciis distribuit, in quibus Joanni Bocoldo Sartori,Leidæ in Hollandia nato,Monasterium sortitò obtigit; quo se homo,nullis artibus,præterquam subdolo ingenio, insidiosâque ad persuadendum instructus facundiâ, contulit. Hic urbem ingressus jam in Lutheranismo fluctuantem,magnamque ejus partem,Rothmanno Duce, ad Zwinglium inclinatam vidit:quâ lubricitate vacillantes(ut facilè erat in ruinam nutantes impellere]cives sensim Anabaptismo initiavit.Quod licet primo conatu tentatum infeliciùs esset,Rothmanno præsertim adversante,hunc tamen,ubi sibi adjunxisset clandestinis præsertim conventiculis, egregiâque pietatis specie multos sibi conciliavit.Advocati ex vicinis oppidis,ejusdem superstitionis patroni,qui magno numero cum ipso Apostolorum capite Joanne Matthia affluxêre.

XXIV. Novi Prophetæ raptus & colloquia cum Deo apposite fingunt, vulgusque trahunt.

Hi ut terrorem urbi injicerent,attonitamque plebem sacro quodam religionis horrore occuparent, nocturno miserabilique per urbem ejulatu pœnitentiam ingeminabant;omniumque animos,velut ad extremam judicii horam consternatos, percellebant. tum deinde per diem, frequentibus populi concionibus raptus,colloquiaque cum Deo Patre, Angelisque, tam appositis ad fallendum moribus confingebant;ut ad mentem deinde concionemque reversos,plebs tanquam delapsos è cœlo Vates auscultaret.Quo semel obtento,mirum, quantâ insaniâ populo illuserint,quem,ut aliquâ voluptatis illecebrâ delinirent, post celebrata suorum noctu conventicula,ad promiscuæ libidinis usum provocabant, egregio videlicet novæ religionis lenocinio,argumentoque, quonam illa autore profecta esset. Fides enim ex moribus probatur, cùm proba esse nequeat, ubi hi ex ipso instituto sunt improbi.

XXV. Curiam & armamentariũ firmiores occupant & novam remp Sionis instituũt. Episcopo imperatam a Cæsare opem exspectante

Denique ubi,adultis jam viribus adversariorum, ex Lutheranis & Catholicis in urbe conflatum robur sustinere possent,curiam,armamentariumque invadunt nec post longas pacis utrimque conciliatæ inducias, cùm libertatem suæ factionis nacti essent, ruptis humanæ divinæque legis fœderibus, urbe Magistratum Sacerdotes,Cœnobitasque templis ac possessionibus deturbant;novam rempublicam,tanquam Hierosolymam Sionque,ut vocabant, redivivam excitant, viginti quatuor virorum, suo ex corpore, senatum legunt. Consularis dignitas Cnipperdollingo & Cippenbroco defertur. Summa tamen penes Vatum præcipuos,Matthiam & Bocoldum,autoritas mansit.His illa inprimis cura erat: ut suas contra Franciscum Episcopum ex antiquissima Comitum de Waldec familia oriundum,vires confirmarent. Ille enim jam vias suo ubique milite insede-

rat,

1534

rat, indictaque ab Imperatore per Germaniam vicinorum Principum auxilia præstolabatur, ut seditionem, nullis consiliis componendam, vi opprimeret, & quanquam indictis Confluentiam, ac deinde Wormatiam Ferdinandus comitiis tardam, aut certè exiguam ceterorum opem Episcopo subministraret, tamen unius parumque firmæ urbis vires, hostilem impetum diu sustinere posse nequaquam videbantur.

XXVI. Vrbici sua quoque subsidia ex Batavis eliciunt, sed intercepta. Quæ deinde ex accolis collecta.

Quocirca Ambstelrodamum vicinasque per urbes Anabaptistæ suæ factionis homines per literas nuntiosque convocant, ad novæ electæque à Deo Hierosolymæ instaurationem. Quod tantâ solertiâ & à Legatis præstitum, & aviditate sectariorum exceptum est; ut urbibus domibusque passim desertis, auro tantùm armisque ac pannis lineis instructi, vigesimo primo Martii, onerariæ naves supra triginta ad Monicodamum, Batavorum oppidum, confluerent. Alii de aliorum profectione prorsus ignari, nisi quod singulis navibus unus explorator adesset destinatæ profectionis conscius, qui apud ceteros insigni dissimulatione atq; admiratione facti, omnium cogitationes ad stupendam divini Numinis providentiam attonitas converteret. Sed infelix rerum exitus hanc mortalium fraudem & Superûm curam brevi detexit, cùm altero post die Transisulani per regionum præfectos coacti inexspectatæ sese multitudini objicerent, ut itineris factique rationem ab armatis, vi etiam, cùm opus, extorquerent, illi, cùm se Numine certo duci existimarent, vim omnem facilè spernebant, donec se navibus, auro, armisque exui, atque in carceres ablegari viderent. Ita fex illa seditiosorum, aut gladio, Mariæ Belgii Principis jussu, absumpta, aut certè ad sanitatem reducta est, cùm *fidem, ut libertas mater improbitatis, facilè evertit; ita servitus, & custos religionis metus, sæpè restituat.* Hac spe frustrati Monasterii incolæ, ex oppidis pagisque vicinis homines facilè trecentos magnis pollicitationibus ad se pertrahunt, quos, junctâ ex civitate operarum copiosâ manu, urbi, fossis, aggeribusque ac propugnaculis insigniter communiendæ, præficiunt. Quibus cibus publicis impensis subministratus, eâ lege ac ordine, ut primo die caro recens, altero indurata, tertio haleces in prandium cederent, iisdem per quodque triduum vicibus recurrentibus.

XXVII. Matthæas ex Pistore Vates & Archistrategus feliciter pugnat, sed cadit denique.

Interea Joannes Matthias Vates, militiæ præfectus, trecentorum capitum Dux nonnunquam in hostilia sese castra furibundum emittit, felici semper belli successu, prædarumque onere lætus; sed fortunâ rerum ebrius, cùm deinde non ampliùs triginta audaciæ periculorumque assumeret socios, manibus ac ferro hostili interiit, docuitque, *casum nonnunquam temerarios præterire, at denique opprimere.* Unius hæc clades multorum animos consternatione perculit, qui à præcipuo sibi vate indubitatam semper victoriam spoponderant.

XXVIII. Bocaldus Vates ex Leidensi sartore, novo vaticinio Regem se fingit.

Sed Bocaldus astu ac simulatione nihilo inferior, eo sublato, novam urbis politiam meditabatur, in qua ipse tyrannidem summa authoritate occuparet. Itaque noctu derepente nudus è domo se projicit, magnaque ac iterata vociferatione, Regem Sionis venire inclamat. Triduo postea integro elinguis jacet, nec aliter quàm calamo suam à Deo linguam teneri vinctam indicat. Populo rei ex-spe-

1534. spectatione suspenso, denique publico edicto, tanquam à Superis hausto, enunciat singulorum fortunas in communem Christianorum usum more veteri conferendas esse, petitâ à divinis vatibus expositionis formâ. *Hæc dicit Dominus*, &c. Duodecim porrò Israelis Judices, antiquis Judæorum legibus ab oblivione vindicatis, instituit. Cùmque, haud multò post in adulterio deprehensus, magnâ quorundam offensione esset, polygamiam veterum, sub extrema Numinis in obluctantes indignatione, promulgavit. Ita passim à lasciviente plebecula maturæ, immaturæque nuptiis addictæ, repugnantes castitate ac vitâ, aut certè narium auriumque truncatione mulctatæ sunt, ipso Bocaldo ac Cnip perdollingo Judicum carnificumque munus obeuntibus.

Duodecim Iudices Israelis constituit, & polygamiam Iudæorũ in adulterio repertus, vulgat.

XXIX. Demum Bocaldus sartor Rex proclamatur, & Reginã cum cõcubinis apparatuq; planè regio eligit.

Sed Bocaldus demum, à subornato Vate Joanne aurifabro in Regem Sionis postulatus, delectusque in cœmeterio D. Lamberti, gladium, tanquam à Deo oblatum, simulatâ licet tergiversatione accipit, Rothmannum suum interpretem nominat, quatuor à consiliis viros, pro custodia corporis, lictores duodecim, pro ministerio viginti & octo satellites deligit, rubro cæruleoque serico regiè excultos. Regina illi comes Harmelica cum tredecim concubinis ejusdem cupiditati obnoxiis, domi forisque adhærebat. Equos in comitatu facilè triginta serico auroque instratos ducebat. Regis essedum insigni purpuræ aurique colore ac pretio eminebat. Ipse ter in hebdomade forum conspectumque urbis ad caussas litesque discernendas subibat; pretiosissimo ad talos usque defluente paludamento inter auri argentique fulgorem coruscante accinctus. Aureus per collum pectusque torques oberrabat, qui in effigie suspensi orbis ensem decussatim fixum cum hac inscriptione præferret, vernaculo idiomate, *Rex justitiæ super omnes*. Capitis diadema ex puro conflatum auro, manusque sceptrum ejusdem metalli specie relucescebat. Quiescentis, aut euntis latus hinc unus cum triplici corona adolescens; illinc alter cum gladio exerto stipabat; ut Europæos post se Reges majestate umbratili facilè relinqueret.

XXX. Lites ipse ex solio dijudicat, ac subinde reliquis publicè in mensa ut Christus discipulis, servit, panem vinumque tribuens, mittitq; in orbem Apostolos ad prædicandum.

Post auditas dijudicatasque lites, ad saltum nonnunquam cives oblectaturus descendit, nonnunquam convocato ad latissimam summi templi aream populo, cœnam ex induratis recentibusque carnibus ac cocto Zytho ministrabat, quam denique fracto ipse distributoque omnibus per se Reginasque suas pane haustuque claudebat, his verbis, *Accipite & manducate*, &c. ut mensæ Dominicæ imaginem gustumque subditis exhiberet. Sub has epulas, tandem placuit delectos in orbem universum Evangelii sui præcones destinare; quòd ex hac rediviva Sione tanquam mundi Domina, salutem in omnes latè gentes imperiumque suum propagandum constanter assereret. Itaque unâ legatione octo & viginti quaquaversum dimissi, qui Apostolico munere sedulò, mortis etiam discrimine posthabito, fungerentur. Hi plerique intercepti, tam se insanire seriò ostenderunt; ut nullis etiam suppliciis, à bruto perfidiæ errore depelli potuerint. Unus Grasius ab Episcopo interceptus commutatâ in saniorem fraudem malitiâ ad urbem se recepit; ut exploratis obsessorum consiliis ac viribus, de iis opportunè Antistiti referret.

Alii

Alii tamen in Hollandiam Prophetæ submissi, magis ex voluntate rem agunt. Ghelius inprimis, qui Ambstelrodami acceptus, nec parvis suarum partium accessionibus fretus, denique audaci consilio Mariam Belgii moderatricem adit, personamque jam olim Frisico tumultu notam fatetur, seque Monasterium facilè Imperatori traditurum pollicetur, si factorum venia, facultasque apud Batavos morandi fiat. Nec gravatè obtinuit, proinde, apertam jam lucem Ambstelrodami nihil reformidans, insignem sibi perditorum suæque factionis hominum manum adjungit, quâ non jam ille Monasterium, sed Ambstelrodamum noctu aggreditur. Hi occupatâ ex voto curiâ, signum, ære campano conjuratis per urbem dandum, edere, ob amotum casu funem, non poterant, ita paucitate sua, & viribus impares internecione omnes seditionem luerunt. Harlemii nonnulli ejus sectæ homines, tanquam Deo familiares ac proximi, inter nefariæ superstitionis otia, ex summis ædium tectis, alimenta de cœlo præstolabantur.

1534. In Hollandiam missi, decepta Mariâ Belgii gubernatrice, penè Amstelrodamum intercepêre.

Nec minùs inter hæc stultè Monasterii se à Superis etiam in libertatem vindicandos sperabant; ut pertinacissimè iccirco, cum hoste foris ac cum extrema rerum penuria domi conflictarentur, aliâ aliâque exspectatione, ac spe, à subdolo Rege ad omnem patientiam obdurati. Emissa ex urbe Hilla est Frisici sanguinis mulier, quæ, velut altera Juditha, Principis sese caput ad urbem relaturam sperabat, instructa hunc in finem tenui ex lino subuculâ pestilenti veneno illitâ, quo se donatum Episcopum manibus immolaturam credebat; sed fraude jam per transfugam cognitâ, atrocissimis temeritatem suppliciis absolvit. Ejusmodi delusionibus miserrimæ plebeculæ diu impositum; dum per infames murium infantiumque epulas implacabilem gulæ rabiem utcunque componerent, extremasque humanarum rerum calamitates, jam etiam nolentes, interque armatorum manus constricti, tolerarent, cùm interim libertatem de cœlo vanis Bocaldi promissis lactati, insani mortales propediem semper exspectarent, exemploque docerent, à vera semel religione deflectentibus, aut spem immodicam, aut nullam relinqui. Vitia etiam servire pro virtutibus, cùm patientiæ ac constantiæ loco pervicaciam amplectantur.

XXXII. Cum Monasterium obsidione arcta premeretur, Hilla tanquam altera Judith egressa, Episcopo indusium veneno illitum, sed prodita, obtulit.

Interea obsidione jam in alterum annum extractâ, nonnemo transfugarum, exploratis circa urbem fossis, ac postulatis ab Episcopo sociis quadringentis, noctu foveas murosque felici conatu superat, unamque urbis portam, custodiis trucidatis, invadit, unde immisso milite atque ad summæ ædis campum traducto (ubi intra munitionum receptacula sese Anabaptistæ defendebant) atroci certamine magna sectariorum pars confecta est, atque in autores portentosæ conjurationis inquisitum, quorum, cum Bocaldo ex turris latibulis producto, duo præcipui Cnipperdollingus & Crechtingus ad Principem adducti, spectaculum omnibus, tum improbitatis, tum extremæ inter exquisita supplicia pertinaciæ dederunt. Nullum Bocaldus Antistiti honorem deferebat, sed ut famulum de trivio compellabat Francisci nomine, multumque sibi debere asserebat, quòd nullis ante munitionibus instructam contra vim tam egregiè urbem eduxerit. Posse se etiamnum utilissimam illi navare operam, si craticulato inclusum carceri per orbem

XXXIII. Vrbs denique occupatur & autores seditionis novo supplicio mulctati.

1535 bem novum hunc Regem Sionis spectandum circumferat, eâ lege, ut spectator quilibet sestertium pendat. Cui Princeps, consilium se accepturum, dixit, atque ex summa ædis Lambertinæ turri ad totius, non urbis modo, sed & orbis affluentis spectaculum ex ferrea cavea suspensurum recepit, quod exusto sensim, candentibus in foro laminis, unâ cum sociis, homini ad æternam facti memoriam accidit; ut pendentes hodiedum ex turri caveæ testantur. Quanquam & aurea etiamnum numismata Regis imagine insignita cum inscriptione *Rex Sion*, in manibus hominum spectaverim, dum hæc celebri illo anni MDCXLV Comitiorum tempore hac in urbe præsens scriberem. Ita post luctuosissimæ seditionis tragœdiam à principio superioris in quinti & trigesimi anni Junium productam. Deniq; ut *graves morbi diuturni plerumque non sunt*, ab omni respirare urbs hæresi atque ad pristina sese pietatis ac religionis vestigia cœpit recipere, nunquam post acceptam semel urbe Lutheranorum superstitionem, tam facilè ad sanitatem reducenda, nisi tam insano Anabaptismi paroxysmo brevi tempore laborasset: Ita *unum aliquando malum alterius est remedium*. Nec mirum eò sensim amentiæ prolabi potuisse perspicacis animi gentem, quæ, ubi recepto illo mutatæ religionis principio, quo quisque ex Scriptura S. capita veræ fidei definire conabatur, singulos per diversas rapi vias conspiciebat, cum Anabaptistis, ad interni spiritus definitionem omnia revocantibus sentire maluit: cùm hic solus inexpugnabilis; ille verò Scripturæ definientis sensus, propter variarum sententiarum fecunditatem contra adversarios non possit sustineri.

XXXIV. Italia ab hæresi intacta novum Pontificem accipit.

Dum illa hæresum passim invalescentium tempestas Europam latè quatit, sola Hispania Italiaque, insigni suorum Principum vigilantiâ curâque præmunitæ, nullam cladem acceperunt, aucto etiam religionis studio, velut collecto intensoque per vicinum frigus igne, severam instituerunt in omnem hæresin inquisitionem, alieno cauti periculo, & damnis feliciores. Nec sanè in administrata benè Rep. *lues illa perfidiæ* facilè adhærescit, quæ, *ut corporum contagio, vulgus ante plerumque quàm Proceres corripit, & à malis ferè moribus, tanquam aere corrupto, principium ducit*. Roma superiori anno Clementem longis morbi difficultatibus fractum amiserat, magnâ prudentiæ æquitatisque famâ celebratum, postquam jactatæ dudum patriæ pacem restituisset. Successit illi Alexander Farnesius Romanæ pietatis ac familiæ hæres laudatissimus, Pauli tertii nomine, quem non suffragiorum sorte, sed unanimi totius senatus consensione electum, urbs lætissimis animis vocibusque ad Vaticanam domum prosecuta est; quòd post tredecim Pontificiæ dignitatis viros, & integri seculi periodum sedes à Romani denique sanguinis Principe rursum occupata esset.

XXXV. Barbarossa potentissima classe astuque Tunetanum regnum, ejecto Muleasse Rege, pro Turca occupat.

Cœperant res ab Auria in Peloponneso erectæ, egregièque alterâ pòst expeditione defensæ, tandem deficientibus, inter hostium perpetuos assultus, Hispanis ad Solimannum rursus, desertâ Corone, deflectere. Cùmque Hariadenus Barbarossa ex humili pirata, fortunæ virtutumque auspiciis, ad summum classis Turcicæ imperium, eâ spe, admissus esset; ut Africæ subjugandæ vias rationesque expli-

1535

plicaret. Arte illud suâ potentiâque barbarorum fretus, ita feliciter executus est; ut ante expectationem hostile solum, ante pugnam victoriam occupaverit. Præcipuum illic Regnum, veteris Carthaginis loco, Tunetanus Rex Muleasses obtinebat, ex Mahomete duorum & viginti filiorum patre, ipse cum altero superstes, nam germanos octodecim sub parentis fata, immitis frater, vel acerbâ nece sustulerat, vel exustis ferro oculis regno inutiles fecerat; ne quem ex illis haberet potentiæ insidiatorem. Pari crudelitate in gravissimos Procerum desævitum est; ut infami tyrannide, non suorum modò odiis, sed & exterorum quoq; justissimâ indignatione imperii sui fortunam oneraverit. Igitur Roscetem unum ex Muleassis fratribus immanitati hominis fugâ subductum, Barbarossa sibi adjunctum fingit, ut, spe illius in Regnum sufficiendi, faciliores Pœnorum ad deditionem animos impelleret.

Iovius l. 34 & 35. Anton. de vera Figueroa in vita Caroli.

Nec fefellit astus, nam postquam centum propè triremium classe per Tyrrhenum mare Italiæ Hispaniæque oras allapsus, ingentem latè terrorem stragemq; miserandam Christianorum dedisset, versis ex improviso in Africam velis, Muleassem nihil hostile metuentem, ac navigationis specie delusum, facilè tanto armorum strepitu violentiâque oppressit. Siquidem primum venientis impetum Utica non diu sustinuit, unde Tunetum digressus Roscete in spem regni proposito, non magno labore gentis animos, jam etiam metu perculsos, eò adduxit, ut Muleasse repudiato, Roscetem Barbarossamque admitterent; sed ubi recepto intra mœnia Barbaro Roscetem non abesse modò, sed & Byzantii inter vincula detentum intelligerent, dolore atque indignatione concitati, inexspectatam omnibus perfidiam armis nequicquam ulcisci sunt conati. Quam audaciam cùm trium facilè millium clade luissent, denique hostili astu potentiâque oppressi, Solimanno sese juramento addixerunt. Hanc rerum inclinationem pronæ reliquorum per Numidiam oppidorum voluntates secutæ, brevi universam illam Africani imperii oram Ottomannico nomini adjunxerunt.

Muleasses profugus ab avunculo Dorace vicinæ gentis regulo, haud longè Constantinâ urbe receptus, regiisque sumptibus alitus est: dum postulatis Cæsar subsidiis adesset. Hic enim cùm intelligeret, quantùm ab audaci immensisque viribus subnixo hoste Barborossa Italiæ Hispaniæque periculi immineret, omni conatu Muleassen in amissam regni possessionem reducendum statuit. Præsertim cùm ille se Imperatori tributarium, hoc accepto beneficio, addiceret. Igitur conditis in Hispania ultimæ voluntatis tabulis, regnique administratione penès uxorem, jam prole gravem, relictâ, Barcelonam contendit, collectâque ibidem, ex Belgis Lusitanisque classe, quadriremem, quam adduxerat eodem, cum duarum & viginti triremium apparatu Andreas Auria, sub Maii exitum conscendit, ac dierum tredecim navigatione Calarim Sardiniæ appulit, ubi cognovit Germanos, Hispanos, Italosque milites, cum Pontificiis & Procerum Melitensium triremibus arma opesque in hoc bellum conferentibus, eo numero confluxisse, ut juncti secum septingentarum navium classem onerariæ bellicæque unà conficerent. Postquam soluta est quarto & decimo Junii die classis, postridie sese spe-

XXXVI. Pro Muleasse restituendo ingenti classe Carolus Imp. in Africam navigat.

ſtantibus Africa , hoſtiumque ex promontoriis ignes aperiebant.

XXXVII Barbaroſſa terreſtri, quam maritima defenſione mavult occurrere, ſucceſſu primo felici

Cæſar, cùm propiùs Guletam, maritimam Africæ urbem, claſſem admoviſſet, ac Barbaroſſam, ut ſperaverat, obvium fruſtra exſpectaſſet, duo exploratoria Gallorum navigia Tuneto Maſſiliam petentia occupat, ex quibus, tum Foreſtii, Franciſci Gallorum Regis Legati, conjuncta cum Barbaroſſa, in muniendis opportunè contra vim urbibus conſilia, tum hoſtis terreſtri potiùs quàm maritimo prælio fortunam belli experturi decreta intelligit. Terrebat magnopere tyrannum ipſa Cæſaris præſentia, quem temerè hoſtilis peregrinæque regionis oram minimè ſubiturum apparebat, nec rediturum ſine inſigni aliquo facinore, ac digna tantæ famæ nominisque gloria. Collegit tamen quantùm per feſtinationem licuit, Afrorum ac Numidarum centum ferè millium copias, quibus ipſe ſelectas Janizerorum cohortes, totius militiæ robur, addiderat, his ſe, minutioribus dimicationibus potiùs, quàm totis caſtris Cæſaris potentiam attriturum exiſtimabat. Nec prima initia votum exſpectationemque fefellêre; poſtquam enim Cæſarianorum caſtra, aliquot expugnatis munitionibus, Guletam, & propinquitate, & armis premerent; ſemel Itali, iterumque Hiſpani ſuis dejecti propugnaculis; illi Sarnenſem, hi Mendozam poſt ſe Ducem, cum inſigni detrimento, reliquêre.

XXXVIII. Caroli in bello eximia virtus.

Quanquam utcunque repoſita clades, quod præter Vaſtium, expertiſſimum Ducem, Cæſar ipſe in omnem occaſionem vigil, interque ipſas volitantium Numidarum turmas, majeſtatis ac diſcriminum negligens, locorum hoſtiumque præſidia inſpiceret, quamvis ſui illum periculorum publicæque ſalutis commemoratione nequicquam à minorum Ducum officiis revocarent: verùm Carolus, ut turpe eſt militi ad propinquum jaculorum ſtridorem caput ſubducere; ita exercitum inter adverſariorum impetus ſuo nudare capite noluit, ne cùm declinaret periculum, timere videretur. Barbaroſſa, præter urbanas copias, proximis olivetis ingentem hominum multitudinem condiderat, in quibus Numidæ, velox inſidioſumque militum genus, repentinis incertiſque noſtros præliis fatigabant. Huc Cæſar ipſe profectus, cæſis facilè ſexaginta Turcarum, ceteros loco ac tormentorum cuſtodiâ depulit, Mago Sacerdote fruſtra ante barbarorum caſtra ſuperſtitioſo ululatu, ſparſiſque in execrationem Chriſtianorum ſyngraphis, ſuos protegente; cùm ipſe inter reliquos prima caderet Martis victima, ac ſignatis cruore chartis imperatoriæ virtuti teſtimonium relinqueret.

XXXIX Muleaſſis Regis in caſtra Cæſaris adventus & habitus.

Muleaſſes poſtea, non magno ducentorum hominum comitatu, ad caſtra Cæſaris penetravit. Proceri corporis barbarus, obfuſco militarique vultu; ſed obliquâ oculorum acie, parum grato, qui, ut erat mitrato capite, talarique in veſte Cæſaris throno inſidentis dexteram exoſculatus, ac deinde juxtà humo tapetibus inſtratâ receptus, collectis illic, more patrio, cruribus, per interpretem Cæſarem ita allocutus eſt; ut & gratiam debere ſe illi oſtenderet, & beneficio reſponſurum abundè polliceretur.

XL Guleta per vim expug-

Maturandum porrò exiſtimabat Imperator, extremiſque Guletam pertentandam viribus, ideoque Menſe Julio admotâ per Oceanum claſſe, eductiſque terrâ per frontes propugnaculorũ tormentis ab aurora ad inclinantem jam prope

diem

diem tantâ vi numeroque globorum concussa sunt urbis mœnia, ut inter terribilem tormentorum fragorem mare exæstuare spumis ac fluctibus, terra sub pedibus dehiscere crederêtur, dum urbs muris propugnaculisque nudata latissimis ruinis aditum panderet. Tum verò triginta virorum millia Cæsaris præsentiâ ac cohortatione animata, pleno sese agmine per fossas mœniaque in urbem effundunt, quorum virtutem barbari cùm diu sustinere non possent, aut aversis sese Guletæ portis in fugam effundunt; aut ferro morteque præoccupati, stationem vitamque deserunt. Sinas præsidiariæ militiæ Princeps ponte in oppositam continentem, indeque Tunetum abiit. Ingentem urbis prædam nobilitarunt quadraginta bellici apparatus tormenta, & centum quinquaginta navium classis à Barbarossa in sinum Guletanum subducta, cetera militarium laborum præmia spoliaque fuêre.

1535. natur, & præda ingens capitur.

Post impositum urbi sexcentorum militum præsidium, Cæsar sine cunctatione Tunetum paucorum dierum itinere contendit, instructâ, atque ad hostem ubiq; excipiendum paratâ acie. Ipse, nunc inter primos pedestris militiæ ordines cataphractus, ferreâq; manum clavâ armatus, vehebatur; nunc juxta equitum phalangas, post Christi, sibi in crucis signo prælati, imaginem, equo iberico ferebatur, omnesque cùm verborum, tùm vultûs alacritate ad egregiam patiendi audendique virtutem obfirmabat. Peditatus Germanicus, inter sclopetariorum Hispanicæ Italicæque militiæ ordines, cum tormentis atque impedimentis medium obtinebat campum, ante quos equites, suas in turmas distributi, incedebant. Haud procul Tuneto Barbarossa centum Afrorum Numidarumque millia, inter obvia Cæsarianis oliveta, disposuerat. His, Turcici exercitus robora, decem millia peditum adjecerat. Quibus cùm paratâ occurrerent acie Christianorum copiæ, ingens ex dispositis circa tormentis pilarum in eos vis effusa est, quæ terrore majori, quàm damno in militem desæviret. Substiterunt imperterrita Christianorum agmina, ac denique suadente Vastio, ac probante Cæsare; ne exspectato quidem tormentorum apparatu in hostem pedes manusque concitant, qui cum hastatas Germanorum cohortes horrerent cominùs, ut qui inermes ad omnem ictum patebant, eminùs verò terribili glandium procellâ per sclopetarios obruerentur, effusâ retrò fugâ, & tormentorum ordines, & relictos in acie Turcarum Janizeros destituunt, qui, pro veteri nominis dignitate, pugnaturi substitêre; sed cum virtute numeroque impares hostili passim ferro occumberent, Barbarossam pudore metuque confusum, ad suburbanos muros consequuntur.

XLI. Tunetū instructâ acie Carolus petit, hostemque profligat.

Is cùm se urbi minimè crederet, inter spem timoremque anxius, statuit, & ultionis capiendæ & subsidii à Cæsare avertendi cupiditate, ingentem captivorum quam arci ex Christianis incluserat, multitudinem igne subjecto perdere. Quod extremum desperatæ crudelitatis consilium vix tandem Sinas Judæus barbaro dissuasit, sparsus tamen jam concepti facinoris rumor duos Christiani sanguinis inter Turcas libertos Medelinum Hispanum, & Catareum Dalmatam popularium miseratione tactos ad consilium opemque communicandam impulit. Servi postquam, instrumentis ad solvendos compedes subministratis, in libertatem se

XLII. Tunetū à captivis Christianis in libertatē assertis, Carolo ad subsidium accurenti traditur ac spoliatur.

1535. vendicassent, ejectis arcis præsidibus, armamentario potiti, Barbarossam, aditum deinde vi frustra precibusque tentantem, non ab arce tantùm, sed ab urbe ac regione totâ profugum avertunt. Signa verò ex altiori loco Cæsarianis occupatæ arcis exhibent. Cæsar ubi hostem in fugam sese conjicere animadverteret, urbis mœnibus exercitum admovet, quâ ultro receptus, obstare tamen, licet deprecante Muleasse, non potuit, quin avidissimo prædarum militi, nudoque ac laboribus exhausto locupletissimæ civitatis spolia indulgeret. Uni Vastio triginta facilè aureorum nummûm millia ex arcis cisterna extracta obvenêre, aliis quinquaginta; aliis etiam centum ferè millia ejusdem æris in prædam cessêre. Servorum viginti millia singulis à Cæsare vestimentis donata, libertatem etiam navatæ fideliter operæ pretium habuerunt. Arx omni tormentorum genere, armorumq; instructa varietate ac copia erat, inter quæ gallicis etiam insignibus conspicua servabantur, ex infelici ante annos trecentos S. Ludovici expeditione, ejusdemque urbis obsidione apud barbaros relicta.

XLIII. Muleasse restituto in regnũ, Cæsar languentem morbis exercitum in Siciliam reducit, ac dimittit.

Sub Julii denique exitum Muleasses suum in solium restitutus est, binique tantùm in censum annuum imperati falcones ac pernices equi, præter solvenda Guletano Cæsaris præsidio stipendia. Jam se Hipponem celebrem D. Augustini domicilio urbem, atque hinc denique Algerium Barbarossa receperat, quo suum Cæsar hostem non dubiâ victoriâ persecutus esset, nisi insolentiâ cœli expugnata militum valetudo, noxium alvi profluvium per exercitum vulgasset. Igitur ne Superis obluctari videretur, partamque gloriam morâ fortè inutili, suorumque interitu corrumperet, classem pro reditu instruit, Guletæ Bernardinum de Mendoza cum mille Hispanorum præsidio, ac triremibus decem, sub Antonii Auriæ imperio relinquit. Mox, Lusitanis abs se dimissis, ipse Drepanum in Siciliam contendit; ubi, persolutis militi stipendiis, discedendi facultatem plerisque fecit, tantùm veteranæ militiæ Hispanos, & duo Germanorum millia sub signis retinuit.

XLIV. Reformatis in Sicilia judiciis Cæsar Ferdinandum Gonzagam Proregem illi præficit, & Sphortia mortuo Gallos imminere Insubriæ cognoscit. *Jovius & Bellaius l. 4. de vera.*

Siciliam deinde Cæsar, eximiâ illum liberalitate excipientem, ab iniqua judiciorum tyrannide, castigatis erroribus legibusque instauratis, vendicat, ac Ferdinandum Gonzagam, egregiè hâc cum Cæsare militiâ perfunctum, Proregis autoritate illis præficit. Vix Siciliam ex Africa victor attigerat Carolus; cùm Franciscum Sphortiam principatu ac vitâ abiisse intelligit. Nova erat ambitionis bellorumque materies vacans capite Insubria. Franciscus enim Galliæ Rex antiquo hereditatis jure retrò à Valentina Comite (ut suprà meminimus) ducto, tùm Maximiliani Cæsaris indulto tabulisque, Ludovico Regi concessis, fretus, Cisalpinæ Galliæ possessionem armis sibi postliminiò adeundam censebat. Sed & religio illi erat, primum videri, qui pacem cum Cæsare initam manifestâ injuriâ violaret. Arte igitur utendum ratus, à Carolo Sabaudo Niceam, ære, quo olim oppignorata steterat, redimendam extorquere statuit; ut stricto per alienum latus in Cæsarem ferro viam Mediolano occupando idoneam sterneret. Erat Sabaudus Francisco avunculus vir æquus, neque gravatè cessurus urbem, sed Lusitana uxor suo illum amore ad Cæsaris favorem inflexerat; ut proinde nisi ejus

con-

consensu,aut offensione, Niceæ possessionem opportuno contra Gallum munimento abire non posset. 1536.

Hunc igitur de improviso Galli Duce Philippo Sciabotto aggressi, transalpinis facilè Allobrogum oppidis ejecerunt,qui deinde superatis Alpibus Taurino,Fossano,Penarolo,Gherioque expugnato Vercellis imminebant; nisi Antonius Leva currentem victoriarum impetum extractis Mediolano copiis nonnihil retardasset.Sed & Joannis Lotharingiæ Cardinalis, abs Rege pacis causâ ad Cæsarem Romam destinati, autoritas, Philippi successibus obfuit; cùm moneret,quietis tantisper armis citra Duriam amnem sese contineret, ne ab interrito Cæsare, & cogi nolente pacem magis extorquere velle,quàm rogare videantur. Vix ea sibi persuadere Philippus est passus, cessit tamen viri magis autoritate,quàm rationum pondere inflexus, tantâ Ducum militumque suorum indignatione,ut conculcatis fractisque passim armis, probrosâ detestatione Philippum execrarentur,qui tam certas victorias incertâ spe pacis corrumperet.Et verò ubi postea pacis exspectatione dejecti omnes,Imperator Galliæ visceribus arma inferret,proditionis suspicione oneratus Dux, post facultates, honoremque ademptum, vitâ etiam caruisset; nisi uxoris cum Rege affinitas supra invidiam valuisset.

XLV. Sciabottus Dux Gall. spe Cæsaris conciliandi cursum victoriarum abrumpit; sed fallitur.

Interea Neapolis Cæsarem hibernis feriis complexa, omni humanitate colebat,nec ille injucundum hoc sibi otium effluere passus, equestribus ludis ac illustrium personarum choreis eò liberaliùs indulsit, quòd à felicis belli laboribus, ad destinatas cum Alexandro Medices Margaritæ Filiæ nuptias celebrandas venisset. Sed hanc animi remissionem novis mox belli consiliis interturbavit, neque enim ad summa natis ingeniis inter quietem ipsam diu locus est, vasto simillimis oceano,qui crebros magnosque, tam ad utilitatem, quàm perniciem multorum,motus patitur.

Romæ inter utriusque partis Legatos Imperatorios & Regios, autore sequestroque Pontifice maximo Paulo III.pacis consilia agitabantur.Hinc Granvellanus Cæsarianarum;illinc Velleius Regiarum partium de pacis legibus disceptabant.Ille ad tria revocabat capita,de quibus Regiam definitionem Cæsar postularet.Primum erat de bello,consiliis armisque communicatis,Turcæ inferendo,eâ lege,ut onera fructumque belli ex æquo partirentur. Alterum de religione Christianâ per Europam atque inprimis Angliam aut collapsâ, aut ad ruinam spectante,ab interitu utriusque viribus revocandâ, eâ belli moderatione à Cæsare præscribendâ,quâ, & utilitati publicæ & autoritati regiæ optimè consultum esset.Tertium Italiæ tranquillitatem complectebatur,quam,nisi Rex Sabaudo parceret,Genuâ abiret,Mediolanum Engolismensi,præ Aureliano Duce concederet,frustra exspectari asserebat.Neque enim Imperator tantum de Italia æmulo potentissimo concedendum est arbitratus, ne his terminis non quieturo Regi viam ad cetera pronam aperiret.Velleius mente Francisci ante exploratâ, tandem in duorum capitum postulatis Imperatori Regem accessurum declarabat;unum poscere,ne Aurelianum Filium Mediolano excludat. Id si admittat, vi-

XLVI. De pace Romæ, quibus consiliis, legibusque coram Pontifice Paulo 3. actum sit.

1536. vicissim jure suo, quòd in Neapolitanum regnum possideat ultrò cessurum, additurum etiam Cæsari nummûm aureorum millia 400. effecturumque, ut per Germaniam Ferdinandus Cæsaris frater Romanorum Regis titulum à Principibus, hactenus invitis, obtineat. Cum Sabaudo tamen, nisi alienâ hereditate abeat, armorum periculo disceptaturum.

XLVII. Carolus Cæsar Romæ magnificè except us, Christiano pietatis exemplo fungitur.

Sub hæc Idibus Aprilis Cæsar triumphali apparatu omniumq; ordinum gratulatione Romam ingressus, ad Basilicam D. Petri à Pontifice mitrato excipitur, ac deinde post vota ad Principis Apostolorum sepulchrum persoluta, eam partem Vaticanæ domus subiit, quæ, auro ac marmore illustris, olim ab Alexandro sexto Pontifice Carolo Galliæ Regi, hospitali munificentiâ, instructa fuerat. Alterum penè diem cum Pontifice in privatarum publicarumque rerum consiliis absumpsit. Paschalibus deinde festis pietatem impendio coluit, abjectus solenni Dominicæ cænæ die, ad pauperum 12. extergendos pedes, quos non minùs suâ humanitate, quàm liberalitate recreavit, argentea suppellectili, ex qua eis cibum ministrârat, in eosdem divisâ. Die verò resurgenti Christo sacrâ imperatoriis ornamentis decorus, Pontifici divinis operanti minister adstitit, ac deinde in proximo conclavi, quo à sacrificio solennem cultum positurus recipitur Pontifex, in circumfusa Legatorum Principum Cardinaliumque corona, Orationem in hanc sententiam Hispanico sermone orditur.

XLVIII. Vehemēs Caroli oratio, quibus dissensionū exitialiū causas in Franciscum derivat, optatque duello litem finiri, ut multorum sanguine parcatur. *Jov. l. 35. & Bellaius l. 5.* Optat arma in Turcas sociari. Ostendit nullo hactenus e-

* *Quibus de causis, Sanctissime Pater, ac Principes illustrissimi, huc Romam accesserim, vobis hodie aperiendum duxi; ut intelligant omnes, non bellorum, sed pacis voluntate Europam me repetere. Exterarum gentium prædones, nostris infestos regionibus, non tantùm ab Italiæ oris, sed & regnis suis ejeci, ut tranquillitatem Europæis certiorem facerem, ut religionis nostræ hostes, non à vita fortunisque Christianorum; sed & spe sua, ultionisque potestate amoverem. Atque utinam mecum omnes Europæ Principes, utinam Galliæ Reges, arma toties in Christianorum jugulum stricta, neque sat digno cruentata sanguine, mecum in Maurorum Turcarumque excidium verterent, non ad illam vastitatem squaloremque, illa terrarum domina, Europa vergeret. Scimus quanto studio felicissimæ memoriæ majores nostri Leo Pontifex atque Imperator Maximilianus hoc egerint, quantò nos deinde opere idipsum verbis factisque omnibus moliti simus; ut, collatis armis viribusque, Turcarum vis atq; insolentia quotidie nobis gravior, ante ruinam nostram, opprimeretur; ut hæresi per Germaniam jam, Angliamque adultæ, per Galliam non obscuris incrementis enascenti, tum pro se quisque, tum ope vicißim communicatâ tempestivè occurreretur, ne robusto jam incurabilique malo sera nequicquam remedia postulentur. Sed, prô dolor, fatalia exercemus odia, mutuis ambitionibus distracti, Europæ Principes; non jam pro religione ac fide, pro aris templisque Divorum immortalium; sed pro silvis ac montibus, pro vallis terminisque regnorum propagandis suscepta dimicatio est. Nihil de nomine atque existimatione nostra cedendum alteri, pro inanibus sæpè titulis, & rerum momentis, vento levioribus, exitiali ferro concurritur, opprimuntur subditi, exhauriuntur regiones & oppida, humanæ divinæque leges improbâ temeritate calcantur; ut vel Regum satietur invidia, vel cupiditas expleatur. In hos ego, si quando impegerim scòpulos, reprehensionem nullius morabor. Illius certè voluntatis conscientiam testem circumfero, quæ eam semper votis pacem complexa est, quâ, Europâ ad tran-*

1536.

tranquillitatem compositâ, Asia Africaque nostris armis contremerent, utrum rectè, illi judicent, qui quantùm inter Christianum barbarumque sanguinem; mansuetudinem nostram & illorum immanitatem, fidem nostram, illorumque perfidiam intersit, non ignorant. Felices enimverò nos, & opibus auctiores, & virtutibus meliores, si possessionibus nostris ejicere potiùs barbaros, quàm suis amicos cuperemus; si religionis nostræ arces, munimenta fidei, Christianorum avitas sedes, armis junctis occupatas, liberis ac posteris nostris fruendas transmitteremus. Esset profectò in armis communibus decus, in præliis æquitas, in victoriis gloria; nunc arma cum perfidia sumimus, cum dedecore circumferimus, cum injuria infligimus, cum ignominia deponimus. Date veniam, ô Principes, si animi mei sententiam liberè enuntiem. Franciscus Galliæ Rex est, qui tam laudabilis propositi susceptas à multis cogitationes maximè evertit, cujus tamen amicitiæ, inter prima regnandi exordia, omnia posthabui; adeò etiam, ut avo Maximiliano contra invasorem Insubriæ Regem adhærescere noluerim, ne pietatem colere cum fidei detrimento viderer, ac sanguini plus tribuere, quàm fœderi. Sed enim, ubi me sibi, Romani Imperij dignitate, prælatum Franciscus animadverteret, tum invidiâ odioque stimulante Marcanum in Belgio, Navarraum in Hispania, Henricum in Anglia, Clementem Pontificem, aliosque in Italia Principes infestis artibus armisque concitavit. Quæ machinationes cum infelici denique eventu in caput autoris reciderent, measque inter manus constrictus hostis teneretur, nihil magis egi, quàm ne inimicum à me dimitterem, iisque devincirem legibus, quibus, & æquitas, & pax fulciretur. Sed indultæ libertatis gratiam ad funesta rursus armorum consilia vertit, fidei suæ humanitatisque nostræ prorsus immemor. Iterum tamen pacis studio impulsus mitioribus longè fœderum conditionibus me illi Cameraci obstrinxi, ut omnia me, præter Christianorum bella, cupere orbis intelligeret. At postquam obsides recepit liberos, quænam obsecro Regis fides, eò præsertim tempore, quo aversa Christianorum cervicibus arma (quod votis omnibus tam anxiè satagebam) in communem hostem nostroque juratum nomini converterem? Quid enim non egit apud Saxonem, Hassum, Wirtenbergicum, ut Germaniam mihi hostilibus armis rebellione atque hæresi obstrepentem infestiorem redderet? ut aliis aliisque bellorum tempestatibus Italiæ tranquillitatem disturbaret? quod nemo ignorabit, nisi qui nondum animadverterit, Galliam nullis tam firmis limitibus includi posse, quos non immensa transiliat imperandi cupiditas: non illam Rheni Mosæque fluminibus, non Alpium Pyrenæisque montibus cohiberi: Francisci ambitionem Europæ ambitu esse majorem. Interea, quo hactenus suo ad victoriam emolumento, atque ad regnum accessione Italiæ quies interturbata, tantumque sanguinis Christiani fusum sit, abundè intelligit, nisi carceris jam tum, damnorumque acceptorum oblivio sensum omnem calamitatis absterserit. Et verò si propriis cladibus à bello ad pacis consilia abstrahi nondum potuit, tantùm promissa Sacramento firmata apud Franciscum, neque sui, neque religionis prorsus, ut reor, immemorem valere debuerant, ut juratis deinde Galliæ Regibus etiam fides haberi possit. Vbi illæ jam voces inter vincula manusque nostras à Francisco, Divorum etiam obtestatione interpositâ, enuntiatæ: nunquam pacis leges deinde abs illo violandas, Mediolano Burgundiâque abiturum cum posteris Regem? quid porrò abs Rege, post delatam per me libertatem, præstitum his affine pollicitationibus? quàm pugnantia verbis facta? ubi pacis ulla, inter hostiles unquam machinationes, cogitatio? ubi Italiæ Germaniæque quies inter artes mille aliena subvertendi, inter tot in me meamque

molumento bellorū inter utrosque pugnari.

Franciscum nec captivum quidem ullis legibus adstringi potuisse.

Protestãtibus in Germania adhæsisse, ut sui tãtùm regni limites proferat.

Promissam fefellisse fidem.

fami-

1536. *familiam provocatos hostes, quot neque Europa sola complectitur? Tantùm abest, ut Turcarum perfidiam audaciamque reprimendam, piâ armorum conspiratione existimet; ut etiam legationibus destinatis, ne dicam promissionibus alat, excitetque. Nimirum tantùm exoleta quadam, atque ab inferis veluti excitata Cisalpinæ Galliæ aliarumque regionum jura apud Franciscum potuerunt; ut datæ abs se fidei, ut religionis, ut legum atque æquitatis oblitus, tam audax, temerarium, detestandumque nihil sit, quod admittere non vereatur. Nondum hactenus satis ipsi sanguinis profusum videtur, Italiam toties omni nationum cruore pollutam, a Gallorum præsertim oneratam cadaveribus, jam ad novum excidium infestis armis repetit. Æstiva sibi alienis in agris designat, urbes oppidaque ad rapinam destinat. Italiam sibi, tanquam ferale cædium incendiorumque excitandorum theatrum delegit. Vbi tot innocentes animæ unius ambitioni ac crudelitati debeant immolari. Non ignoro, quod eorundem me scelerum arguat Franciscus, quorum illum reum facio? Nec equidem, his me prorsus eximam, non absolvam tot malis. Verùm si dubio jure, si ambitione mutua, si certis innocentum ruinis, si tot hominum cædibus, si religionis neglectæ exitio concurrimus, quin unius alteriusve hominis clade controversiam finimus? si arma pacis consiliis præfert; arma induat: nihil moror, atque in arenam mecum concedat, ut alterius morte lis simul jusque illud quo bella intentamus, emoriatur. Multò enim si ita sors ferat, malim vita dejici, quàm certissimo proposito defendendi ea, quæ à Majoribus accepta. Intempestivâ liberalitate, aut indulgentiâ posteris eripienda nequaquam sunt, pro quibus conservandis tot hactenus susceptæ contentiones, tot pericula adita, tantum sanguinis profusum est. Agamus igitur, & præteritis immerentûm cervicibus, nostro unius discrimine, belli pacisque aleam experiamur, æquum enim est, eorum potissimùm sanguine, quorum indignatione primùm concitata sit, tam cruentam tragœdiam terminari.**

Turcæ adhærescere.

Italiam nunc rursum infestis armis ingressum.

Præstare suo duorum, quàm tot innocentum sanguine litem finiri.

XLIX.

Pontifex inter Legatos Regis & Cæsarem medius, pacare, & animum à duello avocare nititur.

Erat hæc oratio Cæsaris magno animi sensu vehementer inflammata, nec mediocri bile perfusa, quam concierat sugillata abs Velleio Cæsaris fides, pollicitationibus, ut ferebat, obstricta de Mediolani principatu Henrico Regis filio adjudicando. Quare nec eundem, cum Maconio ejusdem Regis Legato, responsa meditantem admisit. Pontifex verò Legatis Caroloque se medium objiciens amplexu verbisque humanissimis Cæsarem excipit.* *Absit*, inquit, *tanto, maximorum virorum, periculo, tamque funestis cladibus pacem quæri. Amplector sanè egregiam voluntatem illam, quâ salutem publicam, fidem, religionem pacis magis, quàm belli artibus procurandam censes; sed ut probem illum calorem tuum, fortissimè Cæsar, quo te, aut Franciscum aut utrumque etiam, huic fecundissimo malorum ævo tam necessarium, discrimini haud dubio objicis, illud nequaquam possum. Deus vos ad majorem Europæ fortunam, ad illustriorem nominis vestri famam, ad hæreticorum, gentiumque barbararum terrorem, incolumes etiamnum esse voluit; & ut porrò velit, neque sperare ego, neque orare desinam. Si bello experiri certum est, neque mea hactenus industria arma vobis de manibus removere potuit, totis potiùs castris, quàm singularibus armis concurratur. Quanquam, ne & illud fiat, paxque novis dissensionibus violetur, atque, attritis domi viribus, imbelle ac nudum latus Turcarum ferociæ objiciamus, operam daturus sim, uti spero apud optimos Principes benè collocandam. Et ne communi omnium parentis officio minùs opportunè candidèque fungar, neutri me parti fautorem addicam. Stabo Regem inter Cæsaremque medius, & quem ad concepta odia*

per-

pertinaciam adjungere videro, ei demum me, par erit, iniquiorem animum gerere, ejusque temeritatem aversari. 1536. L. Carolum tamen à consilio armorũ in Franciscum amovere non potuit.

Nec segniùs deinde hac in re versatus est Pontifex, quàm locutus, quanquam à præsente Carolo, vim omnem in Franciscum destinante, nihil pacatum obtineri poterat. Hic enim jam totus belli meditatione occupatus festinabat abitum. Quocirca postridie in Etruriam viâ Cassiâ properavit, Senas, totâ urbe applaudente, triumphantis specie invectus: nec minori plausu exceptus Florentiæ ab Alexandro Medices genero, denique Lucæ urbe opulentiâ, quàm mœnibus ampliore, paribus officiis cultus, Astam contendit, ubi Fossanum ab Antonio Leva expugnatum intelligit. Qui Cæsari, ut Italiâ relictâ in Galliam transportaret exercitum, autor inprimis extitit, reclamante nequicquam cum aliis Vastio, atque ubi evincere non posset, publicato etiam scripto oppositam sententiam vulgante, qui Gallos & multitudine copiarum & Fossani expugnatione perculsos Taurino haud difficulter ejici posse censebat.

LI. Expeditionem in Galliã contra Vastii consilia molitur. *Iovius l. 36. Bellaius 6 & 7*

Sed enim Cæsar immaturâ & spe, & deliberatione Galliæ regnum complexus, gemino exercitu, suo quem ducebat, alioque, quem ex Belgis Maria soror erat submissura, Franciscum, ad vim tantam imparatum opprimere moliebatur. Accedebat Massiliæ potiundæ spes proditorum fide nixa, tum deinde ex Helvetiis mercenaria Gallorum subsidia Cæsaris artificio alienata. Quare ingentibus copiis terrâ marique, illinc per Alpes diversis itineribus, hinc à Savonæ portu Aurianâ classe Gallia petebatur. Inter hæc Pontifex, Caroli jam antè inspectis consiliis, Franciscum periculi admonuit, suasitque pacis leges arbitrio Cæsaris exhibitas acciperet potiùs, quàm imminentis belli aleæ regni sui fortunam committeret.

LII. Franciscus potenti adversus illum exercitu instruitur.

At verò is non fuit Franciscus, qui, justo licet metu provocatus, animum viresque desponderet. Noverat ille, quantum Gallis, pro tectis focisque decertantibus, virium adderet patriæ Regisque periclitantis incolumitas: quantum exteris nationibus defuturum esset alieno in solo, mediosque inter hostes, ad bella præsidium. Nihil itaque moræ, beneficiarios totamque nobilitatem ad arma vocat, castrisque ad Avineonem coactis, distributisque opportunè per loca hostibus adeunda præsidiis, impetum vimque metuendam retardabat. Neque segniùs per Legatos Regios, tùm apud Italos, tùm Helvetios actum de subsidiario milite, non perditâ operâ; Nam & Itali Gallici fautores nominis Caninicus Gonzaga, Cæsar Fregosius, aliique, in quibus Petrus Strozza Florentinus exul, & Pallavicinus, Insubrum facilè Princeps, sub Guidone Ringono Duce 8. millium numero Apenninum transvecti sunt, spe potiundæ Genuæ. Et Helvetiorum vis ingens spretâ magistratuum suorum autoritate, Gallicis pecuniis tracta, de pagis ad viginti affluxit millia, imprimis juventus armis idonea; iniquum, veterique societate ac fœdere indignum asserens, ut vicinum Regem, tot in Helvetios milites præmiis celebrem, in illo nutantis fortunæ articulo desererent, Calcemito prompto milite, ejus præsertim consilii audaciæque administro. Hæc an Carolus formidaverit, incertum. Ascanium tamen Columnam, eventu non perinde facili, ad

1536. primas Italiæ urbes Proceresque atque ipsum adeò Pontificem, subsidiariæ opis gratiâ destinat, seque non tam privatis adductum emolumentis, quàm Italiæ totius incolumitati consulentem, hoc bellum ingressum profitetur, statuisse quietem publicam, vel ab invito Rege, extorquere, æquum propterea videri, ut Italia in belli impensarumque partem veniat.

LIII. Pontificem Carolus frustra ad suas partes, etiam promissis, traducere conatur.

Pontificem verò Gallici fœderis cum Turca initi commonefacit, * *Solimannum præ Siciliæ atque adeò Italiæ totius foribus, instructissimâ classe affuturum, non dissimulandum ulterius videri, arma proinde libertatis publicæ tuendæ gratiâ in Christianæ tranquillitatis turbatorem Regem secum capesceret; ne Turcæ, mutuis contentionibus divisa Europa in prædam offeratur.* * Addidit Mediolanensem se Principatum ad ejus voluntatem Pontificiis etiam Nepotibus cessurum. Ascanius sua per viam mandata Genuensibus, Lucensibus, Florentinis, ac Senensibus exposuit, paratis ad Pontificis Cæsarisque arbitrium communi tranquillitati consulere. At ille: * *Laudato Cæsaris animo, quo Italiæ incolumitati consultum vellet, nullâ tamen illud facilius arte, quàm armis ad communem quietem depositis conjecturum affirmabat. Solimanno jucundius spectaculum nullum esse posse, quàm cum duos orbis Christiani maximos Principes suis se viribus atterere, suis mactare cladibus videat, ubi deinde ipse victoribus juxta ac victis dominaturum se speret. Paci igitur se, non armis Cæsaris facturum, nullâ mercede bellis adfuturum, Principatum omnem suæ licet familiæ delatum infra publicam famam ac salutem ducere, virtuti atque æquitati sua nunquam defutura esse præmia, ab illis nullis se unquam pollicitationibus dimovendũ.* * Potuissent hæc permovere Principem cetera prudentissimum, nisi difficillimum esset animo irâ atque ambitione occupato æqua suadentibus obtemperare. Neque Pontificis hic substitit diligentia, Generale Christiani orbis concilium in sequentem annum Mantuæ, fertilissimâ Italiæ urbe, colligendum, suadente etiam Cæsare, imperavit; ut fidei bellique controversias per Europam communibus suffragiis opibusque componeret.

LIV. Cæsar iteratò Massiliã tentat primis felix successibus.

Jam Cæsar motis è foro Julii castris sancti Maximi Vocontiorum oppidum attigerat, necessariâ etiam commeatus copiâ, ex desertis fugâ rusticorum villis, collectâ. at brevi regio edicto cautum, ne quid in usum supervenientis hostis à profugis relinqueretur, cui rei certiùs exequẽdæ submissi cum binis equitum alis & tribus peditum cohortibus Montegianus & Boissivus, ille militiâ, hic genere nobilior. Nec segniter ab illis actum, aut avecta aut flammis consumpta sunt, quæ venienti hosti emolumento esse possent duro agrestium subsidio, cùm perderentur, ne perirent. At Cæsariani levis armaturæ milites à Ferdinando Gonzaga educti, & in utrumque delati Ducem, Montegianum, Boissivumque, nequicquam certamen dissuadentem, ita post atrocem utrimque pugnam circumstetêre, ut neque cladis nuntius, gladio exemptus vinculisve superesset. His auspiciis lætus Cæsar ad Massiliam castra promovit, ubi spe urbis proditione dedendæ frustra substitit, morbis interea per exercitum sparsis; quòd commeatus pressi inopiâ milites, Germani præsertim, crudis fructibus mustoque ex uvis immaturo ventres farcirent, grassantique alvi profluvio alimenta subjicerent. Et Auria quidem ex Tolonæ, abs se occupato, portu necessaria sufficere poterat, nisi

nisi obsessa per accolas itinera, & semota procul Massilia, difficultatem objecissent.

LV. Sed rursum hic fortuna & virtus hæsit.

Ignoratum tamen est, quo hic fato pristina Cæsaris virtus languesceret? cur eisdem vestigiis insisterent castra? cur nihil arduum moliretur, & cum hoste mallet, quàm morbis confligere? hæsit igitur, tanquam impactâ in Vadum fortunâ, neque unquam captorum magis pœnituit, donec quartâ jam parte legionum consumptâ, ipse denique Antonius Leva belli maximus autor fortunæ mortique adversanti succumberet, animusque Cæsaris ad victoriæ desperationem concideret. Nam & Guido Rangonus imminebat Genuæ, de qua, nisi Auria præmonitus Augustinum Spinolam subsidio destinasset, jam actũ fuerat. Et Helveti numero suprà Regis penè voluntatem aucto, magnâ festinatione, vexillis etiam post se relictis, aderant, ita ut, versâ subitò martis aleâ, spem Cæsaris Rex, metum Regis Cæsar occuparet: victorisque ad victum omnia transferrentur. Pari militabat successu Belgici exercitus ductor Nassavius, qui post Braiam Guisamque Picardiæ urbes interceptas, ad Peronam, nullo operæ pretio, muros tormentis, turresque cuniculis subverterat, hostium virtute ruinam omnem instaurante. Aderant quoque à Pontifice Legati Cardinales ad Regem alter, alter ad Cæsarem, qui armorum furorem pacis mitigarent consiliis. Tot causis inductus Cæsar quærebat, autumno jam cadente reditum, iis, quibus terrâ marique venerat itineribus.

LVI. Franciscus tamen Cæsarē aggredi nō ausus, redire tutò in Italiā passus est.

Hæc Franciscum otiosè spectasse, Cabelloni jam oppido ad Druentiam vicinum, vel ipse admiratus est Carolus; quod novissimam afflicti præsertim exercitus partem magnis cladibus carpere licuisset. Sed non ignorabat prudens Rex abeunti potiùs hosti pontem sternendum, quàm periculoso, quod timeri poterat, certamine respirantem Galliæ fortunam in discrimen vocandam. Satis ad famam gloriamque Regis erat, geminum exercitum, eumque validissimum, hinc Nassavii de Picardia, illinc Cæsaris ejectum de Provincia, parvo Gallicarũ copiarum detrimento victoriâ tantò certiori, quantò minùs cruentâ. Quam laudem cum ambigua pugnandi fortuna Rex noluit periclitari. Porrò Cæsare Genuam cum Auria triremibus advecto, Vastius magnam exercitûs partem sub Alpinæ Regioni induxit, ut Gallorum illic successibus, Guidonis accessione auctis occurreret. Franciscus verò, tum ut illatas sibi clades ultum iret, tum ne exercitum, nullo belli emolumento, ad otium coëgisse videretur. Artes jam ingressus, Hesdinum munitissimum Belgarum oppidum, tantâ vi adortus est, ut quinquagesimo obsidionis die suæ potestatis fecerit, ac promotis inde castris præter Fanum D. Pauli Lilleriumque, Venantiam inter paludes sitam, cruentâ utrimque dimicatione occuparit, Belgis ad sera præsidia circumspicientibus. Hi tamen denique, Gallis ad sua reductis, Hesdinum incautis, si possent, rursus erepturi ad arma vocabantur, quòd hanc Carolus jacturam perquam sentiret graviter. At enim Gallorum ea fuerat cautio ac solertia, ut urbis præsidia opinione essent firmiora, ac proinde Reussius Buranusque oppido suâque spe dejecti, post fanum D. Pauli expugnatum, soloque æquatis munitionibus ad Tarvannam Morino-

In bello Belgico felices Rex progressus habuit.

1537.

rum urbem castra viresque omnes admoverint, eo quidem eventu, ut Gallorum rursus, nocturno transitu commeatum præsidiaque inferentium, delusi industria, retrò domum abscesserint. Quanquam sine clade hanc Galli felicitatem non occupaverint, dum enim ab urbe reduces, fortiùs quàm prudentiùs sese prælio objiciunt, circumventi hostium multitudine, plerique cum Duce Hanibaldo aut ferro vitam, aut vinculis libertatem amiserunt, ancipiti existimatione, inter victos an victores censendi essent? cum salutem, quam aliis attulissent aversâ sibi felicitate perderent.

Frecherus tom. 3 Germ. Bellaius l. 8 Belc. 22. Sur. Schleidanus.

LVII.

An hoc tempore Franciscus Solimannũ contra Carolũ invitarit, ambiguum. Apud Germaniæ Principes certè purgat sese, & graviter Carolum perstringit. *Sed Spondanus factum agnoscit ad hunc an.* Quod is barbarũ Muleassen juvet qui Ferdinandus fratrem in Pannonia destituit. Ostendit se paratum obtulisse Cæsari adversus Turcam in Pannonia militem. Sabaudiam, quam armis repetat, sibi deberi.

Memorant deinde horum temporum Scriptores Belcarius ac Jovius Franciscum Regem destinato ad Turcam Legato Joanne Forestio Solimannum adversus Carolum ingenti expeditione in Italiam pertraxisse. Rem quæ ob facinoris gravitatem & insanum vindictæ consilium, fidem in tam Christiano Principe propemodum superet, cùm per exemplorum veritatem ex Bizantinis Imperatoribus ac Pannoniæ Waivodis ignorare non potuerit, quo præmio Turcarum auxilia implorentur. Certè Rex datis Smalcaldiam ad fœderatos Germaniæ Principes ipsumque Pontificem litteris scriptisque apologeticis hanc à se facti existimationem famamque amolitur, earumque omnium, quarum Romæ à Carolo injuriarum accusatus fuerat, vim ac machinationem in Carolum detorquet. * *Hunc pro impurissimo crudelissimoque Tunetanæ gentis Tyranno tantam suscepisse belli molem, nullo quidem alio rerum emolumento, quàm ut lacessitum suis in sedibus Solimannum vindictæ cupiditate adversus Christianos acerbiùs inflammaret, ac deinde in aliena innocentûm capita provocatam Turcarum immanitatem derivaret. Si tanto Cæsar æstuet adversus hujus Tyranni barbariem depugnandi ardore, cur opportunis nuper odiis armisq́, cùm illum in Austria ante oculos manusque spectaret, usus non sit? cur degeneri potiùs consilio hostile tergum, quàm vultum intueri maluerit? Veteres Catholicorum in Pannonia sedes, ab immanissimo insessos hoste, tam fœdo omnibusque Christianis luctuoso exemplo deseruerit & barbaro magis Punicaque fraudis homini, quàm Ferdinando fratri Ecclesiæque inter extremam hostium tyrannidem destitutæ auxilia præstiterit. Enimverò hic in ipsa illi meridie illud obtentæ semper pietatis religionisque velum excidisse observatum est, qui nisi spes aliqua prædæ regnique alieni effulgeat, nisi in Europæ viscera cognatosque Reges ferrum stringatur, bellicus ille animi ardor, tanquam affusa frigida, restinguitur. Satis interea existimat, si in Gallos, quos immortalibus tantùm prosequitur odiis, factorum suorum invidiam utcunque exoneret. Nimirum nos illi sumus, qui totâ Christianorum Rep. in juratum Europæ hostem conspirante, soli defuimus, postulata denegavimus præsidia, contra barbaros absenti novas per Italiam bellorum insidias adornamus? Argentum à nobis poscebat Carolus cùm adversus Solimannum iret. Obtulimus militem, eumque, ne minùs fideret, Germanum: nummularij enim Reges non sumus, sed ferrum nobis in hostes pro amicis promptum est. Nos machinari adversus Insubriam nova comminiscebatur, ut cùm Solimanni vires meticulosè declinaret, alienæ obtentu ignominiæ proprium dedecus calumniosè obtegeret. Nunc iterum ex Africa redux, ut otiosam in me meosque bellorum turbam concitaret, ferre non potuit æquissima à nobis illata Sabaudiæ arma, quibus tum Ludovicæ matris hereditatem ex*

avun-

avunculi Caroli manibus, tum Niceam Taurinumque Gallici juris, antiquissimâ retrò memoriâ avorum, oppida repetimus. Et verò, ut etiam demus (quod, tanquam plenissimum perfidiæ facinus in nobis reprehendit) armorum præsidio Insubriam nos rursum cogitare. Nihil hic sceleris perfidiæque agnoscimus, nisi etiam nefas sit, patriis legitimum heredem possessionibus potiri? Sphortiâ jam morte amoto, nemo vicinior nobis hujus imperij possessor relinquitur, neque obnuntiare ullo fœdere huic meorum filiorum juri poteram, qui illud non parenti, sed proavis acceptum referunt. Mihi facilè negavero, posteritatem certè spoliare non debeo. Quid? quod Maravilliæ, Legati mei, cædis, à Sphortia crudelissimè ac nefariè, contra jus gentium, patratæ, nec à Cæsare improbatæ, vindictam exegerim? Porrò cùm ambitiosâ dominandi libidine aliena me tanti sanguinis profusione, appetere, jus fasque conculcare, fidem obligatam abrumpere, aliosque atque alios in Cæsarem concitare hostes, tumultiosius, quàm verius Carolus declamat, suo meam indolem metitur ingenio, quæque in meipsum insidiosè machinatur, intempestivo convitio, in caput innocentis amolitur. Nihil ante pacem haberem carius, modò avitis possessionibus per summam injuriam non dejicerer. Fidem, quam captivus, & extremâ necessitate circumventus dedi Cæsari, quantùm per regni mei jura licuisset, inviolatam ad ipsos sepulcri deduxissem aditus, si jam fide datâ, fidem mereri potuissem, neque turpi etiamnum post conciliatum fœdus, custodiâ septus, barbarâ inhumanitate tractatus essem. Taceo, apud Sarazenos olim Reges nostros ex vinculis in libertatem vindicari mitiori longè pœnâ, æris, non regnorum pretio definitâ, potuisse; ut mihi, cùm supra æquitatem imperata mulcta sit, intra æquitatis limites eam detrectare licuerit. Hostes cùm Cæsar plurimos habeat, maximisque in se offensionibus provocet, non est quod mihi nascentes passim inimicitias imputet. Marcanus non meo consilio, sed magnis in Cæsarem excitatus injuriis bello offendit. Gallum etiam, quem me per morbi tempus inconsulto, militem adhibuit, à signis revocavi; ne illius mihi causæ potior æquitas, quàm obligata Cæsari fides videretur, Navarræum, consanguineum nobis Regem solâ Pontificis sententiâ & Ferdinandi Arragonij Regis armis, nullo suo delicto (nisi quo Ludovicus etiam Rex ac Cæsar Maximilianus Pontifici adversando peccarunt) regno exclusum, cur opibus virisque nostra implorantem auxilia non sublevarem, cùm præsertim illius in fœdere causam exceperim? Wirtenburgi Ducem, an pecuniis ad bellum instruxerim nescio; illud non ignoro, pro limitaneâ mihi arce tradita, aurum ex nostro ærario refusum esse, quam si Germani bello impenderint, suo illud arbitratu, non judicio alieno aggressi sunt. Ceterum lubenter me profiteor Germanorum amicitiam, à priscis retrò seculis repetitam colere, eorumque tuendæ contra adversarios libertati omnem navare operam, cùm ex eodem majores nostri sanguine eodemque solo originem duxerint. Quanquam illa innovatæ religionis immoderata nimium studia minus probem, & tempestivis consiliorum remediis sananda existimem. Sed jam diu hæc curata essent vulnera, si non majori industria regiones Cæsar, quàm religionem quæreret. Interea nos clamat fidem, pietatem, Ecclesiamque pessundare, ac non seditiosos tantùm Europæos, sed & immanissimum Christianorum hostem Solimannum in Cæsarem provocare. Quo verò rem tantam argumento, quibus indiciis, quibus testimoniis convincet? An quod Solimannus ad me Legatos, ego ad illum destinaverim? si illud exprobrandum Christiano Principi crimen est, jam ipsum cum Ferdinando Cæsarem ejusdem sceleris convincam. An quod propitium benevolumque præ Cæsare Tyrannum fecerim, id vitiorum loco imputabitur,

Insubriæ se quoq; heredem esse, mortuo Sphortia.

Fidem se ait servasse, quantū per regni jura licuit.

Navarræo Regi se jure venisse subsidio.

Wirtenburgico se pecuniam pro arce dedisse.

Solimannum se amicum quàm hostem habere maluisse, cùm Cæsare con-

1537. sanguineũ habere non licuerit, ne regno excideret.

bitur, cùm assecutus illud sim, quod reliquorum quidem votum est, Gallis Deus fortunaque obtulit; ne eodem tempore orbem sibi universum adversantem habeant. Equidem si vel illam in cognato Imperatore humanitatem obtestando reperissem, quam in homine barbaro ultro delatam expertus sum, ab his sanè cogitationibus quam longissimè abessem, & hostem Solimannum potius, quàm amicum cuperem. Nunc, ubi, nec causæ æquitas, nec religionis communio, nec affinitatis jura tantùm possunt, ut mihi per Cæsaris voluntatem incolumi quietoque esse liceat, potentissimus Europæ adversarius conciliandus fuit, ne, non tantùm de regnis meis, sed etiam fide majorum, cujus inprimis mihi defensio relicta est, periclitarer.

LVIII. Solimannus ingenti classe in Italiam moturus Venetorum virtute rejicitur.

Hæc ferè sunt, quæ diversis Rex scriptis ad sui purgationem adhibebat, sed apud plerosque Christianorum minùs fidei, quàm indignationis hac oratione promeritus. Ut ut demum ea res habuerit, quod alieno consilio Solimannus moverit: Docent Veneti magnis præmiis sollicitati à Gallis, ut ne Imperarori contra Turcam adsisterent; & quidem hi principio, ceu neutræ parti adhæsuri, impunem Turcis ad Salentinorum agros accessum indulsêre, ubi, Castro oppido deditione accepto, à Tarento Brundusium usque magnum terrorem circumtulêre; sed repentè, an ex destinata industria factum sit, quod Turcarum naves aliquot, & Alexandrum Contarenum Trierarcham, & Corcyream Venetorum classem prætervectæ hostiliter exceptæ fuerint, ubi nullam honoris & mutuæ benevolentiæ significationem, velis ex more submissis, explosisque tormentis dedissent, anceps relinquitur. Certè Solimannus hostile id factum Venetorum interpretatus est, vel iccirco, quod Cæsariano fœderi non obnuntiassent, tum deinde Auriam extrema Turcicæ classis opportunè carpentem portu recepissent. Aderant etiam, qui monerent, classem Venetam Salentinorum oram tenere, ut Turcas à suscepta in Apuliam expeditione averterent. Pupugit ad hæc vehementer Tyrannum duodecim triremium extrema clades ab Auria supra Corcyræ promontorium accepta. Itaque indignatione plenus in Corcyram à Venetis defensam impetum vertit. Et Pisaurius quidem Cocyreæ classis præfectus imparem se his viribus ratus, utriusque oppidi arce præsidiis communitâ, insulâ cessit, ut Veturio classis Venetæ architalasso sese conjungeret, qui junctis triremibus Cathareum sinum unà subiêre. Cæsare suppetias prolixè, per Auriæ cum tota classe accessionem promittente, Pontifice etiam non tantùm opem, sed & operam adferente, de communi contra Turcam sanciendo fœdere, quod Romæ contractum, ac solenni ritu, licet conditionibus nondum omnibus integrum, (quia Corcyræ periculum moram non ferebat) Venetiis est publicatum. Sed Auria Cæsarianæ classis præfectus venire rogatus, Massiliæ inhiabat, auxiliorum immemor, intempestivo sanè consilio, nisi virtus & fortuna Venetorum alienâ ope fuisset præsentior. Nam Solimannus ubi Corcyrei oppidi munitionem inspexisset propiùs, jamque ad Angelocastrum Insulanorum castellum irrito conatu suæ Venetæque virtutis fecisset periculum, desperatione successûs, fremens frendensque relegit iter, nullâ re ad laudem gestâ, sed imbellium multitudine omnis sexûs ordinisque ad sedecim capitum millia in servitutem navibus collectâ, ut cùm victoriam nullam ab hoste posset, spolia tamen, victorum plerumque præmia, domum repor-

Iovius l. 36. hist. Leunclav. l. 18

portaret. Quod erat sine pugna ac victoria propemodum vincere.

Infeliciùs res gesta à Regis Ferdinandi castris contra Mahometem, Pannoniæ à Turca præfectum. Hunc enim cum bellis premendum censerent, affines Pannoniæ gentes crebris Turcarum excursionibus vexatæ, lectissimus viginti quatuor millium, ex Rhetis, Bohemis, Hungaris, Carinthiisque exercitus, Cazzianero Croata belli Imperatore, Possegam eductus est. Est hæc superioris Pannoniæ pars Illyrico vicina, in quo castellum erat, opportunum æquè ac munitum, quod Mahometes Belgrado præfectus, cum triginta facilè aliis Rasciæ castellis vertente anno sui juris fecerat, bellique totius constituerat arcem. Huc ubi magno difficilique itinere ventum, & incuriâ nostrâ, & hostili providentiâ factum, ut commeatus brevi deficeret, neque iccirco hostis in aciem totis castris pertrahi poterat, quod fame debellandos cerneret. Carptim tamen, minutisque, quibus ob celeritatem valent, velitationibus non parum detrimenti nostris illatum. Ita denique fame, morbis, vulneribusque lacessiti reducendas Valponium versùs, nostræ ditionis castrum, copias plerique censuêre, ut inde commeatus suppeditaretur. At ubi jam Gazæ vicini essent, Mahomete totis castris instante, intellectum est proximum per silvam iter succisis arboribus præpeditum. Quæ res adeò Ducum animos consiliaque confudit, ut denique corruptis tormentis, pulvere, sarcinisque noctu ad signum tibiæ à Cazzianero dandum, omnes proficiscendum statuerent, quanquam animosiores in hostem, numero, ut putabant, inferiorem movendum dicerent; sed Hungaris primùm, ac deinde & Stiriis fugâ signum prævertentibus, ipse denique se Dux Cazzianerus, turpissimo exemplo, nullo reliquis signo dato, in fugam conjecit, unde Lodronius, qui cum Austriacis, Carinthiis, Bohemis, Saxonibus etiamnum substiterat, animatis contra hostes, illo excitos tumultu, militibus, cruentissimum prælium iniit, eo quidem eventu, ut nostri denique multitudine barbarorum & Janizerorum (qui prætoriam cohortem faciunt) virtute fracti cæsique succumberent, Lodronius vulneribus penè confectus cum tribus cohortibus vivus quidem in illorum potestatem venit, sed quod superaturus plagam non videretur, acceleratâ per barbaros morte interiit. Cazzianerus defensâ nuper contra Turcam Viennâ celebris, atq; ob id præmaturâ hac nimiùm dignitate ornatus, tantâ nunc passim invidiâ infamiâque nominis conflagrare cœpit, ut publicum subire non auderet, desperatione etiam rerum suarum ad Mahometem transitum meditaretur; nisi Drinius amicus, ad facinoris societatem invitatus, vitam perfidioso homini cum meditato scelere extorsisset. Hanc cladem, quâ longis temporibus funestiorem non viderat, tota Europa multis est lacrymis prosecuta.

LIX. Contra magnâ clade Ferdinãdi Regis Hungariæ exercitus profligatur Ducis cum ignavia, tum imprudẽtia. *Isthuanff l. 13 Belc. l. 21. Surius in comment.*

Per eadem tẽpora Alphonsus Vastius in subalpina regione potitus Cherio, Albâ pompeiâ, atq; Clarasco Gallos ad desperatam Taurini (quod caput provinciæ est) propugnationem adduxe at: nisi Rex, periculi admonitus, celeritate prorsus admirabili, opportunè adfuisset: Ferunt enim Regẽ ad nuntiũ discriminis in venatione acceptũ hæsisse primò attonito similẽ; mox animo in sensum collecto decrevisse expeditionẽ, ac semihoræ spatio, quæ ad illam necessaria, ita secum definisse,

LX. Alphonso Vastio in Italia victori Franciscus repentino exercitu occurrit.

1537. niisse,ut Annæo Montmorantio cæterisque, qui aderant, Proceribus, è vestigio accersitis munia cuique idonea, ad commeatus militumque suppeditandas copias, distribuerit, eâ judicii memoriæque vi, quâ, non tantùm provinciarum omnium ad eam rem facultates; sed &, annonæ subvehendæ gratiâ, fluminum commoda, itinerum compendia, veluti ex indice, descripta teneret. Itaque ejus imperio effectum, ut, diebus paucis, toto regno, ab ipsis etiam Pyrenei montibus, commeatus, tū & militares copiæ Gratianopolim, locum abs Rege imperatum, adducerentur, numero tanto, ut 30. millia jumentorum, sub annona in Alpibus transportanda sudaverint: Rexque cum Henrico filio, ex Italis, Helvetis, Gallis, Germanis, haud minùs 30. hominum millia contra Vastium per Alpes in Italiam transfuderit. Hic igitur, contractis, ad Montecalerium oppidum, castris substitit; quanquam, haud multò post, sub ejus discessum illud à Gallis occupatum fuerit, exigui quidem nominis, sed opulento commeatu, Ciconii Ducis imprudentiâ, locupletatum. Undè Ciconianis plaustra onusta intempestivè, hoste jam instante advenientibus, cùm occurreret Vastius, bile intumescente, bobus suâ etiam manu crura præputavit, quibus deinde Langæus interceptis Regi non illepidè nuntiavit, illo ipsum vespere cænaturum basilicè, cum utrique hostium Duces, Ciconius & Vastius, ille lautissimi cauponis ac pistoris, in suppeditanda annona; hic lanii in bobus mactandis functus sit munere.

LXI. Dũ mutuis in se viribus armantur, Induciæ, per feminas rursum conflatæ arma sistunt. Sabaudo quod in prædam utrorumque cederet, his parum læto.

Dum igitur sua quique oppida præsidiis, contra alterius vim artesque muniunt, & Vastius fortissimo equitatu fisus tumultuario Gallos prælio adoriri cogitat, afferuntur decem mensium induciæ inter Cæsarem Regemque conditæ, tribus Reginis adlaborantibus, Eleonorâ Galliæ, Margaritâ Navarræ, & Mariâ Cæsaris Germanâ Hungariæque Principe. Vastius eo lætatus nuntio est, cùm stipendiorum premeretur inopiâ, & Italicæ Cæsaris Provinciæ sub tributorum onere & militum jugo jam diu lamentarentur sui seculi fortunam. Exinde, digno se humanitatis officio, Regem salutaturus accessit, equestrium turmarum flore cinctus, Hispanis, pro innato gentis studio, apprimè ad delectationem simul & horrorem excultis; ex opposito Franciscus pedestri militiâ instructior, eam in ordines ita digesserat, ut transeuntis Vastii oculis conspicuè subjicerentur. Receptus deinde ab amplexu inter Delphinum Franciscumque medius, humanissimi Regis comitate mirificè est delectatus. Actum subinde de induciarum ratione, finesque subalpini imperii, certis hinc inde terminis legibusque præsidiariorum sunt definiti. Sabaudo nequicquam Divûm hominumque opem obtestanti, quòd dissidentium inter se Regum injuriâ, ipse, consanguineus licet, præda fieret, neque amicum jam hoste minùs infestum pateretur, cùm alter concessa, alter etiam negata raperet. Quare allaboratum, & per ipsum, & Reginas, ac maximè per summum Pontificem Paulum est, ut induciarum quies ad pacis negotium converteretur, ac de Nicea utrorumque Regum approbatione constitutum est, ut ista in urbe, quæ Sabaudi Allobrogum Ducis erat, medio inter utrumque Pontifice tam fatale duorum in Europa dissidium, mutuis concordiæ legibus, abrumperetur. Paruit uterque consiliis, ac maturato itinere Cæsar, Auria dedu-

1537

deducente ex Hispania, Villam Francam delatus est; Pontifex verò ætatis jam confectæ senex Niceam eodem tempore subiit. Eleonora etiam Galliæ Regis uxor ac Cæsaris soror fratrem, cum Joanne Lotharingiæ Cardinali invisit; ita ut nunquam propiùs consultum securæ paci, ac communi Europæorum saluti, quàm eo rerum statu, videretur. Certè, & præterita mala ex hac dissensione subnata inspicientibus, & augurantibus de futuris spes esse poterat. Etenim immanissimo jam hoste Christianorum Turcâ omnes Europæ terminos, armis ac terrore quatiente, subditorum opibus bello latè consumptis, invalescente rebellium hæresi, tot innocentium cruore fuso, utroque etiam Principe pacis remedia flagitante, quis de concepta quiete desperare potuisset?

Ex conventu Pontificis Regumque spes magna pacis concipitur. *Iov. l. 37. Onuphr. in Paulo III.*

LXII. Attamen ea fuit utriusque ad sua emolumenta obstinati animi durities; ut, cùm ex iis neuter alteri de propriis quicquam regni commodis, ad pacem ex æquo statuendam, vellet cedere, nemo Pontificem, tanquam controversiarum sequestrum, de pace consulturus accederet. Quanquam nonnullorum ea fuerit opinio, quæ & Pontificis illud studium à religione ad privatam familiæ utilitatem eo quæsitam colloquio, detorqueret; ut qui neptem suam Victoriam familiæ regiæ, nepotem Octavium nuptiis cum Margarita contractis Austriacæ insertum cuperet. Certè illud constat, mutuum inter se Reges alloquium nonnisi sub hoc arbitro declinasse; cùm, haud multò post tempore, Cæsarem Hispaniam repetiturum atque ex destinato ad Marianas fossas (quæ Massiliæ in ora sunt) exscendentem Rex exceperit, tam effusa benevolentiæ amorisque significatione, ut inter præsentes nemo esset, quin hæc oblitteratis odiis ad conciliationem fedusq; mutuum spectare crederet. Solus erat Pontifex, qui ubi rem accepisset, utriusque jam ambitione exploratâ, hæc compositi oris verborumque lenocinia simulatæ magis amicitiæ fucum esse, quàm veræ humanitatis colorem diceret.

Pontificem Niceæ exspectantem neutra pars arbitrum admittit. An. 1538. Ad fossas tamen Marianas Carolus à Francisco humanissimè excipitur.

LXIII. Non tamen otiosus ille Pontificis ac Caroli apud Niceam conventus est visus; nam illius, juxtà ac Venetorum operâ communia inter ipsos contra Solimannum stabilita sunt federa, & induciæ cum Rege in unum annum solenni adstipulatione prorogatæ. Et denique Novariam urbem Aloisio Farnesio, Margaritam Cæsaris filiam Octavio Farnesio, suæ gentis hominibus, possessionis, ac nuptiarum gratiâ, impetravit. Erat hæc Margarita ab Alexandro Medices, crudeli morte interfecto, relicta vidua, cujus fatum, ad conciliandum sceleri horrorem, & Florentinæ urbis erga Cæsarem voluntatem magis inspiciendam operæ pretium fuerit, altiùs à principio accersere. Fuit Alexander Laurentio natus Patre, celebri istic Mediceorum familiâ, magis tamen beneficio Cæsaris Princeps, quàm civium voluntate. Jam sextum & vigesimum natus annum, tanti gener Cæsaris, populo etiam (quamvis libertatis studioso, & Mediceorum nomen, propter superiorum temporum tyrannidem, aversanti) ob facilitatem & humanitatem minimè ingratus, corporis habitudine ad equestres exercitationes & militiæ usus omninò firmâ; sed animum mollities ac juvenilis licentia ad eam levitatem dissolverat, ut neque verecundiæ, neque dignitatis ulla constringeret ra-

Cæsar tamen cum Pōtifice & Venetis fedus cōtra Turcam iniit & Margaritam fil. viduā Farnesio nepoti despondet, Alexandro, genero Caroli, miserè occiso. *Iovius l. 38. Epist. Princip. vol. 3.*

1538.

ratio, verùm neglecto conjugis toro, vagâ pasceretur libidine, nec alienis thalamis fraudem amoveret.

LXIV.

Miserabilis Alexandri Medices perficè sublati casus.

In hanc artem sese adjunxerat socius par ætate, at moribus etiam inferior ex consanguineis Laurentius Medices, homo vafer, pallidâ & contractâ fronte, sermone parcus, ac toto corporis habitu inamœnum quid spirans, quàm tamen oris morumque intemperiem, tantâ apud Alexandrum comitate dissingebat, ut secretorum ipse unus, scelerumque omnium particeps fieret. Argutis etiam versibus, ac comœdiis ad omne voluptatis lenocinium comparatis, furentem magis incitaret. Perspicacioribus tamen in aula, extra maleficii, in Principem cogitati, suspicionem Laurentius non erat. Quod ejus dignitati ac nomini inimicissimis hominibus Strozzis, Florentiæ exulibus, non obscurè communicaret, quæ cùm Ducem latere non possent, perfidiâ astuque geminato ita delusit; ut & illorum consilia Duci, & Ducis suaque illis detegeret, quò factum, ut Dux hostem pro amico, Strozzæ amicum pro hoste haberent, levissimamque hominis fidem aversati Alexandro significarent, malignè nimium adulari Duci Laurentium, qui de eo interficiendo operam suam obtulisset. Quod tamen tam opportunè à se deflexit Laurentius, ut vaferrimè persuaserit illud abs se dictum, quo adversariorum consilia haberet exploratiora, ita simulandi mille artifex scelus meditatæ perfidiæ ad fidei suæ opinionem, Ducis in animo confirmandam, adhibuit, dum opportunitatem denique facinoris nactus crudeli voluptate animum satiaret. Fortè Dux exarserat vicinæ cujuspiam matronæ, formâ ac genere perquam nobilis, amore: hujus potiundæ gratiâ operam suam addicit Laurentius, familiaritatis ac sanguinis, ut ajebat, jure fretus. Cùm aliquanto post tempore, expugnatam abs se constantissimæ ceteroquin mulieris, verecundiam asserit, mutuæ ad censum pecuniæ stipulatione; adfuturam suis in ædibus. Hæc sub cœnam à Duce intellecta, facile eum ad Laurentii domum attiguam, & communicato utrivis aditu perviam pertraxêre, ubi Dux, ablegatis ex more ministris substitit, ac strato tantisper ad quietem compositus est, gladioque discinctus Laurentii cohortatione, dum amica peteretur. Sub hæc quietum somno Ducem, binis Lavernionibus stipatus, agasone uno, altero homicida, Ducis è carcere precibus quondam subducto, Alexandrum aggreditur, ac primus ipse pugione latera transadigit, quâ plagâ exterritus, ejectusque sub lectum Dux, à Treccia (quod erat agasonis nomen) dum emergit, fœdo vulnere malas dividitur, sed præsenti animo, erectus in pedes cùm pro scuto scabellum objiceret, neque tamen omnem circumstantium vitaret ictum, Laurentium rabidæ in morem feræ involat, tanto vocis proditionem exprobrantis ululatu, ut domum totam impleverit, simulque apprehensum mordicus sinistræ manus pollicem hosti perfregit, sed ab altero servorum Scoronculo, hero succurrente, jugulatus aliisque atque aliis confossus vulneribus, cum multo cruore infelicem animam evomuit. Neque quisquam familiarium ad tantæ rei tumultum, quamvis auribus acceptum subvenit: quod jocularis tumultuosæque pugnæ imaginem haud raro istic loci Laurentius instruxisset, ad fallendas domesticorum mentes in hac jam dudum adornata tragœdia. Substitit

Crudele parricidarum facinus.

pa-

patrato facinore attonitus nonnihil proditor, anxiusque, vocandusne, exposito Principis capite, ad libertatem populus, cujus hoc scelere acquisitæ gloriam ad se jam ante perventuram arbitratus est. Sed denique consultò se facturum ratus, si certius saluti suæ prospiceret, quàm ancipiti illam popularium favori objiceret. Quare simulatâ necessitate fratris in morte extra urbem periclitantis, ab Angelo Martio urbis præfecto, equos, portæque reserandæ tesseram accipit, elapsusque cum sicariis festinato per Bononiam itinere Venetias optatissimum Philippo Strozzæ nuntium pertulit. 1538.

Ubi res à domesticis Innocentio Cardinali, (qui Principi, uti sanguine, sic domo etiam ac familiaritate junctus erat) innotuisset; dissimulato casu imperatoque domesticis silentio, Alexandro Vitellio Cæsaris militi celerrimum destinat nuntium de properandis ad urbem copiis, quæ tum ex Aretinis tum Mugellanis agris collectæ, posterâ luce adfuêre, Cosmo Mediceo decem & octo annorum juveni ad hunc armorum strepitum ex Trebia villa ad urbem excito. Erat is Joanne Mediceo, militari inter æquales gloriâ clarissimo, ac Mariâ Salviatâ, etiam post viri mortem in urbe superstite, genitus, magnæ apud omnes spei juvenis, quam & parentis illi virtus, & propria indoles conciliaverat. Magnâ is multorum humanitate exceptus, atque ab amicissimis etiam animum spemq; ad Principatum adhibere jussus; sed uti ad omnem modestiam prudentûm virorum instructione compositus erat, se negavit dominatus capessendi gratiâ accessisse, communibus lacrymis parentaturum Principi, ac deinde vel patriciorum accenseri numero perquam sibi honorificum futurum. Circumspectè id quidem satis adolescens, quanquam nonnulli hanc dejecti animi, paternisque virtutibus imparis vilitatem interpretati sint. Sed enim inhiabant plerorumque animi libertati pristinæ, quam ejectis nuper Mediceis usurpaverant, cùm Landus nonnemo plebeius homo ex lanifici taberna urbis dominatum patriciis ordine ac urbe deturbatis invasisset; Sed quod ea prudentioribus omnino servitus magis, quàm libertas visa esset, quâ optimus quisque civium populari licentiæ ad omnem audaciam prostitueretur, res in disceptationem, multorum sententiis ancipitem, coram Cardinali deducta est, qui cum denique & ipse ostenderet, *violatæ autoritatis Imperatoriæ, & inconstantiæ suæ pœnas meritò daturos, si ipsorum voluntate decretum quondam Mediceis urbis imperium, & solennibus non minùs codicillis, quàm Cæsareâ definitione confirmatum, insanâ temeritate rescinderent. Cavendum, ne justam Imperatoris iram atque expedita jam in foribus arma suum in caput lacessant, & graviorem (ambitæ libertatis præmium) servitutem accipiant. Eam videri adolescentis cùm indolem, & humanitatem, tum parentum virtutem, cui sine noxa abjudicare hunc dominatum non possint.* Cùm porrò ad hanc sententiam Guicciardinus, inter Florentinos facilè Princeps, gravi oratione accederet, qua & inconsultam popularis dominii licentiam detestaretur, & mitiori Cosmo, quàm Ducis titulo, utendum existimaret, quo ejus apud adversarios leniret invidiam: fluctuantium sensim animi ad aliquam tranquillitatem compositi sunt, effectumque, ut conceptis, ad potentiam nonnihil adstringendam, legibus, nonnulli solâ opinione flecterentur; alii etiam, ex mili-

LXV. Cosmus Medices, Cæsareano milite subveniente, Dux substitutus.

1538. militari tumultu (conſilio, an caſu exorto? non conſtitit) trepidi, feſtinatis ſuffragiis Coſmo Principatum deferrent. Quod ubi cognitum, tota urbs ex mœrore in hilaritatem verſa eſt, milites etiam, ceu gratulaturi, in domum effuſi, ſpoliis ſeſe obviis lautè ditarunt; quod hac jam, opinor, dignitate, locupletatum ſatis Coſmum arbitrarentur. Is verò deinde ubi principatum eſt ingreſſus omnes Ducis optimi numeros juſtâ ſeveritatis clementiæque attemperatione abundè complevit.

LXVI. Parricidæ puniti.

Laurentii verò parricidæ domus, publicatis bonis, à tecto ad fundamenta, lato hiatu ad perpetuam ignominiam, diviſa, ipſe Senatus conſulto reipublicæ declaratus hoſtis, ac percuſſoribus nefarii hominis aureorum ſeptem millium conſtitutum eſt præmium. Igitur ut diligentiam Coſmi falleret, Byzantium profugus, atque ipſi Solimanno, ob perfidiam, execrabilis tutum perfugii locum non reperit. Venetiis denique iterùm receptus, à duobus Alexandri militibus, nullum quidem facti præmium rogantibus cum avunculo Soderino trucidatus, dignum facinoroſo homine invenit exitum, atque exemplo docuit, aliquantò faciliùs noxas, quàm noxarum pœnas declinari poſſe. Neque Philippo Strozzæ impunè fuit huic cædi faviſſe, cùm haud multò poſt, infelici expeditione contra Coſmum ſuſceptâ, caſtris exutus, ac prælio captus, ultroneo in carceribus interitu, per majorem infamiam, minori ſeſe conatus eſt eripere. Ita ab ipſa, quam aliis intentaverat, morte, ipſe denique ultimum miſeriarum remedium viſus eſt exſpectaſſe. Hujus igitur Alexandri (ut ad principia redeamus,) conjugem Cæſaris filiam, à Coſmo obnixè expetitam, Octavius, licet refragantem obtinuit. Coſmo tamen Cæſar nobiliſſimam Hiſpani ſanguinis puellam Eleonoram Petri de Toledo Neapolitani Proregis filiam, in matrimonium conjunxit, quæ illum denique pulcherrimæ ſobolis parentem fecit.

LXVII. Milites, ob dilata ſtipendia legibus ſoluti, in agreſtiũ ſe ſpolia per Italiam effundunt, plerique poſtea, cum Italorum plauſu, aut mari, aut ferro Turcarũ perituri.

Ceterùm induciarum nomine, non perinde læti milites, quòd ſpe prædæ dejicerentur, magno numero ex præſidiis confluxêre aliquot menſium ſtipendia, importunâ flagitatione poſtulantes, quæ donec numerarentur, in fertiliſſimam Mediolanenſium effuſi regionem anni meſſem, agricolarumque opes occuparunt, neque graviſſimis apud Cæſarem obteſtationibus quicquam præter literas Legati Mediolanenſium obtinuêre, tantâ Ciſalpinæ Galliæ exacerbatione, ut cùm præter tributorum onera, etiam hanc militarem inſolentiam iniquâ Cæſaris diſſimulatione perferre cogerentur, odia in Carolum excreſcentia ad defectionem ſpectarent. Vaſtii tamen induſtriâ, impunitatis promiſſione militibus factâ, & ſtipendiorum certâ pollicitatione, ægrè tandem impetratum ab illis eſt; ut à rapinis, & ſoluto militari jugo redirent ad imperium. Hi deinde ad claſſem, in Ligurum ora contra Solimannum inſtructam, cum aliis deducti numerum 50 millium implevêre. Quorum nonnulli cùm in Æno flumine, eliſis ad petram navigiis, interiiſſent, hæc clades non abſque Subalpinorum voluptate intellecta fuit, quòd juſtiſſimam ſceleribus vindictam ipſa elementa irrogaſſe viderentur. Nec enim Superis mortalium noxas vindicaturis deeſſe uſquam poteſt ultionis telum. Sed neque aliis rebellionis ſociis inulta diu fuit hæc rapiendi libertas,

cùm differri aliquando flagitioſorum pœna ſoleat, auferri non ſoleat.

LXVIII. Solimannus enim cùm de Cæſareis, Pontificiis, ac Venetorũ, conjuratis in ſe viribus intellexiſſet, Hariadenum Barbaroſſam ſuæ claſſis Archithalaſſum adornare omnia ad profectionem juſſit, ac Helleſponto egreſſum hoſtibus occurrere. Neque ſegniter ille muneris impoſiti partes obiit, nam in Cretam illapſus, præter ſolum terrorem, quem latè circumtulit, nil incommodi dedit, aut Venetorum in præſidiis vigilantiâ aut munitionum firmitate deterritus, dum in Ambracio denique ſinu totâ ſe claſſe ad noſtrorum impetum excipiendum opportunè diſpoſuit. Sed & hi, inſtructiſſimâ claſſe ſub Auria maris Imperatore, haud procul adfuêre, quanquam hoſtem in iis laceſſere anguſtiis, periculoſum inprimis eſt viſum. Quare directo trans Leucadem Neritumque curſu, Naupactum, vicinaque Corinthiaco ſinui oppida oppugnatione tentanda cenſuêre. Itaque ab Actiaco promontorio, Leucadem versùs, explicata eſt claſſis; ut quem faciebat, ducentorum & quinquaginta navium numerum (ex quibus triremes 134.) hoſtium facilè oculis ad terrorem objiceret. Et ſanè Barbaroſſa, cetera intrepidus, tantis ſe viribus, inferior ipſe, qui ſupra 100 & 50 omnis generis navigiorum non cenſeret, oppoſiturus aperto mari non erat: niſi Eunuchus quidam Solimanni cunctantem Barbaroſſam ſuperbâ ac comminatoriâ oratione ad certaminis periculum adegiſſet. Fuit Auriæ omninò inexſpectatum, dum ipſi, jam ſecundis ventis provecto barbaricæ claſſis nuntiaretur adventus, ſigno igitur dato, claſſem ſuis ad pugnam ordinibus componere ſe juſſit.

Barbaroſſa in Cretam ingenti claſſe ſe effundit, Chriſtianorum claſſi occurſurus. *Iov. l. 37. Iuſtinian. l. 13 Leuncl. l. 18.*

LXIX. Dux barbarus ita ſuas in pugnam naves educebat, medio corpore prætoriam complexus, geminas hinc atque inde ſic adhæreſcere alas voluit; ut quocunque ſe daret prætoria, idem impetus alas in aquilæ volantis ſpeciem raperet. Agebantur ante claſſem triremes cùm roſtratæ tùm levioris operis circiter viginti, quæ velitando, aut morarentur, aut elicerent hoſtem. Qui rerum ordo non mediocri admiratione Auriam tenuit. Capellius tamen Venetorum præfectus avidus pugnandi aciem ſibi primam poſtulaſſe memoratur; ſed conſequi atque Auriæ nutum exſpectare eſt juſſus. Hic verò properandum in hoſtem minimè ratus, dum onerariæ, quæ Caſtellorum inſtar erant, tardiusque provehebantur, accederent; Grimano etiam Patriarchâ, qui Pontificiis aderat, moræ impatiente, ac morantem Auriam magnis vocibus ad certamen evocante. Siquidem is circum onerarias ingenti circuitu, ac flexuoſis meandris errabat, de raro aliquo facinore noſtris hoſtibusque (quæ ejus in re navali erat exiſtimatio) ſuſpectus, quâ etiam opinione fraudem veritus Barbaroſſa hæſit, interea velitationibus ſatis cruentis res noſtræ deteriores effectæ ſunt, ut ſenis facilè navibus, inter quas onerariæ duæ, totidemque triremes, victores Turcæ potiti ſunt, quibuſdam igne abſumptis. Donec procelloſis nubibus erepta dies, cum tenebris, magnam de cœlo tempeſtatem minari eſt viſa; ut proinde explicatis utrimque velis diſceſſum ſit, tantâ quidem noſtrorum perturbatione, ut fugæ ſpecie hoſtem poſt ſe traxerit, qui tamen deluſus tenebris ſubſtitit; quòd ſinguli Ducum in ſuis prætoriis alligatas, pro more ad puppim, laternas extinxerant. Barbaroſſa cum cachinno hæc

Suis ad pugnam diſpoſitis quamvis navibus inferior noſtris inſultat, Auria pugnam, præter opinionem, declinante.

 verba

1538. verba ingeminante. Ergo Auria lumen abjicit, ut certiùs fugam suam tenebris recondat ? Corcyram nostri tenuêre, læti, quod eo vento ad summum avertendum periculum, vel cum dedecore, uti licuisset, culpa neglectæ fortunæ non obscurè in Auriam recidebat. Qui pristinam virtutis suæ gloriam, hac negligentiæ notâ, haud parùm inficiebat, quamvis Cæsariani omne crimen in Venetos detorquerent, quòd hi parùm instructis à milite præsidiario triremibus, oblatos ex Hispanis propugnatores superbè rejecissent, atque etiam cùm in hostem eundum, eductis ad mali caput velis, ac per juncos ad antennas restrictis, simul de pugna cogitarint, ac fuga; ut quæ, præcisis juncis, foret expedita, ac proinde Auriæ justa differendi certaminis causa fuerit. Ut, ut factum, certè timore nostro hostis audacior, in acie ad Naxum Insulam, Europæis insolenti provocatione illudere est visus, Ferdinando Gonzagâ Siciliæ prorege ad tantam hostium arrogantiam, suorumque dejectionem fremente, quo factum, ut & Veneti præsidia Hispanorum suas in triremes admiserint, & Ferdinando quarta acies hosti opponenda commissa sit. Verùm extractâ nimiùm deliberatione Barbarossa tempestatis metuens, suæque jam existimationi abundè consultum ratus, Ambracium sinum rursùs subiit.

LXX. Castrum novum, in sinu Rizonico à Christianis feliciter expugnatum, Cæsareis Auria, frustra Venetis indignãtibus, tribuit.

Classis nostra in Rizonicum delata, castrum novum, à Mahomete quondam occupatum, amplissimo ac naturâ loci munito portu tutissimum, ingenti vi tormentorum brevi expugnavit, magnâ incolarum multitudine in servitutem abstractâ. Hoc oppidum cùm ex federe Venetis deberetur; ut qui Aulone, Neocastro, aliisque olim ab eisdem possessis ex pacto victoriæ potituri erant, Byzantio cæterisque, aut Neapolitani quondam, aut Imperialis juris Cæsari relictis; tamen Hispanis præsidiariis, quantumvis obluctante Capellio Venetorum præfecto, est attributum. Subinde cognitum est classem hostilem ad subsidium Novocastrensium properantem, tempestate acrocerauniis illisam scopulis, haud leve damnum fecisse. Quæ res novum pugnandi ardorem injecit, Gonzagâ contra Auriam, Venetis favente, sed hic vela in Italiam convertit, frendentibus, indignantibusque nequicquam ceteris; id se facturum asserens, quod Cæsaris emolumento opportunum putaret. Nimirum, inquit, Valerius Ursinus Venetus miles, id scitè abs te factum hactenus: quando cum Solimanno Venetos commisisti; ut ipsius hi viribus denique ad votum Cæsaris atterantur.

LXXI. Veneti offensi Solimãni rursũ amicitiam quærunt.

An. 1539. Barbarossa Novicastrũ, omnibus Hispanis trucidatis recipit.

Ceterùm Venetorum senatus ubi federis rationes neglectas intellexit, factum detestatus, magisque etiam Hispanorum vicina istic præsidia, quàm Turcarum exosus, Solimannum legatione missâ placandum censuit. At is rerum amissarum curæ intentus tardiùs pacis admisit consilia, sed Barbarossam majori etiam classe ad Novocastri obsidionem destinavit: Erat hoc quatuor Hispanorum millibus veteranæ militiæ viris; sed & Insubricæ seditionis autoribus commissũ sub Duce Sarmento, qui licet egregiâ munitum operâ, viribusque oppidum defenderent, vis tamen ac barbarorum multitudo ingens, multis simul locis, tormentorum, hominumque impetu urgentium sustineri non potuit, ad extremum igitur in foro conglobati ultimum virtutis suæ experimentum dedêre, cùm hostium in se immissas

missas acies cruentissimo diu prælio detinerent, nec quisquam ferè victus, nisi cum aliqua victorum clade succumberet. Hujus legionis nuntiatum interitum tam læto Insubres, quàm tristi Vastius animo excepit, quod ille fortissimos erectos bello milites quereretur; hi patriæ prædones justissimo suo dolori, & Turcarum furori immolatos gauderent.

Eo tempore, postquam Cæsar Toleti in Hispania Isabellam uxorem, partus difficultate amissam, luxisset, magnis in Belgium festinabat itineribus, tùm ut serpentem illic quorundam seditionem in ipso supprimeret fomite, tum ut propiùs Germaniæ rebellione Hæreticorum quassatæ consuleret. Induciarum igitur fide subnixus, rem, visam non paucis temeritatis plenam, ausus est; cùm per mediam Galliam viarum compendium, sororemque quæsiturus, in Belgium sese transferret. Certè, & Caroli fidem, quâ inimico se Regi crederet, & Francisci, quâ parceret, plerique sunt admirati. Arx tamen hospitalis Ambosiæ, facigeri incuriâ non levi Cæsaris periculo flammâ fumoque oppleta, tùm elisa Parisiis cruento vulnere in caput tabula; consultatio denique Aureliis de Carolo detinendo, ut fertur, instituta, Montmorantiique ac Regis improbatione discussa, minùs in hac profectione Cæsarem timoris, quàm discriminis habuisse declarant, Regiâ tamen animadversione ille ministrorum, vel error, vel improbitas, supplicio expianda erat, nisi precibus atque autoritate suâ Carolus intervenisset. Pericula tamen sensit, quamvis contemneret. Carolum Aureliorum Ducem, lectissimum juvenem, tergum, insidentis equo, Cæsaris inopinato petere assultu contigit, simulque inclamare, *Te mihi captivum dede imperator*. Arrisit ille, ac humaniter regium adolescentem complexus, Francisci integritatem his terriculamentis præposuit. Fuit & cujusdam Stampiæ Ducissæ magna apud Regem gratia, quæ cùm detinendum Cæsarem suasisse crederetur, sua illam humanitate Carolus non mediocriter sibi devinxit, passus etiam simulato è manibus casu defluere annulum, quem dum officiosè illa de solo colligit, dono accepit, quòd à tam dignis manibus gemmam reposcere inurbanum Carolus, elegantis liberalitatis obsequio fingeret. Ita consuetas aularum artes arte Cæsar tenuit, suamque securitatem industriâ stabilivit. Maximis interea honoris benevolentiæque argumentis cultus est, atque ubi Lutetiis cum Rege ac Sorore septiduo moratus esset, omnium animos magnâ exspectatione in futuræ pacis opinionem erexit. Nam ab ipsis Pyreneis digressus cum Rege egerat, ut cum Alphonso Davalo Vastio alium ipse, suarum partium Legatum, ad Venetos communi consilio destinarent, qui obliteratis inter Christianos Reges odiis pacem conceptam nunciarent, cui se proinde contra Turcam adjuncturi tutiùs, quàm in suscepto cum immanissimo hoste pacis negotio perseveraturi, magno suarum rerum incommodo essent. Quę legatio licet magnis, diversisque Venetarum partium studiis excepta fuisset: tamen cum inani pacis promissione tantùm Legati adessent, neque Cæsari fidendum plures clamarent, ut qui totius Italiæ dominatui inhians, Venetorum, quos fortissimos hujus consilii adversarios habiturus esset, vires debilitatas cuperet, hostemque Solimannum alienis bellis implicatum, sibi minùs formidandum existi-

LXXII. Cæsar Isabellâ defunctâ ex Hispania in Belgium festinans cum omnium admiratione Galliâ transire, & Francisco se credere ausus, discrimina fortiter contempsit.

Jovius l. 3. Belc. l. 22 Sur. in Com.

xistimaret. Iniquam proinde pacem periculoso admodum bello præferendam dictitabant, ac turpissimâ duarum in Peloponneso urbium (quæ Venetis restabant) Epidauri & Nauplii, tùm & Castellorum in Dalmatia Nadini & Labranæ, largitione pacem à superbo Tyranno redemerunt, Hanebaldo, uti opinio est, hæc etiam Venetorum consilia, Francisci Regis nomine clàm alente, licet aliam Oratoris personam propalam gereret. Solimannum tamen gravissimè Regi indignatum, inconstantis ingratique animi vitium exprobrasse ferunt; quòd hostibus contra se non obscurè communicaret; adeò, ut Antonius Rinco, Gallorum apud Turcam Legatus, (suppliciorum metu, nocturnâ se fugâ in Pontum subduxerit. Sed delusa omninò inter Christianos Principes pacis spes fuit. Carolus enim licet hanc liberali humanitate faceret, tamen in Gallia conciliandi leges dare, aut accipere nolebat; ne vano alienæ potestatis, cui istic suberat, metu quicquam statuisse existimari posset; tùm Ferdinandi fratris in eam rem conventionem antè postulabat.

Venetis amicitia Solimanni magni constat, Gallis idem offensus, ob incõstantiam.

LXXIII. Ita magnis per Galliam acceptus, deductusque honoribus anno insequenti MDXL. Gandavum Belgarum urbem accessit, suis natalibus claram. Hærebant cives dubii, accipiendusne portis Cæsar? siquidem Mariæ Reginæ imperatam in belli Gallici sumptus pecuniam, immunitatis titulo freti, contumaciter denegassent. Sed quod pacis initæ suspicione, Gallorum subsidiaria quæ rogaverant arma desperarent, admittendum duxêre, quanquam, ubi mox exceptus mœnibus Cæsar, injuriarum memoriam dubio præ se vultu etiamnum ferret, admissum dolerent. Et Cæsari quidem ea Imperii detrectatio tantò gravior visa est; quòd in patrio solo exorta suo facilè exemplo Italiam Hispaniamque, tributis fessas nationes, ad imitationem pertractura videretur, nisi pro facinoris audacia par severitatis adhiberetur remedium. Itaque distributis opportunè per urbem præsidiis, turbulentioris ingenii ex optimatibus novem uno, altero die sedecim publico supplicio tollit, alii rebellium plexi exilio: alii talari, pulloque in habitu pœnitentium: alii infami ex collo pendente laqueo, albaque in veste nudi ad Cæsaris pedes abjecti, insigni demissione correcti sunt. Nec mora immunitatibus, ac Magistratuum creandorum jure, uno civitatem edicto spoliat, atque arcem, civium ære exstruendam, tanquam libertatis frenum urbi imponit. Quæ pœna ceteris Germaniæ urbibus, libertati assuetis, æquitatem excedere visa, haud mediocrem indignationem concivit.

Carolus Gandavum delatus, urbis in tributis obtrectationem memorabili severitate plexuit. *Haræus in Carolo ad an.* 1540.

LXXIV. Venerat sub idem tempus Guilielmus Marcanus Juliæ ac Cliviæ Princeps, Geldriæ heres, Caroli Principis, absque liberis defuncti, testamento scriptus; quem, quòd neglecto augustali jure usurpasse Principatum, quodque ex Menapiis, Sicambrisque affini Gallorum Regi frequenter copias suppeditasse acceperat; Cæsar, Geldriæ tantùm præfecturâ, abrogato Principis titulo, dignum habuit. Sed Princeps honoris sui tenax provincialium hac super re voluntatem se exploraturum dixit; ut Cæsaris opportunè se manibus eriperet, quem adierat, quòd pacis consiliis intentum, suisque tantùm rebus consulentem, Franciscum à se avulsum crederet. Quæ res etiam Germaniæ Principes, Gallorum Regis studia secu-

Existimatio pacis inter Reges composita Juliæ & Germaniæ Principes ad Carolum inflexit.

1539.

secutos, ambiguâ suspensione detinebat; ut proinde induciis Francofurti illis mésium XV à Cæsare delatis, ad injuriarum abolendam memoriam, & firmandam pacem solicitè uterentur. Verùm ubi Ferdinandus jam Cæsari adfuisset; illique, convocatis Hagenoam, Saxoniæ urbem, Principibus, liberarumque civitatum legatis, his, & inter se conciliandis, & à Francisco abalienandis operam darent, jamque omnis ad conficiendas pacis leges mora esset consumpta; patuit denique obstinatis utrorumque Regum, Galli ac Cæsaris, animis Insubriâ non cedendi, fieri, ut quantumvis profusæ in Franciscum liberalitatis conditionibus pax nulla reperiri posset.

LXXV. Carolus admirando consilio Belgium pacis causa Francisco offert modò sibi Insubriam perpetuo jure cedat, verùm hac abire Franciscus noluit.

Tali enim decreto Pelusius à Carolo ad Franciscum profectus est; ut significaret: *Cæsarem pacis studio, privatis emolumentis cariturum, ac majora etiam postulatis Regi concessurum, Carolum Francisci filium accepturum in generum, dotalique jure Belgarum facturum Regem, quo beneficio nihil augustius exspectare Franciscus posit, quando utrosque filios regnis geminis, iisque opulentissimis, & ad mutuam opem conjunctis inaugaratos habere liceat, ac si deinde alterutri proles deficiat, unus amplissimis totius Europæ regionibus potiri queat. Cisalpinam tantùm deposcere Galliam; hac, neque sibi, neque fratri abeundum videri, non enim obstruendum sibi aditum ab Hispania in Liguriam; aut expeditum in Germaniam venturo iter amittendum; quod suæ dignitatis non sit, ea pro alieno arbitrio usurpare.** Ad hæc Franciscus, quamvis spe conceptâ dejectus, hilari fronte, * *Cæsari, nomine suo, gratias referendas*, dixit: *quod ampliora votis, pacis gratiâ, deferret, neque enim aliud abs se postulari, quàm ut avito jure, debitis possessionibus frui liceat, quæ aliter sibi denegari, nisi cum pace nequeant. Belgii se nequaquam appetentem optimo jure Carolo debiti. Eruatur ipse suis, aliena deserat, hac lege, non aliâ pacem colendam.* In qua utrorumque Regum sententia, admirandum sanè est; rem tantam, quanta est Belgicarum provinciarum possessio, potuisse deferre Carolum, vel Franciscum recusare.

LXXVI. Sectarii in Germania Principes numero & viribus aucti. *Sleid. l. 11. Coch. a. in actis Luther. Sur. in com.*

Illa pacis exspectatione disjectâ, obfirmata Sectariorum per Germaniam in cœpto pertinacia est, quæ à Smalcaldico jam fœdere, aliarum urbium, Principũque accessione non mediocriter invaluerat. Pluribus ea res conventiculis Smalcaldiæ, Francofurti, Sweinfurti, & Isenaci institutis acta. Smalcaldiæ anno MDXXXVII. Principes Pomeraniæ, Ulricus Wirtembergicus, Robertus Bavarus Bipontinus, Comes Nassovius, Francofurtum, Campodunum, Hamburgum, Hannobria atque Augusta sese protestantibus adjunxerant. Quæ urbes Principesque cùm Ecclesiasticos possessionibus deturbarent, atque iccirco Spirensis judicii censuram sententiamque in se provocarent, crebris ea res contentionibus seu jure seu vi concitatis, mansit obnoxia. Matthiâ Heldo Cæsaris Legato omnia pro pace & judicii veneratione nequicquam moliente. Cum eo Cæsaris decreto starent, *quo sibi religionis caussa litem nullam intentandam assererent, dum futuro concilio hac controversia absolveretur.* Contra obnitentibus Catholicis, *qui de suis possessionibus per novitatem eodem decreto prohibitam, sese dejici injuriâ quererentur. Indignum videri, ut religionis caussa vim in alios impunè exerceant, sacra profanaque rapinis violent, neque injuriarum se postulari, stultâ præsumptione juris, patiantur. Non de religione, sed*

1539. *bonis fortuniſque propriis per ſummam indignitatem ereptis, quæſtionem inſtitui.* Conjuratis igitur in Eccleſiæ defenſionem viribus Heſdo autore ſeſe obſtrinxerunt Bavariæ ac Brunſwici Duces, Georgius Saxonum Princeps cum Moguntinorum & Salisburgenſium Archiepiſcopis. Verùm *ſanctum* hoc, ut appellabant, *fedus*, intra rerum agendarum conſilia ſubſtitit. Proteſtantes enim, cùm offendi ſine gravi religionis Catholicæ imperiique diſcrimine non poſſent, ut quibus abſentia Cæſaris bellis peregrè implicati, Turcarum metuenda vis & immanitas, Dani, Galli, Anglique Regum, aut favor, aut præſidium animos ad audaciam inflammaret, ſuâ paſſim triumphabant audaciâ, Ferdinando quædam indulgente, plura etiam diſſimulante; ut graviora pericula, levioribus diſcuteret.

LXXVII Obnitẽtibus frigidè ac fruſtra Catholicis, Noribergẽſis, quod jam ſæpiùs violarant, decreti, de Eccleſiæ bonis relaxationem à Cæſare petunt. Neglecto Gallo, cum Anglo fedus ineunt, ſtudio religionis.

Illi verò, qui has machinationes adverſari non obſcurè Noribergicæ pacificationis decretis animadverterent: ubi *quicquam innovare vetiti, iique ſolùm, qui Proteſtantium tunc factionis cenſebantur Spirenſi judicio, quoad religionis controverſiam, exempti fuerant*: ut malè ſubnixam ſuorum cauſſam adverſus orthodoxas firmarent, legatione apud Cæſarem contendebant; *ut, qui à pace Noribergæ conſtituta, ſuis ſeſe adjunxiſſent partibus, ejus pacificationis beneficio fruerentur; utque Spirenſis in ſe judicij ſententias religionis cauſſa natas cohiberet; denique ne exiſtimaret in aliquod ſe cum Rege Galliarum fedus adverſus Cæſarem conceſſiſſe.* Quod quidem licet oblatum, rejiciendum cenſebant, ne apertè ſeſe cum hoſtibus Imperatoris ſociarent. Quanquam Franciſcum etiam ob ſeveram in hæreſin animadverſionem, graviſſimaque ſuorum in Galliis ſupplicia, occultis odiis deteſtarentur. Cùm Angliæ tamen Rege Henrico, poſt turpem à fide atque omni honeſtate defectionem, fedus adverſus quemvis ſuæ religionis hoſtem, ac Pontificem imprimis Romanum admisêre. Ut verò indignum Regis divortium Theologorum Wittenbergenſium ſuffragatione probarent, adduci nequaquam potuêre; ſed nec Rex, quæ de fide, operibus, Miſſa aliiſque ſancierant Lutherani: ne iniqua in ſcelus alienum conſenſione, aut ſuæ cauſſæ cumularent odia, aut patrocinium improbè emiſſe viderentur, cùm ſine flagitio flagitium nequeat probari. Cæſar, qui illorum poſtulata, nec ſine conſcientiæ vulnere poſſet admittere, nec ſine imperii diſcrimine rejicere, morâ inter ſpem diſceptationemque ambiguam ſuſpenſos diſtinere maluit. Unde longâ diſputatione & partis utriuſque contentione ibi totius ſtetit controverſiæ caput, ubi cœptum fuerat.

LXXVIII. Eccleſiaſtica ſibi variis ex cauſis deberi bona cõtendunt, non verò Catholicis, ideoque ju-

Lutherani omnia ad litem religionis cauſsâ natam revocabant, quæ de Eccleſiaſticorum bonis occupatis movebantur; *quòd negarent aliâ ſe cauſsâ has ſibi poſſeſſiones vendicare, quàm quòd à Majoribus in uſum divini cultus conceſſæ, ideoque à perverſis ſacrificulis meritò ad ſe rurſus, verumque Numinis cultum traducendæ fuiſſent, ne Proavi ſuo conſilio, poſteri emolumento, Deus obſequio deſtitueretur.* Ita in quo Catholici ſummam injuriam, jus illi ſuum conſtituebant, quamque iſti rapinam & improbitatem, hi æquitatem ac pietatem interpretabantur. Intereaque, ſi *qui à Lutheranæ factione ad antiquam ſeſe religionem recepiſſent, hos ſuas in poſſeſſiones redire, novæ ſanctæque, quam deſererent, fidei prærogativa fas eſſe negabant.* Quod erat, ut paucis rem definiam, non tantùm poſſeſſa Eccleſiaſticorum bona; verùm quæcunque toto Chri-

1539. dicium Spirense declinãt.

ſtianorum orbe à Romanæ profeſſionis clero obtinebantur, novi hujus Evangelii profeſſoribus vendicare; ut qui cum ſana (ſi viſum ſuperis) fidei doctrina, puroque Numinis cultu, jus ad univerſas Eccleſiæ poſſeſſiones occupaſſent. Quid hoc aliud, quàm ſuo ſe judicio raptores abſolvere, & quos tot Europæ nationes ac ſententiæ reos perfidiæ conſtituunt, hos ſolos, damnatis ceteris omnibus, proclamare innocentes? Nimirùm non rerum modò, ſed & vocum inverſione, *vis eo tempore jus eſt, quo non ex æquitate, ſed metu regna adminiſtrantur, & imperia magis dantur, quàm accipiuntur à ſubditis.* Monebat ex Cæſaris voluntate Heldus; ſiquid in cauſſa religionis deciſum à Spirenſi judicio eſſet, re cognitâ, fore irritum. Poſtulabat, ut æquâ judicum ſententiâ, ante omnia de cauſſæ genere, religioſane an politica eſſet? decerneretur. Verùm illi omne judicium Cæſareum (quamvis binos etiam ſuæ factionis Spiræ cenſerent homines] ſubterfugiebant, judicum, ubi aliud non pateret effugium, cauſſati iniquitatem. Quo argumento Concilium quoque Mantuæ annô 36. & poſt Vicentiæ indictum à Paulo Pontifice ejus nominis tertio, declinabant. Quod hanc poteſtatem ſummo Eccleſiæ Principi negarent, Cæſari Regibusque deferrent, hoc eſt, ſacra profanis adminiſtranda traderent. Concilium in Germania poſtularent, in quo ipſi Pontificios totamque Chriſtiani orbis religionem ad unius apoſtatæ ingenium legesque transformarent. Ita ſenſim cum viribus reſiſtendi crevit audacia: quam non mediocriter auxerant, recenti Georgii Saxoniæ Principis morte, Cæſaris ac religionis orthodoxæ amiciſſimo, cùm ſub Henrico ejus fratre in Miſniam ſe hæreſis, Thuringiam, reliquamque Saxoniam extenderet. Carolo non negligẽda perturbatione, eo præſertim tempore, quo præter Gallicam Turcicæ etiam potentiæ vim ſuſtinere cogeretur.

LXXIX. Hagenoam comitia Carolus pro religionis lite tollenda indicit, Pontifice diſſuadente, & pacem cum Francisco urgente.

Quare Hagenoam convocandos utrarumque partium viros cenſuit, qui religionis diſſidium, quâ poſſent controverſarum rerum diſcuſſione finirent, ac communem armorum ſocietatem in Turcam Pannoniæ imminentem ſtabilirent. Ceterùm Farneſius à Pontifice ad Carolum Legatus; quod Franciſcum, Carolumque adverſus Solimannum, majori pacis emolumento, ſociandos jure exiſtimaret; neque ſtabile aliquod, ab inconſtantis everſæque fidei hominibus exſpectandum fedus crederet, cùm in Superos perfidis nihil adeò in humanis ſanctum eſſe poſſit, quod violare non audeant, ſic Cæſarem affatus dicitur: *Votum Pauli Pontificis noſtri, à tam noxiis ſeditionibus divulſa Germaniæ membra in ſanum integrumq; corpus reſtitui; ſed idoneam medicinam reſpuentium, ſuaque amantium vulnera, difficillima futura curatio eſt, inconſtantis vitÿ morbus eſt, qui, neque nomen certum, neque medicum tam facilè habere poßit. Polypo omni mutabiliores hæretici, novum indies vultum induunt, quæ nuper in comitiis Auguſtanis, tanquam oracula divinæ ſapientiæ amplexi ſunt, nunc faſtidiosè negligunt, novamque in formam toties humanasque leges transformant, ut ſine lege, ſine forma certa, ſine conſtantia, ſine fide fidem habeant, & ab his quid tandem ſperare poteris, cum Orthodoxis, uni ſemel aſſertæ veritati inſiſtentibus, commune? quid? ut illi nobiscum conveniant, quibus adeò inter ſe non convenit; ut novis quotidie ſectionibus in diverſa abeant, mutuoque errores exprobrent? Vt verò illos indulgentiâ aliquâ emolliendos ſperes, quos hactenus tua etiam exacerbavit clementia, non eſt. Quicquid conceſſeris ſatis eſſe*

An. 1540

 nequit,

1540. *nequit, omnia sibi tribui postulantibus. Suo illi arbitrio de fide statuere, non alieno, jam pridem decretum habent, universalis Concilij sensum, censuramque subterfugient, ac tergiversatione deludent, privatis verò conciliabulis ad fidei, imperijque ruinam, bellique, non pacis artes utentur. Quid enim aliud tot hactenus congressibus omnino impetratum? quid deinde illis etiam legibus, quibus se tibi obstrinxerunt, hucusque confectum? an quisquam tam inter rebelles parum audax repertus est, qui legum decretorumque tuorum septa non transiliret? quid Schvveinfurti, quid Noribergæ pactis induciis constitutum fuerit, meministi. Receperunt, nullis se deinde locis religionis formam mutaturos, aut quenquam suæ societati adjuncturos, pœnâ in prævaricatores constitutâ, quâ fide ista præstiterint, docent tentati legationibus Veneti, Angliæ, Galliæque Reges, docent liberæ urbes, Dux Wirtenbergicus, Daniæ Rex, in communionem federum adducti. Nunc porrò illud agunt; ut summum Spiræ judicium evertatur, ne quos imposterum suorum scelerum patiantur arbitros, & bonorum Ecclesiasticorum jura sine judicis, aut pœnæ timore violent. Vides opinor quantum his, noxiæ libertatis præconibus, concedendum sit, ut tuarum illos partium habeas. Tuæ illi voluntatis non aliter futuri sunt, nisi illorum priùs voluntati te adjunxeris. Quantùm vero, in religionis articulis, illis accesseris, tantum à veritate deflectas necesse est. Inconcussa fidei nostræ fundamenta, suæ innixa petræ, steterunt hactenus, neque dimoveri, sine veritatis ruina, loco possunt. Hæc te, ô Cæsar, ad levissimorum hominum arbitrium transferre, neque ratio, neque religionis nostræ sanctitas patitur. Si quid tamen in rebus fidei controversum inciderit, non ignorabis alieni esse judicij, neque tuo arbitratu definiri posse. Romana hoc sibi Ecclesia, inter rectè sentientes, officium postulat; quâ sine, Concilia, aut indicere, aut inire, negotium est, quod parum æquitatis periculi multum habeat; apud illos præsertim, qui Apostolicam sedem suis eversam fundamentis obfirmatè cupiant. Quocirca aliò tibi consilia ad Germaniæ quietem certius possidendam vertenda sunt, ut & majori vacet religio periculo, & firmiori opere pax instruatur. Rex Galliæ ad pacis armorumque consortium tibi erit admittendus. Quo, uti pronus est, admisso, generali orbis Christiani Concilio, religionis dissidia sunt componenda. Rebelles ad obsequium aut ratione, aut bello revocandi. Hoc nisi feceris, in re tanta, post impensas frustra cogitationes & vires, laboris fructum te denique amisisse senties, neq; promovisse quicquam, nisi ad majorem Imperij labem ac ruinam. Etenim nihil est, cur placidis eos consiliis regendos speres, qui, licet imbelles hactenus, & parvis orti principiis, adeò tamen insolenter, in tuum Pontificiumque nomen grassati sunt; ut si illi cœlo delapsi nos tanquam terræ filios despicerent, hos, ut levi conciliationis momento à jurata perfidia abducendos existimes, id verò erit, ex pumice aquam exspectare. Denique omnis mora, tot conciliabulis impensa prorsus ad majus religionis excidium nefariis hominibus profuerit. Quin eam rescindis, Maximè Cæsar, ne denique tot Principum viribus aucti, non Germaniæ modò, sed & vicinis nationibus metuendi existant.* * Hæc coram Ferdinando ac Cæsare Farnesius. Sed consilio hoc prætèrito, uterque sectariorum atque orthodoxorum Proceres Hagenoam, fide publicâ evocavit: Granvellano, cujus sententiæ plurimum tribuebat Cæsar, id potissimùm suadente, ut sociatis utcumque animis, armisque Germanorum contra Turcam uterentur. Farnesius, ubi, re cognitâ, se spretum intellexisset, mox è Belgio, conceptâ indignatione, abiit.

LXXX Irrita cōciliatio. Verùm nec ad Cæsaris voluntatem ea convocatio cessit. Venit Hagenoam Fer-

Ferdinandus Theologis atque Episcopis Catholicis stipatus; sed Principes, uti exspectatum fuerat nulli, nisi per religionis suæ administros, & legatos comparuerunt. Lutherus tamen Wittenbergæ substitit, Melanchthon morbo per viam detentus est, Bucerus, Brentius, & Osiander adfuêre. Hi ubi de controversiis in fide rebus suam essent sententiam rogati, ad Augustanam confessionem, decem ante annos vulgatam digitum intenderunt, seque ab illa, nec latum deflexuros unguem, sunt professi. Orthodoxi frustra hanc fidei normam adstrui dicebant, quod illa jam multis partibus violata, desiisset observari: tamen, cùm ad hanc recurrant, non se adversari postulantibus. Staret sanè decretum in recessu istorum comitiorum & Noribergæ conditum, atque obtinerent reconciliationis istic inchoatæ capita. Hic verò tergiversari Sectarii ac moras nectere, non ignorantes iis se terminis egressos, in Ecclesiasticorum possessiones passim involasse. Innovari igitur decreta illa novisque se legibus ad pacis federa admitti postulabant. Nempe ut & occupata obtinere, & nondum obtenta occupare possint. Ferdinandus, ubi illam observaret postulatorum audaciam; *bona hæc in medio utrarumque partium esse cupiebat: dum alterutri juris aut pacis initæ prærogativâ æqui possessores essent.* Non placuit tam benignum arbitrium; sed *quicquid jam invaserant, juris esse sui voluerunt, priùs itaque fidei absolvendam controversiam, quàm bonorum possessorum litem movendam asserebant.* Contra hæc, quicquid decerneret Ferdinandus, non audiebatur.

1540. ob Protestantiũ nova postulata fuit.

Indicta igitur Wormatiam nova congregatio ad 28 Octobris spe Cæsaris adfuturi injectâ induciisque in eum finem prorogatis, eâ tamen sectariorum exceptione; ut *si Pontificij istic Legati comparerent, eos se principi loco nunquam habituros assererent.* Hoc ergò tempus cùm adesset propiùs, Nicolaus Perenottus Granvellanus, cum filio Antonio Episcopo Atrebatensi, & Hispanis Theologis tribus Wormatiam venêre: adversarum partium homines supra nominati Melanchthonis & Calvini accessione crevêre, quorum hic ob flagitium Sodomiæ, ut ferunt, Genevâ ejectus, Argentorati exul annis quinque vixerat, Saxonum imprimis familiaritate ac studiis delectatus, jam tum graviora etiam animo machinabatur, à quo, uti versutissimo homine, Bucerus & Melanchthon non modò in erroribus suis confirmati, verùm ad difficiliores etiam scopulos traducti sunt. Sed cùm Cæsar Legatum Anglicum, qui ad eadem comitia Pontificis deprimendi gratia, adspirabat, in Belgio operiretur, detineretque, Granvellanus ad comitia missus ex Cæsaris voluntate, præsentes omnes gravi oratione ad fidei pacisque conjungendas leges, tanto hactenus Europæ incommodo violatas, cohortatus esset, magnis, frequentibusque utriusque partis concertationibus de colloquii forma, de collocutorum numero, de ratione suffragiorum, de non vulgando pendentis adhucdum Concilii arcano actum est; ut denique utrorumque, hinc pertinaciâ, inde meliorum desperatione nihil actum fuerit. Et quamvis Pontificius Legatus Thomas Campegius, quem Paulus Papa, cum impedire congressum non potuisset, in rebus à fide dissonis interpellatorem miserat, de pacis inter Christianos ac præsertim Germanos ratione ac necessitate verissimè dissereret, atque à

LXXXI. Nova conciliatio Wormatiæ indicta, coram Pontificis & Cæsaris Legatis.

Vana de conciliãdi methodo disceptatio.

1540.

nationis uniusConcilio ad univerſale, paci magis idoneum, & jamdudum à Paulo Mantuæ primùm, ac deinde Vicentiæ decretum provocaret, verba incaſſum profudit, generalis Concilii, Pontificiumque nomen deteſtantibus Acatholicis, adeò quidem, ut Melanchthon & Bucerus publicæ diſputationis avidi hanc inprimis urgerent; modò Romanæ gentis homines, & quicquid Germanum non eſſet, cum Monachis, ineptæ, ut ferebant, loquacitatis hominibus, excluderentur. Nimirùm ut Germaniam à ceteris nationibus divulſam, ſuis faciliùs artibus implicarent, quòd privatim apud Ferdinandi Regis concionatorem aulicum, Fridericum Nauſeam, uterque enixè contendit, ac Bucerus etiam, ſuam aliorumque de inſtauranda Eccleſiæ concordia, ſententiam editurus, Nauſeæ illam ex ſcripto obtulit, quo monebat: *Principio Imperatori Carolo, Regique Ferdinando, ac Principibus ceteris, tanquam ſummis Germanicæ Eccleſiæ capitibus perſuadendum; ut paci ac quietæ publicæ, quam in manibus nunc ferant, opportunè conſulant, viris in eam rem ſapientibus ac ſtudioſis tranquillitatis delectis, qui non modò res controverſas, maturâ deliberatione finire, ſed & corruptam ſacrarum rerum abuſione Eccleſiam priſtinæ integritati poſſint reſtituere, arcendos ab hoc munere advenas, Romanosque inprimis homines ambitione cæcos, ſuâque ſentiendi pertinaciâ depravatos, cùm, ne illâ Eccleſiæ, quam in humanas divinasque leges occuparunt, poteſtate, ne opulenta bonorum poſſeſſione ſibi impiè vendicatâ, ne denique honoris ſummi prærogativâ ac dignitate excidant, id meritò reformident. Illorum, ſi iniquè ſuccenſeant, indignationem divinæ poſthabendam; neque ſperandum, ut in eodem cum illis conſortio pax aut religionis concordia inveniri queat. Si quid igitur exſpectari illarum rerum debeat, à gentis unius potiùs, quàm orbis concilio exſpectandum, ſe, collegasque pacis religionisque excolendæ cupidiſſimos, neque ulla, quæ huc faciat, curæ ſuperſedere; nec repugnare, quin Epiſcopi Metropolitani ac primi Patriarchæ ex veterum Conciliorum ſententia ſuæ dignitatis ac poteſtatis loco conſiſtant; iis etiam legibus, quibus SS. Patres, Canones, ac decreta horum Conciliorum ſtatuunt, Eccleſiaſtica reſpublica adminiſtretur; modò ne, rem homini difficillimam neque Deo placitam, cœlibatûs, jejuniorumque ſupervacaneas leges inde accerſendas putent.* * Specioſa enimverò Buceri ſociorumque promiſſio. Ut per hanc Germanos à reliquo Eccleſiæ corpore diſtractos, ſuis machinationibus opportuniores redderent.

Ab univerſali Concilio ad nationale Germanorũ, ut Romanos excluderent, provocabãt.

An. 1541 LXXXII Ratisbonæ denique inter utriusq; partis Principes & Theologos ipſo Cæſare præſente cõciliatio inſtituta eſt.

Quod cùm Cæſar non obſcurè animadverteret, temporisque hactenus inanem jacturam, inter illa Proteſtantium ludibria factam cerneret, datis ad Granvellanum literis conciliandæ religionis pacisque negotium reſcidit, Ratisbonæ, menſe Martio, omnium per Germaniam Principum conſpiratione, ultimoque conatu, reſumendum. Neque Cæſar huic labori defuturus, primùm ante ceteros ordines Ratisbonæ pedem intulit, miſſus etiam, admonito Pontifice, ampliſſimâ poteſtate Gaſpar Contarenus S. Apollinaris Cardinalis, vir literis ac virtute inprimis clarus. Adfuit haud multò poſt Albertus Brandeburgicus, Cardinalis & Elector Moguntinus. Adfuêre Salisburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopi, octo per Germaniam Epiſcopi, ac plures etiam Principes cum Haſſiæ Comite. Saxone hunc congreſſum, unà cum Luthero ſubterfugiente, quamvis ſuos ille Legatos deſtinaverit. Melanchthonem etiam, licet obluctantem, quòd Calvinianâ

jam

1541. *Cochlaeus in actis Luth. Schleid. l. 14 Sur in comment Goldast. const. Imp tom. 2.*

jam vertigine laborare cœpisset, eodem ablegavit. Malis quidem avibus, quia manum illam fatali stylo Germaniæ jam diu fidem ac tranquillitatem acerbè confodientem, lapsu repentino per viam attrivit; sed linguâ deinde tantò usus acerbiùs, ostendit, cùm manu pertinaciam infringi non potuisse.

LXXXIII. Palatinus Cæsaris de conciliatione desiderium exponit.

Nonis Aprilis Fridericus Palatinus Princeps controversiis componendis una cum Granvellano præesse jussus, disertâ oratione Cæsaris in Germaniæ rebus ad tranquillitatem revocandis studium, & in communi Christianorum hoste Turca avertendo labores exposuit, necessariumque esse docuit, ut,* *Intestinis odiis semotis, contra immanissimam Tyrannidem Europæ impendentem animos & arma jungerent: quod domestica hæc dissidia ad certissimam omnium ruinam spectarent. At laborasse contra hanc perniciem tot jam annis, tot conciliandi remediis Cæsarem, ex tot verò, pro quiete ac pace, susceptis deliberationibus nihil præter graviores motus exstitisse. Cupere igitur, ut quàm seriò, tam amicè inter delectos quosdam, ancipites hinc inde religionis articuli ad communem, sanioremque sensum revocentur, & pax tanto nobis opere quæsita ac prorsus, nisi nostro gladio occumbere volentibus, necessaria, denique possideatur.** Sectarii, laudatâ Cæsaris voluntate, eâ colloquentium paucitate, quâ Wormatiæ destinatum, controversias absolvendas putabant. Sed, ubi contentio eadem, de collocutorum methodo, ac personis recruduisset.

LXXXIV. Tres ex Catholicis totidemque ex Lutheranis Theologi deliguntur disceptatores. Libellus controversias complexus à Cæsare discutiendus exhibetur.

Cæsar illam sibi nominandi facultatem dari postulat; ac obtinet, ut hinc, ex Catholicis tres, Joannes Eccius, Julius Plugius, & Joannes Gropperus; ex Lutheranis totidem Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus, & Joannes Pistorius conciliandi viam ineant. Quos deinde pro suo in religionem ac pietatem affectu Cæsar humanissimè monuit; *Vt positis contradicendi affectionibus, atque æmulatione nulli profuturâ, unam Dei gloriam Ecclesiæque, tot fluctibus inclementer jactatæ, salutem spectent, operamque dent, ut turbata, per has opinionum procellas, Europæ tranquillitas postliminiò reducatur.* Addidit deinde Cæsar præter Palatinum, & Granvellanum Præsides, actionis testes, hinc atque inde ternos: denique librum obtulit, à Gerardo Weltwichio Cæsaris familiari, ut ferunt, concinnatum, in quo tamen & Bucerus suæ lineamenta disciplinæ expresserat: neque Melanchthon, Eccii judicio, abfuisse diceretur. Hunc ab utriusque partis hominibus ponderari suis opinionibus Cæsar voluit, adjectisque per marginem observationibus notari, quibus convenirent ac discreparent sententiis. Post adhibitam conciliandi operam fuerunt in hoc libro quædam utriusque partis judicio expurgata, probatave; sed in plerisque res hæsit. Melanchthonis præcipuè contumacia, quem eodem tempore ad Galliæ Regem literis invitatum accepimus; quod ad alendam hominis pertinaciam valebat: Cæsar ubi per Hassiæ Comitem aliosque mitigandi illius adhibuisset operam, nec quicquam profecit; cùm excusationem urgentis adversùm conscientiæ Melanchthon obtenderet, missionemque rogaret, *de justificatione, de fide & operibus, de Baptismo etiam, atque Episcopis, post aliquam disceptationem in eandem utrimque concessere sententiam; at de Ecclesia, Conciliisque generalibus, omnium veluti controversiarum cardine, persuaderi Acatholici non poterant, quin ea erroribus obnoxia esse contenderent.* Tam quidem obfirmatè, ut in Phalaridis etiam Tauro Melanch-

De justificatione utrimq; conventum, de Ecclesiæ infallibi-

1541. Jitae res haesit Melāchthonis pertinacia Melāchthon Zwinglianis favere cōpertus. Multa indecisa mansere. LXXXV Disceptatum, an conciliatis insistendum esset, & concilio generali res commissa.

lanchthon illud defendendum postea asseruerit. Ventum deinde ad illam, quae de Eucharistia erat, controversiam; ubi Melanchthon falsi criminis objectione non mediocriter erubuit; dum Confessionis Augustanae articulum, qui de Christi praesentia in hoc Sacramento erat, detorsisse ad Zwinglianorum impietatem est convictus. Verbo *adesse*, & ultimo articuli membro, *quo Sacramentarij damnabantur*, expuncto, depravata igitur, quanquam non sine novâ fraude, restituit. Exinde ad Poenitentiam, Politiam Ecclesiasticam, Sanctorum invocationem, Missam, Sacramentorum usum, ac Sacerdotum conjugium progressi, verba utrimque tempusque, nullo concordiae fructu, perdiderunt.

Caesar denique acceptum cum observationibus librum ordinibus exhibuit, ac postquam frustra dissidentes ad reliquorum articulorum conciliationem impulisset, in hoc propendere est visus; ut ad minuendas religionis controversias conciliatae utrimque sententiae reciperentur. Dum, aut nationali, aut universali consultatione reliqua deciderentur. Et Principes quidem Electores utrimque probatis standum censuerunt, nec repugnarunt Sectarii, modò Augustanum Caesar decretum aut tolleret, aut suspenderet, & generale Concilium ex sententia Pontificis urgere desisteret. Sed vicit Contareni Ecciique atque Episcoporum sententia, negantium conciliatis insistendum esse, sine Pontificio, & universalis Concilii arbitrio, quod in iis quaedam reperiantur loquendi formulae ab Ecclesiae usu alienae, imò & nonnullae haeresi aspersae, quodque alia ad litem religionis tollendam, aut momenti parum haberent, aut otiosa etiam existimarentur. Ac meritò sanè haec omnium rectè sentientium animis indignissima conciliandi ratio visa est. Qua de sua quisque sententia in rebus ad fidem spectantibus quicquam concedere juberetur; ut si religionis, tanquam regionis termini mutari, transferrique possent, à cujus indivisibili veritate si vel puncto deflexeris, totam amisisti. Quod si verò, ut prae se ferebant Acatholici, de abusibus quibusdam fidei substantiam minimè evertentibus lis esset, improba ac temeraria haec erat illorum ab Ecclesiae obedientia discessio, quae nihil impium suis subditis imperaret, parata etiam, sicubi in Synodo legitima oecumenicaque impietatis aut erroris cujuspiam convinceretur, emendationem admittere. Quod in particularibus synedriis, aberrationi, ex utriusque partis confessione, obnoxiis, fieri, nisi ex certò agnitis, non poterat. Unde semper ad oecumenicum concilium provocatum ab omnibus est, tam iis, qui hoc desiderarent, quàm qui aversarentur; quòd receptissimum in aegritudine remedium respuere erubescerent, ne viderentur nolle totius corporis sanitatem. Optabant syncera mente Ferdinandus Rex, Principesque apud Germanos Catholici; Acatholici solâ voce profitebantur se velle, animo detestabantur; ut in quo diversarum se nationum sententiis damnandos non minùs, quàm Hussium, aliosque olim sectarios praevidebant. Gallus hoc suo emolumento, à Carolo dissidere imperiique ab iisdem scindi vires cupiebat, ne in se junctae conspirarent. Nec Pontifex ac Caesar extra metum versabatur: ille, ne, cùm Lutherani illum Concilii habere caput recusarent; Constantiense decretum de Concilio super Pontificem agnoscendo repeteretur: hic Francisco Gall. Regi,

gi, ad hujus Concilii assensum perducendo, nimium tribuere cogeretur summoperè formidabat. Hinc sæpiùs idem postulatum, sæpiùsque diversis indictum locis ac mox iterum retardatum hæsit. Ut navis, quæ diversis impulsa ventis, modò in pòrtum, modò in devia rursum abripitur.

LXXXVI. Contarenus Legatus Rom. de reformando Clero ad Catholicos disserit.

Porrò cùm Protestantes corruptam Ecclesiæ disciplinam arguerent, Contarenus ne quid ad corrigendos Ecclesiæ mores omitteret diligentiæ, in privato Episcoporum consessu seriò omnes, ex Pontificis voluntate, commonuit. * *Ut vitam ab omni procul cupiditatis ambitionisque suspicione remotam agerent, luxus luxuriæque hostes, modestiæ ac temperantiæ amantes; ne, quam verbo suaderent virtutem, exemplo destruerent, pronumque ad grassantem perfidiam vulgus, offensione mali, ad privatam animæ publicamque Germaniæ perniciem impellerent. Per has primùm vitæ Ecclesiasticæ ruinas illapsam Europæ hæresin, munitissimum religionis propugnaculum occupasse. Magnam passim hominum vim in cæcam perfidiæ captivitatem devolvi; aut ancipiti sententiâ, inter depravatos orthodoxæ Ecclesiæ mores, & speciosa hæreticorum S. Scripturæ promissa, cum vitæ libertate conjuncta, periculosè fluctuare: neque, cui se tutò addicant parti, satis pervidere. His occurri malis certiùs vix posse, quàm ut à propria vitæ emendatione alienam auspicentur, neque solo fidei titulo, argumentoque veteris disciplinæ triumphent; sed dignâ operatione religionis probent integritatem. Fideli præterea ministrorum operâ passim irrumpenti hæresi obviandum, aditusque tempestivè præcludendos: serò enim repelli hostem jam intra muros arcemque receptum. Suas etiam quisque Episcoporum regiones, velut explorator sedulus excubiarum obeat, nec impunè sit cuiquam ministrorum statione suâ officioque decessisse. In cultu divino nequid oscitanter, nequid perfidiosè, atque ab usu institutoque Majorum alienum, nequid quæstuosè ac sordidè administretur. Ecclesiæ beneficia ne ad minùs idoneos vitæque ac disciplinæ incognitæ homines transeant. Facultates non ad immoderatum vivendi luxum splendoremque; sed, ubi abundarint miserorum paupertati impendantur, ne inopes solatio, collatores beneficiorum instituti sui consilio frustrentur. Ad necessitatem hæc tantùm servientium Deo hominum, non inutilem affluentiam concessa esse. Secus qui utantur sacrilegio manus polluere, & pias Majorum cogitationes impiè fraudare. Populo instruendo viros perficiant non à sana tantùm doctrina & religione, verùm & mansuetudine ac humanitate probatos: qui pacis magis, quàm contentionis avidi, ita suis adversariis indignentur, ut vitia, non homines, odisse videantur: illâ enim reprehensionis acerbitate plus ad pertinaciam malos, quàm ad virtutem bonos proficere. Alimenta odiorum odia esse, & contentionibus contentiones inflammari. Diligenti juventutem curâ, per bonas artes disciplinasque ad morum religionisque sanctitatem excolendam esse. Hanc fidei opinionumque, seu probarum, seu improbarum propagandi viam esse, ab adversariis omni hactenus studio exploratam, quâ ad flagitia aut virtutes firmissimè insistitur. Raro malè educatum ad bonam frugem adolescere, sæpè educatum benè. Laudandam in re mala æmulorum industriam quibus neque literati ad hanc rem viri, neque juventus desit. Hanc, ex prima nobilitate, literarum famam sectari, Doctorumque ab eruditione præstantiam. Ita cum bonis artibus perfidiam, velut cum lacte aut melle venenum exhiberi, quod in viscera receptum, nullo deinde remedio queat curari: proximos e[illegible]am [illegible]uosque contagione pestilenti corripiat; dum vel exemplo atque autoritate, vel erud[illegible]ionis [illegible]ipientiaque persuasione vulgus promiscuum rapiunt.*

1541.

*piunt. Agendum igitur, tum ut viri docti de religione rectè sentientes honestis præmiis ad hæc officia invitentur, tum ne discendi gratiâ parentes illuc liberos destinent, ubi cum eruditionis florentis opinione perditæ religionis fama conjuncta est, ne abditum sub herba viridi serpentem venenato morsu experiantur, ac pro salute perniciem hauriant.**

LXXXVII. Diversā tamen Acatholici reformationem Cleri spectabant, sibi magis utilem, & Principibus optatam. Vnde facilis persuasio.

Rectè illa quidem ac sapienter Contarenus, quod ex harum legum violatione ista potissimùm Ecclesiæ clades manasset. Verùm hæc illa non erat emendatio, quam Acatholici requirerent: qui & civilem Judicii Spirensis, totamque Reip. per imperium administrationem suo conformem ingenio, legibusque accommodam, hoc est, eversam, cupiebant, ne aut homines, aut leges essent, quæ occupata per vim Ecclesiarum bona reposcerent, quæ vim à Clero Religiosisque prohiberent. Quocirca, *ex consensu populi Ecclesiæ ministeria esse dividenda, civilem cum Ecclesiastica jurisdictionem sociandam asserebant; ut flagitiosi, qui pedum minùs vererētur, gladium formidarent. Ad populi igitur Principes meritò Episcoporum possessiones cum officio transferendas. Conjuges Ecclesiæ ministris concedendas, ne meretricibus perditè adhærescant, & traditi ad virtutem Duces, vulgus ad turpitudinem præeant. Indignam præterea rerum sacrarum nundinationem à Simone primùm Mago inventam, procul ab Ecclesia removendam. Cleri abundantis facultates in Christianos pauperes ex primo morum instituto, distribuendas. Puerilem ætatem fundamentis doctrinæ Evangelicæ imbuendam. Facinorosos ab Ecclesiæ communione propellendos, dum saniorem mentem vitamque amplectantur. Magistratui advigilandum, ut corruptus Dei cultus ad meliorem institutionem perpurgetur; utque censoribus judicibusque in eam rem delectis, Ministrorum Ecclesiæ plebisque errores ac vitia castiganda tradantur.* Verbo, hoc contendebant, *ut Pontifice, Episcopis, Clero, ac Monachis suâ possessione deturbatis, Lutherus cum novi Evangelij professoribus succederent, omnesque ea & possidere & credere tenerentur, quæ Protestantium dominis ex Scriptura S. definire placuisset.* Hac enim tubâ jamdudum suis Principibus ad hæresim suadendam præcinuerant; hæc Fridericum Saxonem Alberto Moguntino Episcopatum Magdeburgicum invidentem primò inflammaverat. Hæc reliquos Germaniæ Proceres deceperat, cùm tam lautæ fidei, quæ integros Episcopatus transcriberet, nemo invitus assentiretur, præsertim, ubi ex S. Scripturæ suffragiis has prædas admittere pietatis etiam officium censeretur.

LXXXVIII. An Ecclesiæ suprema administratio profanis malè hominibus committitur; & p[illegible] quo un d[illegible] de licta regimen Ecclesiæ evertatur?

Hæc re ipsâ, nomine licet diverso, spectabantur; quando *seculari Principum jure ac voluntate Concilia indici, Ecclesiasq; administrari, plebis verò arbitrio sacrorū ministros deligi; dicatas à Proavis templis opes in promiscuos usus traduci postulabant.* Quâ re Catholici nihil præposterum injuriosumque magis excogitari posse contendebant. *Vt enim ad profanos homines sacrorum principatus, ac cura suprema transeat; quis hoc, vel solam rationem, vel fidem etiam secutus probet? an non illa Petro à Christo olim in commissis ovibus clavibusque est tradita? quis Principum Regumque ad hoc munus, dignitatemque ab hoc Principe nostro institutus est? quonam igitur titulo illi Scripturarum præcones hanc legem tuentur? Flagitia rectè ab Ecclesiasticorum vita asserunt proscribenda, sed flagitio graviori, quo totam funditus religionem subruerent. Meretricantis sese cleri osores speciosius, quàm verius profitentur: cùm ex illa potissimum luxuriosorum fece Lutheranorum factio primùm nata, maximeque propagata fuerit. Vt nisi hi fuissent, illorum non esset hæresis;*

fortè


fortè nec ad posteros diu traducenda, ubi nervus iste incontinentia succisus fuerit. Tantùm *illud à transfugis actum est, ut honesto matrimonij nomine sua flagitia obvelent, Certè nobilißimi hujus factionis Duces, atq; incentores, religionis orthodoxa, jurataque Deo castitatis proditores desertoresque extitêre. Adeò quos Ecclesia dissolutißimos habuit, carceribusque ac suppliciis dignos, hos praclara Novatorum religio in arce sapientia ac sanctitatis collocat. Expendantur mores Antesignani omnium Lutheri, quam castus, modestus, humilis, mansuetusque Dux ille, atque ad exemplum Christi compositus sit, quotidiana ejus vita, convivia, sermones, scripta testantur: tum quotquot ex ipsius schola prodiere discipuli, in tam varias obscœnasque sectas divulsi. Si Ecclesia Catholica dissolutos è clero sustinet, an ministri Acatholicorum sancti sunt? Quis mortalis vita status sine exemplis noxiis etiam in supremis Principum aulis? an iccircò evertenda imperia?* Ita Catholici. Quocirca, cùm illa Ecclesiasticarum legum emendatio, quam Protestantes urgebant, quamque spectarent Pontificii, immenso à se intervallo separata esset, cùmque pars utraque hoc inprimis ageret, ut suæ adversarios opinioni addiceret, propriâque in rebus credendis sententiâ deturbaret, certa, nec quicquam cedere alteri, prudentioribus omnis ille labor conciliandi frustra sumi videbatur. Ipse etiam Imperator magis, ut controversiam duceret, quæ nec absolvi penitùs, nec tutò posset repudiari, ad alia atque alia intentus remedia fluctuanti animo circumferebatur, ratus conceptam mente pertinaciam, aut cunctatione emolliri; aut ferro denique, ceteris per Europam conciliatis Regibus, frangi posse. 1541.

Verùm & Protestantibus non inutilis neque ingrata hæc mora erat, quâ suas hactenus vires magnopere sentiebant augescere; magnarum, cùm regionum tum etiam immunitatum accessione. Jam enim nuper præter urbes quàmmultas, alii Principes, atque in iis Rex Daniæ ac Wirtembergicus Schmalcaldico se federi socios obstrinxerant, nihil reveriti Noribergicæ pactionis obligationem cùm unam sibi legem condidissent, quâ leges omnes dissolverent, Evangelicæ, ut ferebant, libertati adversarias. Id se demùm etiam obstinatâ contentione evicturos sperabant, ut nationali potiùs Germanorum concilio (quo sibi victoriam pollicebantur) quàm Europæ totius conventione ac sententiâ religionis controversia definiretur. Quod licet Pontificii indignum esse contenderent, ut de Ecclesiæ totius ritibus legibusque una natio decerneret; ut Germania statueret, quid Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, quid orbi universo credendum esset, exemplo nullis seculis cognito, inflexit tamen periculorum à Turca imminentium magnitudo Cæsarem, ut & metuendæ sibi, & in hostem necessariæ Protestantium potentiæ vel invitus concederet. Decreto igitur publico ita constitutum est. *Ut disceptatio omnis de fide, vel ad generale orbis totius, vel provinciale Germania Concilium deferretur. Si enim Pontifex obluctetur, intra annum ac semestre Imperij conventum sese denuntiaturum, daturumque operam, ut coram Legato Pontificio lis denique religionis decidatur. Interea Protestantes jubet conciliatis insistere, sacris Monasteriorum atque Ecclesiasticorum bonis avidas manus abstinere, non solicitare ad defectionem Catholicos, Spirensis judicij æquitatem ferre.* Quibus cum minus acquiescerent adversarii, Cæsar mollioribus aliquantò legibus illos delinire privatim coactus est. Ut videlicet, *alterius*

LXXXIX. Inconciliatis decreto novo concedit Cæsar bona Ecclesiastica usque ad futurum concilium.

1541 *rius ditionis homines ad suam religionem, non traducere quidem, verùm ultrò transeuntes fas sit admittere, proventibus Ecclesiasticis utriusque religionis homines jam possessis fruantur. Lis omnis, de qua ambigatur, religionisne, an politica sit, decretum quoque Augustanum, præscriptionesque, inprimis Goslariensis, suspensa maneant, dum communi aliqua decisione solvantur.*

LXXXX. Protestantium pars magna accessione augetur. Ita compositis utcunque animis conjuratam adversus Turcam opem promiserunt. Fidem tamen, adeò indulgenti Cæsaris decreto diu inviolatam non præstitêre: siquidem haud multò post Otto Princeps Palatinus, ac deinde Fridericus septemvir, denique & Erici Brunsuicensium Ducis, vidua uxor ad novum Evangelium, Melanchthonis præsertim operâ, solicitata, cum subjecta gente orthodoxam religionem ejuravit. Austriacæ etiam ditionis homines clandestinis hæreticorum artibus subversi, à Ferdinando, supplicibus libellis, religionis libertatem, puramque Evangelii doctrinam postulabant, quamvis ad futuri Concilii sententiam remissi fuerint. Impetravit hisce etiam Comitiis Cæsar, ut Sectariorum Proceres à Galliæ Regis societate avelleret; tum, ut Guilielmus Cliviæ Princeps, ob occupatam recens Geldriam (quam Carolus sibi vendicabat) Gallicæ confœderationi junctus, nocens decerneretur, ac vulgato per Imperium interdicto sanciretur, ne quis Germanus Francorum stipendiis armisque militaret, quam Protestantium indignationem, severâ in hæreticos per Franciam animadversione Franciscus provocasse videbatur; recenti Germanorum exitio doctus, principiis malorum obsistendum esse.



LIBER

1541.

LIBER VI.

I. Solimannus superiore Hungariam Ioanne Rege mortuo invasit, conjuge ejus cum filio ultra Tibiscum relegato. *Iov. l. 39. & 40. Isthuanff. l. 14 Leunel. l. 18.*

DUm hæc Ratisbonæ gererentur, Solimannus magnam Hungariæ partem contra Ferdinandum armis artibusque suis occupare aggressus est. Concertatio de hoc regno inde nata est, ut suprà memini, quòd Ludovico Rege, olim ad Belgradum à Turcis prostrato, alii Ferdinandum Ludovici affinem, alii Joannem Waivodam Transilvanum ad Regni possessionem evocârint. Quorum hic Solimanni operâ, cui se vectigalem addixerat, possessor factus superiori anno, vitâ regnoque defunctus, Ferdinandum ad fortunam rursus armis experiundam excitavit, neque cœptis omnino successus defuit; nam sub Duce exercitus, Leonardo Vellio, Vicegradum, mox deinde Pæstum, Vaccia, atque Alba Regalis non magno negotio occupatæ. Buda etiam, Rochendorfo regiæ aulæ magistro suppetias adducente, in periculum adducta est, nec dubiè intercipienda; nisi hic majori nomine, quàm consilio pugnans, semel vi, semel insidiis patefactum in urbem aditum neglexisset, donec post hiemem denique Solimannus adesset, cui dum castra nostri objicerent, minutis, quibus Turcæ ob celeritatem maximè valent, præliis, sensim fracti fugâ se Pæstum subtraxêre, quâ urbe, denique ac castris, ita ejecti sunt; ut ad XX hominum millia cladem pervenisse dicant. Solimannus verò hujus regni opulentiâ ac dignitate captus, fidei Reginæ datæ immemor, Budâ illam cum filio puero ultra Tibiscum in Lippam abire jussit, atque ejus loci dominio potiri. Ita videlicet Europæi Principes firmissimo contra immanissimam gentem Orbis Christiani præsidio exciderunt, quod & agrorum ubertate, & metallorum copiâ, & pecorum frequentiâ, non incolis modò, sed & accolis utilissimum, ac veluti quoddam Christiani orbis propugnaculum, hactenus eorum audaciæ objectum fuerat.

II. Ferdinandus Rex frustra Legatos, cum muneribus, pro regno destinat. Orbis argenteus

Ferdinandus ubi suâ se opinione ac regno excidisse vidit, Legatos ad Solimannum destinat amplissimis instructos muneribus, sine quibus nullus ad Tyrannum aditus. Erat præter aureum gemmis distinctum poculum, conflata argento machina, quæ admirabili opere cœlorum motus, siderumque errores, ac præsertim Solis Lunæque occursus per sua temporum spatia exhiberet, ita quidem; ut ponderibus rotisque suis librata, suo se motu regeret, tam æquali orbium cœlestium inæqualitate, ut Solimannus earum rerum non incuriosus observator, operis artificisque admiratione hæserit. Frugali hi primùm à Purpuratis excepti sunt mensâ, quam oryza ac vervecina caro incœpit absolvitque, potu ex fonte

1541. fonte ministrato; quanquam Legatis interdictum sibi vinum detulerint. Non obscura hæc videri poterat luxus nostri reprehensio, qui mensarum apparatum non necessitatis modo, sed immenso gulæ desiderio, aut nobilitatis ostentatione definimus, à mensa ad Solimanni prætorium singuli inter purpuratos duos medii ita deducti sunt, ut levatis hinc inde brachiis ad manuum oscula adhiberentur. Quâ honoris specie cautum Tyrannis est, ne quod facilè ab intrantibus malum accipere possint, manibus ad facinus præpeditis. Legati exhibitis muneribus, ubi sub iis tributi oneribus Ferdinandum regno inaugurari postulassent Solimanni beneficio, quibus id Joannes obtinuisset, eò quod infanti superstiti multis potior titulis videri debeat, id biduo post responsi accepêre. Ut Ferdinandum juberet ceteris in Pannonia locis cedere, ac perpetuo obnuntiare; tum deinde Austriam Turcis vectigalem subdere; nisi arma cum eis malit quàm pacem experiri. Salma & Lichtenstenius, (hi Legatorum munere aderant) justissimâ indignatione dissimulatâ, quam arrogantis Tyranni responsa meruerant, inducias rogarunt, ut Cæsaris ac Ferdinandi ea de re sententiam explorarent, sed irritâ postulatione, quòd Solimannus eis tempus ad exercitus instructionem indulgeri, sibi verò ejus usum per hiemem incumbentem eripi nollet.

astrologicus rarissimi operis.

Legati ad Turcã passis admissi brachiis.

Indigna Solimanni postulata, & Legatorum rejectio.

III. Eodem tempore, quo Solimannus in Hungariam, Cæsar, dissoluto Ratisbonæ comitio, in Italiam contendit Africanæ expeditioni intentus; ut Asanagam Barbarossæ Præfectum Hispaniæ littoribus infestum, Algerio atque ab istius maris possessione, depelleret. Quocirca non levi Germanorum Principum obtrectatione atque invidiâ perstrictus est, quod Pannoniam ac hereditarias Austriacorum possessiones atrocissimo hosti prostitueret, atque ad aliena occupanda tantis terrarum æquorumque spatiis properaret, fratre deserto, neglectâ Germaniâ dedecore nunquam satis expiando; quòd fugam magis circumspicere honestam quàm bellum pro patria, pro aris ac focis gentilitiis videatur. Sed Hispaniæ defendendæ proposita Cæsari ratio, hac obtrectatione potentior extitit. Venit in Italiam ac Lucæ nonnihil apud Pontificem, huc, pacis & Caroli gratiâ, excurrentem, hæsit; sed de pace frustra cum Gallo concilianda laboratum est, quanquam & Moninus Regis Galliarum Legatus adfuerit, qui violatas à Cæsarianis inducias est questus, quòd Rinconius & Fregosius Gallorum Legati, Byzantio à Turcarum Imperatore reversi, in Pado flumine, dissimulatis sub personis deprehensi essent, (neque enim interiisse adhucdum constabat) quæ novi deinde belli occasio fuit. Quamvis non immeritò Rinconium cæsum existimarent, quod is Hispaniâ proscriptus, capitisque in eum pœna jam decreta fuerit, tanquam ad hostium partes transfugam. Cæsar tamen atque etiam Vastius oblato ad purgationem duello, hanc suo imperio cædem esse patratam negarunt: neque Gallis ad hæc argumenta, quæ convincerent, præter vehementem facinoris suspicionem, suppetebant, cùm sicarii laterent, mors sola testaretur injuriam, non autorem; unde variis ultrò citròque criminationibus decertatum est, Vastiusque multorum indignatione oneratus. Porrò de generali Concilio in annum sequentem indicendo inter Pontificem ac Cæsarem est constitutum. Quanquam illud inane decretum pleris-

Cæsar alteram in Africam expeditionem, omnibus dissuadẽtibus, adornat.

Franciscus ob Legatos suos interfectos inducias violatas queritur. Nec tamen hinc imminẽs bellum Carolum detinet.

1541.

plerisque non immeritò visum fuerit, quod pace nondum inter Europæos Principes firmatâ, difficilis ea Synodi conspiratio, ad hæreses aliaque Christianæ Reip. vulnera curanda, omnino futura esset. Omni præterea studio contendebat Pontifex, Budensi jam clade atque occupatione cognitâ, ut Carolum ab Africana profectione in Pannoniam converteret; sed obfirmatam Cæsaris voluntatem, licet Auriæ Vastiique suffragiis adjutus, inflectere non potuit. Ille igitur cum Italicis copiis ab Augustino Spinola & Camillo Columna subitario delectu conscriptis, tum deinde Germanorum 6 millibus in onerarias exceptis, è Lunensi portu Auriâ totam classem moderante solvit, ad Baleares Insulas Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus opportunè cum triremibus Siculis onerariisque CL accessit; cui etiam Mendosius & Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, cum Hispanica classe, voluntariâ nobilitate ad patriæ defensionem plena, conjungendi apud Algerium erant; sed quod biduo seriùs ventorum injuriâ appellerent, Cæsar otiosus ad litus substitit, fortunamque de manibus elabi est passus, quam cum Hispanis communicatam volebat.

Iov. l. 40
Surius in comm.
Schard. ope. hist. tom. 2.

IV. Appulsus Algerium triplici copiarū genere Germanis, Italis Hispanisque obsidet.

Ubi deinde Asanagam in Sardinia natum, atque olim Christianum ad fidem rursus ac deditionem urbis frustra invitasset, suos in terram expositos triplici acie propiùs urbem admovit. Fuit Algerium olim Jubæ Numidarum Principis regia, à Romanis Julia Cæsarea nuncupata, asperis excelsisque à tergo montibus, ad septentrionem mari cingitur. Portum Insula, haud procul objecta, & continenti, Barbarossæ studio, adjuncta, efficit; sed neque capacem satis, neque aquilonibus immunem assurgunt à mari sensim in colles cum domibus mœnia, non ineleganti seriè, quò ex ædibus quisque suis supra vicina tecta eminentibus, subjectum mare possit contemplari. Littus ab oppido ad Matafusium usque promontorium, oblongâ quidem; sed angustâ planicie extenditur, nam ubi à mari aliquot stadiis discesseris, molli flexu à colliculis in altissimos denique montes natura extollitur. Ulteriora montium à Numidis vagâ libertate ita excoluntur, ut translatis mapalibus pecoribusque (quorum numero eorum opes definiuntur) agros quotannis alios serant metantque, dum exhausti frugibus campi ad novam messis copiam sensim respirent. Cæsar orientale urbis latus obsidione complexus, Italos in planicie ad Oceanum, Hispanos in montium verticibus medioque Germanos loco in collibus considere jusserat.

V. Numidarum in pugnando agilitas.

Sed iniquior Hispanis locus obtigerat perpetuâ Numidarum per avia sese adventium excursione infestissimus. Erant Numidæ pedites, è juventute lecti, seminudi, Cæsarie per humeros demissâ, equitum turmis permisti, ut darent acciperentque præsidium, quò tutiùs in hostem jacula (quibus solis armantur) figerent. Lancea equitum erat, utrimque ferro ad aversos etiam ictus instructa, parmis illi oblongis levibusque defensi, intorquentium jacula à fronte tergoque eâ habilitate avertunt; ut, vel obtento scuto, vel hastæ inflexione, à suo illa atque equi corpore amoliantur. Peditum ea celeritas est, ut statarium militem nostrum facilè declinent; equitum verò agilitas longè maxima, quâ, & declinare, & inferre ictum didicerunt; ut vix se quisquam nostrorum acie, nisi ad certa vulnera,

1541. aut mortem efferret, sed his incommodis diligentiâ Cæsaris, contra magnam satis ruinam cautum erat. Spem urbis superandæ loci opportunitas fecerat, cùm sensim excrescentes muri mutuâ propugnaculorum ope, defendi vix possent, nec supra octingentos Asanaga propugnatores sub signis censeret.

VI. Tempestate foedissima classis evertitur.

Sed nimirum immatura hæc cœlo fortuna Cæsaris visa est. Dum enim tormenta de navibus equi provehunt, atque annona militaris expectatur, omniaque ad urbem quatiendam spectant: tam aspera atque importuna, post effusum largissimè imbrem, tempestas mare terramque occupavit; ut istic collisæ inter se naves miserabili naufragio interirent; hic gelidis aquis, à prima noctis vigilia perfusi milites, illi præsertim, qui pro excubiis stabant, neque arma manibus regere, neque immersa cœno vestigia refigere commodè possent. Quam ubi barbari opportunitatem oculis designassent, tres Italicas cohortes, magnâ vi atque ingenti cùm sagittarum, tum lapidum grandine adorti, non levi strage perculêre, quod nostris sclopetorum usus, extinctis pluviâ fomitibus, aut corrupto pulvere, ademptus, hostium furori impunè objecisset. Ferdinandus Gonzaga hanc barbarorum insolentiam infringendam ratus, quamvis dissuadente Columnâ, in eos cum milite Augustinum Spinolam destinat, quibus in barbarorum receptu simul urbem patêre ad ingressum posse existimabat, nec diu restitêre hostes, nostris etiam fugandi cædendique impetu ad ipsas portarum valvas delatis, quæ tamen obductæ subitò, ac mox lapidum jaculorumque ingenti procellâ defensæ, Italos ordinum signorumque immemores, in fugam averterunt. Quâ occasione Asanagas utendum ratus, cum suis portis effusus, quinque stadiorum iter non parvâ Italorum cæde complevit, tantâ militum Ducumque confusione; ut non tantùm animus, sed & militaris consilii ratio excidisse omnibus videretur. Verùm Cæsar opportunè cum Germanorum Legione suppetias attulit, vexillis aliquot præmissis qui suorum fugam hostiumque refringerent impetum, sed & illi fugientium trepidatione atque agmine abrepti, terga vertunt.

Barbari hac opportunitate usi irruunt, non levi clade Cæsaris.

VII. Cæsaris in resistendo virtus infracta.

Tum enimverò Cæsar, contra omnem fortunæ injuriam ferreus, atque in communi omnium consternatione imperterritus, districto gladio, vultu ac vocis sono ad audendum composito. *Itane*, inquit, *Germane miles, levem hanc barbarorum manum non sustines?* nec mora, pudore simul atque indignatione concitati, hostes facilè repressêre: qui, sine clade sua, mare etiam tempestatesque ad insperatam Christianorum perniciem decertare conspiciebant. Siquidem atroci prorsus ventorum conspiratione, mare ab imis eversum sedibus in littora classemque ferebatur, ut immani fluctuum impetu quassatæ naves adversis in se mutuò proris puppibusque collisæ, tanquam crudelissimo Marte victæ, fatiscerent, atque in oculis totius exercitus undis haurirentur, aliæ validis rudentibus anchorisque tempestatis vehementiâ avulsæ, in arenas scopulosve adigebantur, & Numidis ad oram maris hærentibus præda erant, eâ hostium crudelitate, quæ nemini parceret, neque inermi, neque feminæ solis mancipiis ad transtra damnatis transitus à servitute ad servitutem patebat.

Collisæ classis spolia ab hoste inhiante collecta.

VIII. Millæ naves in

In tam ancipiti multorum fortuna ac deliberatione, dum undis alii, hostium alii

alii ferro procumbunt; maluit suâ nave quisque extremum tempestatis discrimen operiri, quàm barbarorum se furori ac certissimæ neci objicere, quæ res non paucas triremes, omni vectorum contentione in Oceano detentas, naufragio exemit, navis simul, & vitæ conservatæ præmio. Et nisi intrepidi aliquot Navarchi strictis gladiis paventium atque ad littus incitantium manus remis amovissent, rostratarum pleræque, eodem exemplo cladis interiissent. Andreas Auria, indignans fremensque; quòd damnatos, observatione navigantium, inclinantis Autumni dies; non suâ, at Cæsaris voluntate coactus negligere, in hanc se fortunam dedisset: contra omnem tamen cœli marisque injuriam adeò infractus perstitit: ut privatam illi salutis curam suadentium voces, acerbâ verborum castigatione, repudiaret, ac publicæ salutis proditores diceret. Ita ille indomitus omnem maris tempestatem, aliique nonnulli, ipsius æmulatione provocati, sustinuerunt. Paucis tamen horis 140 navigia, ac triremes quindecim interiere; ita ut littus universum, ab occasu ad oppidum Cercellum usque, collisarum navium fragmentis hominumque ac equorum constratum cadaveribus immensæ cladis spectaculum proponeret. Quæ verò atrocius in tam florentem exercitum brevi tempore fortuna sævire potuisset? Non modò naves hominesque, sed & iis, qui supererant, commeatus omnis, spesque vivendi cum navibus eversa fuerat.

1541. aliæ subductæ, Auriæ inprimis consilio & virtute servantur.

Navigia 140. triremes 15. pereunt cum præcipuo cômeatu

Quid, quòd & ipsa adeò fuga, patriam retrò spectantibus, magnam partem interclusa, & milites, aut labore, aut inedia, aut vulneribus afflicti succumberent, nec loco quidem relicto ad quietem idoneo, cum ipsa etiam tabernacula ventorum impetus abstulisset. Quocirca, in extrema rerum desperatione, cùm non gregarius tantùm miles, sed nec fortissimus quisque Ducum animos ad tam repentinum exitium retineret; unus in reliquis Cæsar cadentem suorum spem, tantâ animi orisque alacritate, tantâque in afflictos humanitate sustinebat; ut ad illum pertingere tam atròx ac insperata calamitas minimè videretur. Castra obiit, atque opportunis, contra Numidarum vim artesque, excubiis præsidiisque munivit, & qui sibi fesso armatoque non parcebat; aliis tamen, vigiliis pugnisque fatigatis quietem imperabat. Trecentos eo die milites, sed nautas longè plures amisit, cum incredibili tormentorum mari absumptorum damno, quo ipsi deinde barbari locupletandi erant. Ad inediam tollendam, unum supererat remedium, equorum laniena, quæ à nauticis cœpit, ac deinde ad militares pervenit. Ut Cæsar non tantùm in se homines atque elementa, sed ipsos denique aversos ab hoc bello superos pugnare intelligeret. Quibus, ne pœnam daret graviorem pertinaciæ, cedendum ratus, spectabat reditum, ac suis aliquam in fuga securitatem quærebat, unumque se malle Christianum servare, quàm mille Turcas perdere asserebat. Igitur luce alterâ triplici Cæsar agmine Algerio exercitum abduxit, circumfuso undique barbarorum milite, ac tertiis denique castris, ad Matafusium Promontorium accessit, quo Auria classis reliquias, tanquam securiorem in locum, subduxerat. Hic cùm navibus omnes excipi minimè possent, summo multorum dolore gubernatoribus imperatum est, ut omnes ad unum equos in mare proturbarent, quòd hominum aliquantò Cæsari major, quàm jumentorum habenda sit ratio.

IX. Cæsar in extrema calamitate magno animo suos erigit, & ab urbe ad reliquias classis reducit.

1541.
X
Exercitu in classe recepto, nova tempestas evertit multos, alios dissipavit.

Jam magnâ sui parte navibus exceptus exercitus erat, cum mare, ad commodam jam ante navigationem compositum, subitâ tempestate exarsit, ut majorem exactâ mox clade ruinam minitari videretur, atque idcirco navium quælibet non hominum, sed ventorum imperio rapta, velis ventisque obsequebatur, quo deferretur incerta. Nonnullæ in conspectu aliorum interiêre; aliæ, cùm votis ad superos conceptis, tum humanis obluctatæ viribus, in diversas terrarum oras ferebantur. Duarum, quæ Hispanos ferebant, improvisus casus fuit, cùm ad hostile littus, quod declinabant, Algerium depulsæ, aut Numidarum ferro, aut Turcarum servitute premerentur. Alterius etiam quæ quadringentos facilè milites complexa fuerat, luctuosior fortuna extitit; cùm omnes Mediterranei maris tractus sinusque pervagaretur, & postquam alicui portui vicina esset, rursùm in altum ejecta oberraret, ac vectoribus fame confectis umbras magis, quàm homines veheret, quæ ubi, post quinquagesimum jactationis diem, terris accepta esset, eduliis recreati milites, cibum tanquam venenum, ad breve sui exitium accepêre.

XI.
Cæsar variè jactatus ad Baleares denique appulit.

Cæsar, moderante Auriâ cum rostratis, declinandæ tempestatis gratiâ, Africæ præteriens littora, Buziam, Holcachite in sinu urbem, adiit; ubi nonnulli in arcis præsidio Hispani; sed annonâ tenui, contra infestos perpetuò Numidas vix satis defensi, Ligusticâ tamen navi commeatu onustâ & fortè naufragio in littus ejectâ, nonnihil recreatus est, tanquam solâ infelicitate alendus. Postquam hic aliquot dierum morâ, frustra tempestatis exitum, magnis etiam precibus votisque susceptis exspectasset, Siculas abs se triremes, inopiæ faciliùs tolerandæ causâ, dimisit, quæ tamen cursum suum tenuêre. Ipse denique pacatioribus ventis ad Baleares iter, atque inde novam Carthaginem direxit, ac cùm sæpe de inimicis, tum de ipsis modò in caput suum conjurantibus elementis triumphasse visus est, tantâ vultûs animique constantiâ, ut qui aliàs sæpè virtute suorum, nunc tam atrocem adversarum rerum impetum propriâ tantùm, nec communicatâ cum aliis laude, superasse videretur. Quanquam infelicem rerum exitum suæ meritò, contra aliorum consilia, pertinaciæ imputaret.

An 1542

XII.
Franciscus Gall. Rex diversis per absentiã Caroli instructus exercitibus & federatis, Italiam, Hispaniã & Belgium simul invadit.

Franciscus à cæde Legatorum omnem ad arma pacis cogitationem transtulerat, nec mediis opibus viribusque contentus; sed ultimæ potentiæ conatum editurus, Italiæ, Hispaniæ, Belgioque uno tempore, non uno exercitu, minitabatur; ut si minùs ubique, alicubi non exspectanti imparatoque hosti cladem daret. Jam arma in publico, consilia adhuc in occulto erant; nisi quod adversus Carolum ea parata, & Langei, jam Carolo contra Turcam absente, in Italia hostiles conatus, & Veneti, atque, ut ferebatur, Solimannus, in partem armorum sollicitati, ostenderent. Langeus inclinatam multorum sub duro Hispanorum jugo fidem oppugnabat, minori fortunâ, quàm solertiâ; nam detecta Alexandriæ proditio Hispanos advertit: quos induciarum fides securiores hactenus fecerat. Horum tamen vigilantiam Langeus fefellit, cùm, nocte unâ, geminas, easque non parum munitas urbes, hinc Clarascum, inde Albam adortus est, eâ celeritate, ut istic quidem ad-

Surius in com. Iovius l. 41. Belcar. l. 23. Schleid. Haraus. In Italia Langeus Clarascum occupat, contraque Vastius loca alia.

1542.

adesset in mœnibus, priusquam venire sentiretur. Albanis tamen contra improvisum malum Francisci Landriani virtus ac Hieronymi Vidæ antistitis eloquentia profuit; cùm illo Duce, hoc monitore, magna pericula majoribus armis superassent. Vastius, ut Clarasci, haud ita facilè recuperandi, damnum utcunque sarciret, minora duodecim oppida invicem Gallo abstulit. Ita paribus ferè in Italia, inter lucra ac detrimenta, momentis concertatum est. Sed jam geminum exercitum, suspensâ armorum intentione, fecunda bellorum parens, Gallia coëgerat. Astutè Franciscus in Italiam armorum metum, in Hispaniam Germaniamque destinabat impetum. Geminos habebat Rex filios, indole ætateque utrumque jam bellis idoneâ. Henricus alter natu prior, avoque ex matre moribus propior, pallidâ fronte, elatos dissimulabat animi impetus; alter Carolus liberali vultu ingenioque parentis imaginem veriùs expresserat; & amari se, quàm metui malle vel mutus testabatur. Hi duorum exercituum creati Duces Hispaniaq; citerior illi, huic Belgium Patris decreto obtigit.

XIII. Solum Belgium duobus exercitibus invaditur. Rex Danus & Iuliæ Princeps Rossemium immittit, qui Renatum Aurantiū astu occupatum cædit, Antuerpiam frustra tentat.

Et sanè Belgarum populis timenda belli instantis tempestas videbatur, à septentrione simul ac meridie desæviens, quam illinc Guilielmus Juliæ Princeps, cùm Gallorum federato Christiano Daniæ Rege, hinc Vandomius è Morinis regiæ stirpis adolescens in Artesiam effusus, ac denique Carolus Regis filius, tribus exercitibus, totidemque in provinciis, concitabant. Rex Danus Juliæque Princeps Rossemium, audaciâ peritiâque promptum militem, cum exercitatis 14 millium copiis, quibus nullius se exercitûs vires formidare Ductor jactabat, Brabantiæ immisit, quam ingressus Hostratum per deditionem occupat. Ubi pilarum tormentariique pulveris vis ingens reperta, tentandæ Antuerpiæ Rossemio animos fecit, neque rem tantam, auspicante fortunâ, leviter provexit. Siquidem per exploratores doctus instare Renatum Aurantium auxiliari milite ad præsidium urbi inferendum, celeritate viam, juxta Brescotum, præoccupat, expeditoque simul astu, cum silvæ ad insidias opportunæ deessent, peditatum mediis se campis jussit prosternere, equitatus parte exploratorum speciem præbuit, in quem dum incidunt, cæduntque prosequendo Aurantiani, ac victoriam plaudunt: subitaria acies, velut portentum de terra editum, attonitos circumstetit, vexilla hastasque concutit, tympana tubasque increpat, equitatus ex victo repentè victor lateribus instat; ut desperatâ pugnâ fugâque, clementiam quisque hostis, quàm arma experiri mallet. Aurantium tamen per confertos hostes equus alacer Antuerpiam extulit, suæ cladis nuntium. Cui ille, pro ope, desperationem attulisset, nisi consulibus fortissimis Lucio Ursulo, & Nicolao Schemerio id temporis innixa Reipublicæ salus constitisset. Hi cùm exteros Sacramento Cæsaris fidei addixissent, omnem ætatem bellis idoneam ad arma cogebant, cauteq; adversus seditionem atque incendia, publicis privatisque curis providerant. Rossemius ubi Antuerpiæ propiùs castra admovisset, per Legatum urbem Franciæ Daniæque Regibus dedi postulat. Qui cùm responderent, *præter unum Cæsarem nullum se agnoscere Principem*. *Legatus illum jam à piscibus devoratum esse reddit; sed Antverpiani, post triduum illum cum Iona revicturum asserunt*. Itaque delusus spe suâ, cùm

1542. urbis proceres supra expectationem suis opibus animisque comperisset fidere, quasi rem extremam ausurus, molendinis circa urbem subjecit flammas, addidit ad hanc cladem civitas cœnobiorum aliquot sub mœnibus incendia, & ruinam, damnis majoribus hoc damno cautura; ne, ut promptum erat, hostili machinationi in urbem servirent. Agrestium quoque, non contemnendam manum ex vicinia collectam armaverat, ut jam Rossemius festinationem suam majori etiam industriâ præoccupatam videret, ac triduo vix consumpto, aliis sese Provinciæ regionibus populabundus infuderit, ne inutili conatu primus belli fortunæque impetus, in urbe fortissima, tanquam in silicem adactus mucro, obtunderetur. Dum illum Rossemius per Brabantiam terrorem circumfert, adfuit filiorum regiorum alter Carolus, quem Claudius Guisius Lotharingi Ducis frater stipaverat, jam victoriis in Lutheranæ factionis homines clarus.

XIV. Altero exercitu Carolus Regis Gal. filius Lucenburgum & vicina occupat.

Is Lucenburgum Treviros inter atque Eburones munitam urbem adortus est, neque diu cunctandum fuit, ut Gallici juris fieret; ita periculi metus supra periculum invaluerat, pessimo exemplo, quod per viciniam latè oppidanorum animos à defensionis consilio ad desperationem impelleret, plerisque Gallos Dominos, quàm hostes experiri malentibus. Unum Ivodium palustri foris aditu, fossisque præaltis, ac Germano intus defensum milite Caroli impetum diu impunè sustinuit, visumque est Gallicis viribus durius; ut proinde hærentem Carolum, & voce Guisius, & Pater literis revocaret. Sed his expugnari generosa juvenis indoles ante urbem non potuit, cùm translatis in collem proximum tormentis extremam experiri virtutem mallet, quàm inter victorias victus censeri.

XV. Henricus Reg. fil. in Hispania Perpiniano frustra tentato, quod Solimanni classis ope destitueretur, in Italiã recessit.

Minor Henricum in Hispaniam properantem fortuna exceperat. Licet enim Perpinianum, radicibus Pyrenei accumbentem urbem, bellorum metu solutam improvisò circumsistere potuisset; tamen inutili per iter morâ, Helvetiis successuris impensâ, opportunitatem consumpsit, & hosti consilia armaque permisit. Siquidem interea Albanus terrâ, marique Mendosius militem apparatumque bellicum, urbi ad omnia imparatæ immiserant, totâque jam Hispaniâ cogebantur copiæ. Vastius quoque ac Auria ex Subalpinis præsidiis opem destinabant. Quæ res Henricum spe suâ deturbatum, in ancipitem deliberationem conjecit; urgenda, an destituenda inter primos conatus obsidio? Placuit porrò deserere, cùm res Gallicæ deteriores indies tantum obsessorum audaciæ adjicerent, quantum obsidentium timori. Satis igitur habuit salvo exercitu, quâ venerat, abire; ne detrimentum graviùs acciperet, quàm inferret. Nonnulli (ut prona mortalium est ad deteriora suspicio) promissam à Barbarossa Turcarum classem ab Henrico frustra exspectatam memorant, cùm terrâ marique Franciscus Hispaniam infestandam censuisset, quæ præreptis Aurianæ classis præsidiis, magno ad bellum emolumento caritura videbatur. Sed quamvis Antonio Polino Regis apud Solimannum legato, nihil industriæ ad hoc impetrandum defuisse asserant; tamen, cum Veneti, quos federis participes cupiebat Turca, duriores essent, Byzantium iter relegentem Polinum, opportunè importunè apud purpuratos & Solimannum ursisse ferunt, ne Franciscum Hispaniæ fines spe classis adfuturæ penetran-

1542.

netrantem destitueret, consilia fortunamque Regis hac exspectatione subnixa everti, exploratamque detorqueri ex manibus victoriam.

XVI. Turcæ Gallis exprobrant, quod vicariam opem non præstent, auxilium tamen pollicentur. *Vide hæc fusius apud Iovium l. 41. in fine.*

Tam multus hac in re Polinus fuisse dicitur; ut offensæ, quàm gratiæ propior ab Eunucho, acerbâ satis oratione castigatus fuerit,* *quòd alienam amicitiam privatis tantùm emolumentis Galli colerent, nullâque officij parte tot beneficiorum acceptorum gratiam ornarent, fœdera periculis commodisque ex æquo communicatis non foverent. Solimanni se armis vincere, alienis illum armis vinci cuperent, luculenta ejus rei ex proximis à Solimanno in Italiam Pannoniamque illatis bellis argumenta suppetere, ubi nemo Gallorum pro Turcis se commoverit. Quanquam & Turcæ illi sint, qui gallicâ ope carere possint, & beneficia profusiùs largiantur, quam exigant.** Polinus quamvis graviter ictus oratione, quæ ex Eunuchi quidem verbis, sed ab Imperatoris mente profecta, nec absque veritatis specie, videbatur; quod Galli hac ope seipsos, quam Turcam promotum mallent, & commoda magis belli sibi quærerent, quàm alteri faverent; tamen extremi periculi rem facturus ad Solimannum ipsum largitione sibi aditum aperuit, eademque postulata demissè exponit. Imperator nihil præ se ferens indignationis, ore verbisque ad humanitatem fictis, bonâ esse spe jubet,* *opportunum hoc quidem anno expediendæ classis præteritum tempus, alienâ tamen tarditate, non voluntate suâ, facturum ut sequens annus duplo, quàm postularet majori classe; & tarditatem pensaret, & testaretur voluntatem.* Quæ vafrè omnino, & in suam rem Turca pollicitus est; quòd intelligeret, quantùm ipse ex horum Regum dissidio, suis licet impensis alito, caperet emolumenti. Quo intellecto, Franciscus creditur revocandum ex Hispania filium existimasse, partemque copiarum in Italiam transfundendam, ut exoneraret Galliam, Italicumque bellum promoveret. Ita eodem anno diversis quinque regionibus hostilia Franciscus arma intulit, non levi, aut occupatarum urbium, aut rapinarum damno.

XVII. Infelix Germanorum malè dissentientium in Hungariam expeditio.

Quibus jure illa accenseri clades potuit, quæ accepta ad Pæstum urbem in Pannonia imperatorio etiam nomini infamis evenerat. Huc indictis Spiræ Cæsaris voluntate comitiis armorum societate Germanos Principes Ferdinandus traxerat, ut Buda Pæstoque ejectis Turcis, Hungariam ceu propugnaculum Germaniæ rursus adderet. Nec leviter hic offendit Germanorum animos Francisci Olivarii Galliarum Regis Legati hæc auxilia Germanis dissuadentis oratio; cùm primò religionis per Concilium universale, armorumque inter Reges Christianos diffidia ponenda; tum junctis in communem hostem eundum viribus esse, eo tempore consuleret, quo Rex illorum fœdus cum Solimanno, bellum cum Carolo moliebatur, per quæ tam spes Concilii, quàm Turcæ communibus Gallorum armis reprimendi auferebatur, ut aliud Franciscum loqui, aliud agere manifestum esset. Quare spretus his artibus (quas Germani execrabantur] Gallus, se ex ipso conventu ad suos recepit. Apparatus verò Germanorum contra Turcam ingens, & Heterodoxorum etiam Principum conjurata voluntas, Pontificia ad hæc subsidia, sub fortissimo Duce Vitellio, trium millium submissa, omnia ad spem ingentem spectabant. Aderat Mauritius Saxo, haud ignobilis miles, & cum Conrado Hasso Joachimus Brandeburgicus, Protestantium jam religioni autora-

1542. tus, totius exercitus delectus Imperator. Germani septem & triginta confecerant millia, his Hungari, Stirii, Itali, numero vix impari accessere. Sed tam prompta initia, primùm supremi Ducis in rebus expediendis mora; deindè periculorum ubique metuens animus non parùm retardavit, cùm lentis ambiguisque consiliis admotus denique Pæsto, hosti tutiora omnia ad defensionem permiserit. Hic principio non infeliciter contra erumpentes Turcas pugnatum, quassataque urbis mœnia Vitellio potissimùm rem agente; sed ubi irruptione primâ, & clades aliqua accepta, & compertum intra urbem novis munitionibus obseptum aditum, nova etiam per Dravum submitti præsidia, rem dedecoris plenam, Germanoque indignam nomine, Joachimus, multis nequicquam dissuadentibus, egit; cùm tantarum virium exercitum, nullo facinore edito, in Germaniam reduceret, Hungarisque præter desperationem ad defensionem patriæ nihil reliquum faceret, ut ostentare magis bellum, quàm inferre visus sit, pristinæque virtutis ac gloriæ, cum religione mutata, jacturam fecisse videretur, nec voluisse Turcam vincere, ne aliquando à Ferdinando vinceretur.

XVIII. Pontifex omnia pro pace Carolus pro bello molitur. Tridentum Cōcilium universale destinatur.

Hæc Europæi orbis facies erat, cùm duo illius maximi Principes, omnia pro bello Carolus, pro pace experiebatur Paulus Pontifex. Ad Concilium Tridentinum (loco Germanis Principibus indulto) cogendum jam utriusque coaluerat sententia, inter Germanos Cæsarisque ac Ferdinandi Legatos, à Morono Pontificis Legato, pertractata. Neque segnis operum Paulus, vulgato per Europam diplomate, XXII Maii, anni MDXLII Synodum inchoandam decernit festo omnium Sanctorum die, quo ante quatuor & XX annos suam Lutherus Wittenbergæ in dedicata iisdem æde, hæresin fuit auspicatus. Ad quam præter Joannem Moronum, doctrinæ virtutumque nomine Germanis cognitum, Reginaldum Polum, qui Regiæ & Britannicæ originis splendori, facundiæ singularis, innocentiæque Christianæ famam adjecerat, tum denique Paulum Parisium utriusque juris cognitione illustrem, Senatorii ordinis Cardinales, quamprimùm destinati. Neque in Cæsare mora fuit; nam Tridenti haud multò post magnus Cæsaris Cancellarius Granvellanus aderat, urgebatque Concilii initia, ratus conspiratione synodicâ Pontificios, à Francisci partibus ad Cæsarem inclinandos, ac proinde acri in Gallorum cum Turcis confederationem oratione, per filium Episcopum Atrebatensem habitâ, invectus, quâ & Synodi hujus per Episcoporum absentiā evanescentis impedimenta, hæresumque invalescentium incrementa, ad unius Francisci Regis, periniquâ Pontificis gratiâ, in perniciosissimis Christianæ Reip. turbis freti, pertinaciam derivabat. Ut qui violatis armorum induciis, interceptoque Archi-Episcopo Valentino, belli non Synodi cogendæ secum consilja agitaret. Sed & Carolus omnem movebat lapidem, munerum jam pridem officiorumque in Pontificem largus; ut suis contra Franciscum opibus eum addiceret. Ita Novaria Pontifici obvenerat, ita Nepoti Octavio, opes Mediceæ, cum Cæsaris filia, concessæ; sed ubi beneficentia inexpugnabilem virum sapientissimum reperit, favore in offensionem verso Hispanis lege vetuit; ne quam Pontificis auctoritate imperatam Sacerdotiis pecuniam exsolverent, hiberna etiam proximè di-

tio-

1542.

tionem Pontificiam admoveri est passus, Fabritio Columnâ, & Francisco Ursino exulibus haud procul ad terrorem Romanorum agentibus. Scripsit & Cæsar ad Pontificem literas bile in Franciscum atque exprobratione factorum perquam acerbas, ubi violatæ illum fidei, pacis, religionis, conspirationis cum immanissimo Christianorum hoste in communem Europæ perniciem accusat. Quæ deinde Franciscus vulgato ad sui purgationem scripto, acri aceto diluit. Apostolicæ illi exprobrans sedis cum Clemente oppugnationem, tentatamque cum Solimanno, etiam annuo stipendio oblato amicitiam, quæ sibi gratuitò deferatur. Quorum tamen postremum à Caroli magnanimitate nimium abfuisse visum est.

R[illegible]ges H[illegible] & Gall. mutuis scriptis va[illegible] sibi invicem exprob[illegible]nt. *Schleid. l. 14. & Collector Epistol. Turc. l. 9.*

Ut lacerata utrimque Regiæ dignitatis fama, ad publicam extaret contumeliam, eoque jam odiorum processum esset, undè non facilis appareret ad conciliationem receptus. Addidit his omnibus non satis dignum pietate ac constantiâ pristinâ Carolus facinus, ac gravissimum religionis, & sanguinis hostem sui, Henricum 8 Angliæ Regem ad belli societatem contra Gallum traxit. Tantùm æmulatio cum affini ac consanguineo Rege suscepta poterat, ut agnati sanguinis jura incestis nuptiis, religionis dignitatem fœdo schismate temerantem Regem, ad amicitiam admittere, quàm vim Francisci armatam refutare mallet. Ita justè olim conceptam in Henricum indignationem, recentiori in Franciscum indignatione velut tormento pyrio in ardens infumibulum immisso, consumpsit. Nec Henrico hic ingratus sui favoris ambitus erat, unde familiari symbolo usurpare visus hoc lemma fuit: *Cui adhæreo præest*; quod armato Anglo inter Hispanum Gallumque stanti inscripserat, arrogantiâ tamen, quàm virtute majori. Inter tot bellorum irritamenta adhuc Pontifici consilium fuit, animum Caroli pacis suasione pertentare, ratus ad ultimum suum conatum Barbarossæ, ingenti Turcarum classe, Italiæ imminentis vim non parùm momenti allaturam.

XIX. Carolus Henrico Anglo religionis & sanguinis sui hosti jungitur.

An. 1543

Et Bononiam quidem iccirco contendit Pontifex summis in illo senio ætatis viarumque incommodis. Jam enim Carolus rebus in Hispaniâ constitutis, postquam regio titulo Philippum filium sedecennem præfecerat, Barcelonâ Genuâ deferebatur; sed vix altero apud Cæsarem Legato obtinuit Pontifex, ut se conventum vellet; quòd inutili morâ, ac vano pacis studio tempus bello decretum absumendum negaret. Triduum denique ad communicanda consilia pacti Buxeti Palavicinorum oppido XXIII Junii anno seculi XLIII haud procul Parmâ convenêre. Hic ubi Paulus omnem frustra conatum in avertendo ab hoc bello Imperatore consumpsisset, majorique indignatione in Clivensem ferretur Principem, quàm ut ab ejus ultione in Turcam deflecti abs se posset: denique postulavit, ne priusquam abscederet, Marinum Grimanum Cardinalem hac de re dissentem audire detrectaret; tum si quid adversæ opinionis foveret, id propalam in Senatu exponere ne gravaretur, ut orbi innotescat, quibus argumentis à communi hominum sententia deflectat, fore, ut eâ facilitate vulgatæ per Europam pertinaciæ famam nonnihil moderetur. Nec Cæsar, animi rationumque certus, hic tergiversari est visus, ne æquitati causæ putaretur diffidere, aut agere, in luce sapientum, erubescenda. Quocirca advocato Cardinalium senatu Grimanus

XX. [P]ontifex Carolum Buxeti convenit sed tamē ad pacem nequit inflectere.

inter

1543. Oratio Grimani Card. pacis suasoris.

Iovius l. 43. Epist. Turc. l. 9.

inter illos eloquentiâ ac dignitate facilè Princeps, ita fertur locutus. Cùm gravissimæ nobis rei suscepta tecum deliberatio sit, Augustissime Cæsar, & hinc Turcarum immanissimâ gente, inde rebellium insolentia, tua potissimum lacessatur virtus, Romana periclitetur religio: indignari nobis, ac sanctissimo inprimis Pontifici nostro, jure nemo poterit, pacem tanto hactenus opere inter Christianos orbis Principes quærenti, atque etiamnum votis consiliisque extremis perurgenti. Quid enim? ut æquo animo hosti barbaro, Christianoque nomini infensissimo, Europæ libertatem, religionemque impunè divexandam permittas? Iam Pannoniam obtinet, postquam fratri tuam opem imploranti defuisti, & alienarum extra Europæ limites, terrarum desiderio provectus, nec eas possedisti, nec retinuisti proprias. Iam rursus à tergo Barbarossam ingenti classe Siciliæ Italiæque oris imminentem relinques & quem non ita pridem tuis peregrè armis provocabas, nunc domi intraque Imperij limites insolenter in subditorum capita fortunasque grassantem perferes. Quid existimabimus, ô magnanime Cæsar, hostem te fugere, an persequi? unius tu Iuliæ Principem ignobili vindictæ cupiditate, ad rebellionis luendæ pœnam vocas, hostem post te gravissimum totique Europæ formidandum deseris. An is tibi Guilielmus videtur, non magnæ regionis Dominus, cui unâ cum exercitus tui robore objicias Carolum? is verò Barbarossa, tot Christianorum nobilitatus cladibus, tantisque, quantis imperium Turcarum valet, subnixus viribus, cui paucos tuorum opponendos relinquas? Hanc, istâ, qua es animi magnitudine præditus Imperator, de te famam negligere poteris, quæ arma te, à fortissimo hoste, in imbecilles, à gravioribus belli regnorumq; periculis, ad certiora tantùm explorataque magis victoriæ discrimina convertere memorabit? Nescis fortasse, quo animo, quâque existimatione non pauci te nuper sunt prosecuti, cùm destinata sub extremo armorum periculo Pannonia, deserto fratre, regnoque Austriacis hereditario, neglecto religionis discrimine, velut pristinæ virtutis gloriæque immemor, aversus in Africam contendebas. Hic te non obscuri homines Solimannum in Europa timuisse asserebant, cùm illum in Africa quæreres, istic bellum declinasse, ubi armorum gravior strepitus; movisse alibi, quò spes magis victoriæ, quàm necessitas pertrahebat. Quam denique profectionem, tuâ unius voluntate susceptam, cùm neque Superi approbarint ostenderintque, & sine hoste vinci te ac superari posse, qui Divis olim faventibus, maximas etiam barbarorum copias solo aspectu in fugam vertisti; quid est, cur adhuc benè consulentibus, ad intestina dissidia pace abolenda, difficilem te exhibes? Servatum ego te nobis in illa elementorum omnium adversus caput tuum conspiratione, in illo adversitatum concurrentium impetu, singulari Numinis destinatione arbitror; ne tam infelici exitu anteactæ ætatis gloriam cum vita sepelires, atque is denique esses, qui vindictæ libidine refrenatâ, privatisq; affectibus publicæ quieti substratis, de se ipso nobiliorem, quàm ab ullo unquam homine reportaret victoriam. Vt pro pace atque incolumitate Europæ decertasse hactenus te homines intelligerent. Quid bellis nisi pacem securitatemque regnorum quærimus? Felicissimus ille bellator est qui citissimè hanc occupat, magnæ in hostem victoriæ quædam tantùm mortaliũ laniene sunt, ubi spectatæ pacis felicitate destituuntur? Hæc pro ea, quâ polles, animi prudentia, ignorare nequis, pro illa, quâ vales æquitate, non potes aspernari. Hæc ipsa tua oratio est, quâ te arma induisse fateris, ut deponeres: hostem mactasse, ut civem servares; sed enim unum tuis sese conatibus Gallum objicere quereris, alienæ obtrectatorem gloriæ, quietis publicæ turbatorem, hunc, nisi armis, ad quietem compelli non posse. Est hæc gravis, inclyte

Cæsar,

1543.

Cæsar, accusatio, sed quâ graviorem etiam in te ille retorquet. Italicas sibi possessiones per vim extortas abs te queritur, Mediolanum repetit, beneficiario illud etiam jure si jubeas, possessurus. Hoc unum si velis, pacem, opesque etiam suas in communem Christianorum hostem, tibique rebellem hæresim pollicetur. Vide quantillo regnorum detrimento, quantum emolumenti ad totius Europæ tranquillitatem obtineas. Hoc si dudum admisisses, jam Pannonia integra, Africaque magnâ sui parte abs te possessa, fracti Germanorum rebelles, domita esset Turcarum ferocia, domi omnia pace, foris armis possideres. Iam Byzantium Solymasque inter vos partiri potius, quàm Italiam liceret, cum Europa inviolata staret religio, neque barbarorum immanitas nostris crudelissimè cervicibus insultaret. Quin agis atque etiamnum à Gallis in Turcas, à Christianis ac consanguineis in barbaros, & nomini Romano juratos hostes odia convertis? nondum errorem admisisti pœnitentiâ nullâ corrigendum. Deponet arma Franciscus, ubi te mitiora consilia amplecti, animumque ad quietis artes transferre intellexerit, fidem dabit, & ne quâ hac fraude interverti deinceps possit, maximi Europæ Principes, Veneti, Pontifex ipse, sponsores Vadesque servandorum federum intercedent conversuri in violatorem conjurata partium arma. Hoc ut velis faciasque à te Veneti, & jure federum, & periculorum, quæ cum tota Europa subeunt, magnitudine inducti postulant. Hoc Sabaudiæ Princeps Carolus jam septennio integro dissidentium inter se Regum oppressus armis, injuriâ tantò acerbiori, quòd noxæ omnis innocens, medius ipse duorum propinquorum exitiali odio decertantium, cladis pœna, ac victoriæ videatur præmium. Hoc denique tot regna ac provinciæ, quot tuis auspiciis moderaris Cæsar, longâ bellorum tempestate jactata, exhaustis ærariis, eversis urbibus, agris devastatis, enixè postulant, ut tantisper sub tributorum onere, militum licentia, hostium ferocia, respirare in tantis malis liceat. An Pannonum lacrymas, Germanorum preces, liberas piasque Italiæ voces, contra invalescentem hæresim Turcicamque immanitatem, fidem tuam opemque implorantes, contemnere poteris? An optimi sanctissimique Patris nostri aversari consilia, vota atque auctoritatem, probis semper Regibus observatam, negligere? Ne, obsecro, tantùm apud te valeant, aut concepta in hostes odia, aut regnorum cupiditas, ut æquitatis potius, quàm injuriarum oblivisci cupias.* Hæc Cæsar, eâ obfirmati animi sententia in bellum excepit, ut neque gravissimi senatus autoritate, neque disertissimi viri facundiâ, nec denique incommodorum oculis animoque obversantium gravitate, quicquam ab ea dimotus, responderit. * Pacem esse, quam tanto bellorum molimine in sago quæsiverit hactenus, in toga nunquam repertam, arma se potissimùm gerere, atque etiam stringere in barbarorum capita; neque quicquam ante Europæ quietem habiturum, ut tutiùs fortiùsque in communem Orthodoxæ religionis hostem, grassari possit. Luculenta ejus se rei, per Hungariam, Græciam, Illyricum, atque Africam reliquisse exempla; sed passim à tam justa, nec infelici armorum expeditione, aliis atque aliis Gallorum injuriis revocatum. Infestissimam hanc esse Austriaco nomini gentem, æmulatione invidiâque alienæ gloriæ cœcam, nullâ sanguinis communione, nullâ federum sanctitate ad stabilis fidæque amicitiæ cultum traducendam, ex commodo hanc suo fidem, tam facilè amplecti, quàm repudiare: jurato Christianorum hosti Solimanno contra Europæ salutem adhærescere, quàm de sua quicquam cupiditate malle remittere; tam crudeli potius inimico, quàm consanguineis favere regibus, inexpiabili Europeæ gentis dedecore, & Christianorum excidio. Nec satis iis se nunc etiam consi-

Responsio Caroli pacem recusantis.

1543. *liis armisque adjungere , qui hæresi, aut rebellione cæci , aqua imperia Cæsaris aspernentur. Hinc Germaniam tot afflictam cladibus, ac seditionibus turbatam; inde rapinis incendiisque Prædonum excisam Brabantiam, opem modò suam auxiliumque deposcere. Hæc ut impunè perferantur, neque dignitatis, neque æquitatis leges permittere. Compertum jam pridem sibi, neque obscurè ex imperatoriis comitiis orbi cognitum, quò isti Gallorum ad Romanas aquilas aspirantium ferantur impetus; auro tum quidem oppugnasse Principum animos, illorumque favorem, coemisse pretio; nunc & clàm insidias, & propalàm ferrum admovere. Sed ambitionis tum quidem suæ, nunc etiam audaciæ sumptus ignominiamque toleraturos. Nullum superesse nisi ab armis remedium, Galliæ Cisalpinæ possessionibus, sine magna regnorum clade abire se nequaquam posse, hac tam stultâ liberalitate, alieno Regi suas in Italia vires permitti, liberas sibi terrâ marique profectiones interverti, ut ex Hispania Germaniaque ultro citroque commeandi expedita facultas, nisi precario obtinenda, non relinquatur. Malle se Imperatorium ante munus, quam usque adeò dignitatem abjicere; ut alieno jam beneficio, ac dubiâ clientium fide, hospitia portusque sibi aperiri patiatur, non hoc dedecus factorum transmissurum ad posteros Carolum, dum sceptra moderari manibus, atq; arma possit.* * Ita acuente facundiam bile ad ea commemoranda provectus est Cæsar, quæ Romæ quondam, Niceæ, Lucæque pacem suadentibus exposuerat. Ut proinde frustra consiliis humanis oppugnari Carolum, certâ animi obstinatione immobilem, Pontifex animadverteret. Regi tamen Ferdinando opibus se suis adfuturum pollicitus, ne in extremo Hungariæ periclitantis discrimine, desertus à fratre, crudelissimo hosti præda fieret. Neque intra promissionem fides substitit; cùm haud multò post triginta cohortes, ad Norici defensionem destinarit. Desperato pacis negotio, post dies aliquot huic frustrà impensos, Pontifex Bononiam, Cæsar in Germaniam se vertit. Unde imminente jam Turca, & desperatis Concilii Tridentini successibus, quod Catholici belli metu, Acatholici Pontificis autoris odio declinabant, Cæsaris denique Oratores deseruerant, Paulus revocatorio suorum Legatorum diplomate, nondum inchoatum VI Julii in opportunius tempus rejecit, ratus telam se malè orsurum, quæ vel cohæsura non esset, vel cum ludibrio retexenda.

XXI. Barbarossa cũ ingenti classe Niceam allapsus, nihil efficit. Eodem ergò tempore à Pontiis Insulis ad Ostiam Tiberinam Barbarossa appulit, qui tantam Romæ vicinisque populis trepidationem incussit, ut nisi Polinus Galliarum Regis Legatus literis Romam perscriptis, consternatos à pavore revocasset, urbs brevi deserta populo defensioneque omni caruisset. Hâc literas sententiâ ad Rodulphum Legatum dederat. * Verba Iovii. * *Classis quæ à Solimanno ad præsidium Galliæ, Barbarossâ præfecto mittitur, & præscripto mihi paret; ut nemini, præterquam hostibus nostris noceat. Itaque edicito Romanis, cæterisque Pontificiæ ditionis oram incolentibus, ut nihil hostile à nobis timeant. Nusquam enim fidem ab eorum Imperatore præclarè datam Turcæ violabunt, & vos pro comperto habetis Franciscum Galliæ Regem nihil habere antiquius, quàm ut rem Romanam non incolumem modò, sed maximè florentem ac ideò ab omni impiorum injuria defensam velit.* * Hucusq; Iovius. Quamvis autem literis vix fides habita, eventu tamen confirmata est, cùm triduò post Barbarossa motâ classe Etruriæque ac Liguriæ oram, sine accolarum noxâ, (secùs quam in Neopolitana fedè

de-

1543

devastata fecerat) prætervectus, Massiliam cursum instituerit. Ubi nondum expeditis Francisci consiliis, moram impatientissimè tulit Barbarus, quòd post tanta Oceani transmissa spatia, omnis illi cum tempore opportunitas elaberetur, nihilque emolumenti Regi ad victoriam, sibi ad gloriam allaturus videretur. Niceam denique urbem, Sabaudo olim pignori traditam, & bellorum illic fontem, adjunctâ Gallorum classe aggressus est. Ubi Polinus cives ante nequicquam promissis pertentasset, viribus bellicis agi cœptum est, eâ Turcarum industriâ, ac expeditâ, cùm aggeres instruendi, tum dirigendi tormenta ratione; ut Gallorum opera illis collata vilesceret, neque obscuris Turcarum conviciis notaretur. Accessit neglecta à Gallis tormentarii apparatus copia, quam, quòd à Turcis mutuari coacti, tantam Barbarossæ bilem conciverunt, ut Gallicam societatem detestatus homo barbarus, reditum suis denuntiaverit, quem infimis precibus obsequiisque tantisper Polinus retardavit, dum interceptis ad urbis Præfectum literis, Alphonsi Vastii ex Italia adventus nuntiaretur, tum enimverò trepidatio indignationi addita, subitò Turcas ad abitum convertit; licet jam urbs in potestatem redacta, arcisque, sed naturâ loci ac Præfecti Pauli Simeonis constantiâ, inprimis munitæ restaret expugnatio. Substitit tamen Barbarossa Tolone, magno istic procerum studio, ac Provinciæ impendio, per hiemem alitus; classis verò pars in Hispaniæ littora prædatum emissa, magnis ditata spoliis Algerium se contulit. Barbarus anno insequenti saniori Regis consilio, quàm accersitus fuerat, missionem accepit. Magnis hic cultus muneribus, à Gallis, atque etiam à Genuensibus, quos intactos reliquit; sed Etruscis, Brutiis, Liparæque Insulæ revertens ingentem hæc classis intulit cladem, fidesque illa Turcica, quam Franci nuper prædicabant, insigni perfidiâ absoluta est. Christiani passim tanto numero in servitutem adducti sunt, Gallis nequicquam deprecantibus, ut fame mœroreque confecti, totum mare, Byzantium usque, cadaveribus insternerent, neque se aliter, quàm Christianorum exitio pro Christianis pugnare ostenderent. Vastius ubi cum Sabaudo Niceam spoliis flammisque vastatam invisisset, & Præfecti Simeonis virtutem, & barbarorum operâ super Europeorum solertiam prædicasset, collectum militem in Montevici oppugnationem vertit, quod, cùm ad vim, literarum confictarum fraudem adjunxisset, deditione accepit: indè ad vicina Astæ oppida conversus, ea Gallorum armis jam pridem erepta, suæ rursum potestatis fecit. Ita Franciscus denique comperit, quo ad famam ac fortunam emolumento immanissimi hostis prælidia evocaverit, quæ, Superis hanc temeritatem improbantibus, ingentia pro auxilio damna, pro speratæ victoriæ gloriâ, æternum Christiani nominis dedecus reliquerunt.

Italiæ magna clades à Turcis illata, nullo Gallicô modo.

Carolus Imperator accelerato in Germaniam itinere, Bonnæ Ubiorum ad Rhenum oppido tantisper substitit, dum coactus & census lustratione miles est. Itali Hispanique pedites ad octo pervenere millia, erantque Germani alterâ his parte auctiores; equitum omnes dena conflabant millia, qui exercitus Aurantii, Belgarum ductoris copiis ad quadraginta & sex millium numerum excrevit. Hoc Duram movit Juliæ oppidum haud sanè ignobile, egregiâ verò Ducis Guilielmi

XXII. Carolus Iuliæ Ducem Guilielmum bello petit, & Durâ per vim occupata, cetera per Iuliã Cliviáq; oppida prona habuit.

1543. lielmi opera adversus vim omnem hostilem communitum. Præter murum coctili ex latere eductum, fossâ duplici, valloque, intra utramque fossam ad muri fastigia assurgente, cingebatur, quo stante nulla vis muro adhiberi poterat, occupandi verò aggeris difficilis ratio, quòd propugnaculis ad defensionem opportunis, tormenta, per omnem late aditum, ita explicasset; ut sine præsenti conscendentium pernicie obtineri non posset. Cæsar ad omnem occasionem rei benè gerendæ circumspectus, quòd gentis maximè pugnacis ingenium, non ignoraret, recenti etiam suorum id clade expertus, cùm equitum alam, simulatione fugæ, in silvarum angustias deductam magnâ clade multassent, binis Præfectorum occisis, ac Zucero, veteri militiæ Duce, intercepto. Nec deerant qui ex veteri historia Julii Cæsaris cladem à Titurio Sabino & Caio Cotta haud procul Dura acceptam, his populis tribuerent. Fama etiam Martinum Rossemium, exploratæ audaciæ ac felicitatis militem, validissimo instructum exercitu adventare memorabat. Neque segnis urbem Præfectus, Flattes nomine, tuebatur, qui ad omnem vim egregiè paratus, præter subsidiarium militem idoneam bello juventutem, totâ urbe armaverat. Quocirca hostium consiliis, ac munitione inspectâ Cæsar, celeritate utendum, ac viribus primùm omnibus incumbendum ratus; ut vi juxta ac terrore adversarios premeret. Nec fefellit ratio, Hispanis enim Italisque ad prima pericula, & corporum agilitate & animorum præsenti virtute expeditioribus, urbis invadendæ negotium occupatum magis, quàm delatum fuit. Hi enim æmulatione quâdam virtutis, ac laudis contentione excitati, cùm tormentis quadraginta, totam penè diem quassata urbs, ac nudata parte unâ propugnaculis & defensoribus esset, nullo accepto signo in priores sese fossas infudêre, ac superatâ, quæ ad umbilicum pertingeret, aquâ, vallum certatim adiêre. Nec impunis hæc fuit audacia; cùm ingens vallo incumberet glandium procella, quâ in exteriorem pauci, alii in anteriorem fossam, aut casu, aut impetu devolverentur; ut Ferdinandus Gonzaga, proximâ Cæsari potestate omnibus Præfectus nequicquam contra hanc temeritatem suo imperio obniteretur. Sed enim perstiterunt illi revocato impetu, hastisque ac scalis, in proximam muro foveam delati, neglecto multorum interitu, ad mœnia natatu penetrarunt: observaverat Cæsar, ex adjuncta muris domo ingentem dari stragem per aggerem fossasque enitentibus. Hanc Magistri tormentorum oppugnare jussi, tam illud egerunt feliciter, ut convulsis emotisque tecti fundamentis defensores omnes unâ domus ruinâ sepeliverint, tantâ luculentiore hominum plagâ; quòd cum Flatte urbis Præfecto in ceteris spem magnam defensionis oppresserint, ita ubi segnius propugnari est cœptum, Hispani Italique per objectos ignes & flagrantia pice vasa sese in mœnia ac urbem, ausu ac celeritate maximâ intulêre. Ubi neque civium, neque militum cuiquam parcitum est, ne suorum sanguinem, quos infra sexcentos non amiserant, vili hostiâ compensarent. Neque hic substitit clades, sed vel fortunâ, vel indignatione victoris admotæ faces non domos modò, sed & Divorum basilicam nobili elatam opere in favillas converterunt tempore hoc Chronodisticho comprehenso:

Iov l. 44
Surius in comm.
Ha aus in Carolo.

Du-

1543

DVrA InCensA IaCet , DVrâ CerVICe rebeLLIs,
qVo rVIt , aVgVstI MensIs , & ensIs erat.

Profuit hæc Cæsari acerbitas, ad expeditam de reliqua natione victoriam, siquidem ejus humanitatem, quam arma experiri plerisque consultius visum est. Unde Juliacum, Ruræmunda, ac Venlona urbes, Cæsari castra admoventi, citra vim, patuêre.

Guilielmus ipse desperatâ belli fortunâ, & popularium, liberâ voce pacem expostulantium, adductus studio, Carolo Venlonæ supplex factus, in Victoris mansuetudine solam spem habuit. Qui licet Brunsvico & Aurantio deprecatoribus apud Cæsarem uteretur, prostratusque ad tribunal illius, pedesque jaceret, veniam incautis adolescentiæ erroribus flagitans, vocem tamen ab immoto ad omnia Cæsare non obtinuit; nec alia demùm veniâ donatus est, quàm quæ illi Geldriæ Principatum adimeret, ac solam sub Præfecti nomine administrationem relinqueret, additis his pactionis legibus: *ab Ecclesia veteris atque orthodoxa religione ac ritibus ne discederet, mutata ad pristinam consuetudinem revocaret; jure fiduciario Belgarum Principi obnoxius devinctusque maneret, fidem obedientiamque Cæsari ac imperio promitteret: federibus Daniæ ac Franciæ Regum obnuntiaret: Geldriæ Ducatu ac Zutphaniæ comitatu Cæsari ejusque heredibus in perpetuum abiret.* Contra, *Iulio-clivensem Ducatum Cæsar redderet, Heinsbergâ & Sittardiâ exceptis; donec Guilielmus promissam Carolo fidem abundè probasset.* Fuêre qui tam probrosam pacem omnibus belli periculis posthabendam censerent, quando peritissimis belli Ducibus Longavelleo & Rossemio fretus Princeps, oppida quoque castellaque non pauca, contra hostilem impetum egregiè munita, possideret; Gallorum denique subsidiis niteretur, jam antè promissione oblatis. Guilielmi certè mater, virilis animi femina, ignominiosæ subjectionis impatiens, indignatione mortem acceleravit. Verùm sera post accisas jam vires & amissam in hostis manibus libertatem, obluctatio, quæ vincula quidem adstringeret faciliùs, quàm excuteret. Hanc tamen severitatem, aliâ rursum humanitate temperare atque emollire conatus est Imperator: cùm illi conjugali federe Mariam Ferdinandi Romanorum Regis filiam sociandam promitteret, si Vandomii Galli Ducis filia, ob mutatam fidem, ejus thalamo, quod libens fecit, obnuntiasset. Quæ deinde nuptiæ post biennium Ratisbonæ conciliatæ sunt, additumque à Cæsare privilegium, quo feminæ, (quod inconcessum hactenus) deficiente virili sexu, in hereditate succederent.

XXIII. Guilielmus Dux supplex veniam certis sed duris cōditionibus impetrat.

Quo verò jure has sibi provincias vendicarit Carolus, operæ pretium fuerit sua ex origine deducere. Carolus audax Philippi Ducis Burgundionum filius, Belgicarum Provinciarum heres, Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Limburgum, Lucenburgum, Arteliam, Hannoniam, Namurcum, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Marchiam, ditiones regno non impares, possidebat. Hic Geldriâ, Zutphaniamque proximas, opportunasque ad Rheni Mosæque possessionem provincias emptione addidit. Postquam Arnoldus earum Dux aversus filio Adolpho, cujus in vinculis captivus pater sexennium duxerat, jure illum heredi-

XXIV. Quale sibi jus Cæsar quà Dux Burgundiæ in has provincias vendicarit.

1543. tatis exuisset. Sed utroque horum morte sublato, Arnoldus Adolphi filius ad vim auxiliaque bellorum conversus, imparibus deinde armis Carolo succubuit, spe successionis penitùs deturbatus. Verùm Geldri Zutphaniique, veterum amantes Dominorum, ad ejusdem familiæ ex posteris Ducem Carolum rediêre, infestisque per Belgium, agrumque Ultrajectinum, effusi armis, Imperatoris Caroli absentiâ ad suas victorias opportunè utebantur, dum postremùm Carolo Geldriæ ac Guilielmo Cliviæ Ducibus superatis, hac possessione rursùm abirent. Ultrajectina etiam ac Transisulana Provincia, reparandis belli sumptibus, à Cæsare Belgio adjicerentur, Henrico Bavaro Antistite Ultrajectensium sponte eas concedente, quibus auctarii loco Groninga accederet. Ita amplificatam Belgarum gentem Carolus in regni formam corpusque sub unius capitis administratione componere statuerat: nisi diversissima tot nationum ingenia, aliis aliisque permittenda legibus, consilium disjecissent. Nam ad eandem regendi parendique disciplinam adstringere Gallicæ Germanæque gentis indolem, non minùs linguâ, quàm moribus diffidentem, quâdam etiam æmulatione gloriæ studiorũque divisam; id verò difficile, neque diu ad posteros propagandum opus videbatur, cùm quæque & leges alienas, & homines non suos, vix in imperio toleratura esset: *quòd servitutem interpretemur nostram, peregrinæ in nos gentis dominium; & obsequium debere malimus nobis propioribus, amore magis, quàm metu conciliandum, quorum hic diuturni custos obsequium nunquam est creditus.*

XXV. Carolus Rossemio Duce auctus in Belgiũ contra Gallos arma transtulit, ac Landresio frustra tentato, Cameracũ obtinet.

Rossemius, Guilielmo Principe ad Cæsaris voluntatem coacto, fortunam secutus, Imperatoriæ sese addixit militiæ; culpam omnem novo facilè obsequio pensaturus. Nec cunctatus deinde Cæsar in Belgium contra Gallos arma vertit ac Landresium, egregio recens opere à Gallis communitum, aggredi Gonzagam jussit; ipse valetudinis gratiâ Querceti substitit. Huc alter è Belgio exercitus Arescotto & Burano Ducibus; huc & Britannicæ copiæ sub Galoppo ex fœdere confluxerant: ut tribus jam locis ab exercitu triplici urbs una peteretur. Turris erat mœnibus adjuncta, in qua præcipuum incolarum ad defensionem robur erat. Hanc irrito diu labore ac frustratis tormentorum ictibus quatiebant, dum illa, præter firmitatem operis, humo expleta, hostilem facilè conatum eluderet. Interea Franciscus ingentibus adesse copiis nuntiatur. Gonzaga, quem amnis à ceteris diviserat, suas Arescottum Galoppumque in partes invitat, ut junctis hosti castris obsisterent; sed cum frustrato id consilio apud pertinaces, rerumque usu imperitos tentasset, ipse indigna licet postulantibus traducto milite accessit. Nec moratus diu Franciscus, instructo exercitu Landresio se admovet, pugnæ aleam subiturus potiùs, quàm urbis periculum neglecturus. Stabat distributus in aciem Cæsaris miles, sed ubi nihil loco moveret Rex Brisaccum Decarsumque equestris armaturæ Duces, in hostem destinat, qui levibus eum præliis, tanquam justo certamini prælusuri, occupent, ipse interim dextro cornu latiùs explicato, commeatum sensim novumque urbi præsidium impunè intulit. Quod Gonzaga loci opportunitate exutus, Cæsarem ante cum aliis Rossemii ac Mauritii copiis exspectandum censeret, quàm suos audaci paratoque militi cum discrimine objiceret.

 1545.

jiceret. Rex voto potitus, exercitu ad Castrocamerocestum reducto, novo ausu ac penè temerario substitit, hosti pugnandi copiam facturus, & Cæsar quidem festinatis auxiliis adfuit, pugnæque avidissimus castra castris objecit, inter quæ minoribus præliis ancipiti fortunâ concertatum sæpius, vix ut tenebræ ad ardorem certaminis infringendum sufficerent. Sed ut plenis eos castris Cæsariani aggrederentur amnis interjectus prohibebat, cujus transeundi consilium cùm in diem sequentem rejecisset Cæsar, Franciscus suo se officio functum abundè ratus quod Landresium periculo exemisset, motis secundâ vigiliâ castris, tacito abitu omnes fefellit, cum ignibus impedimentisque nonnullis relictis exercitûs speciem, hosti excubanti faceret. Ita spe suâ atque expectatione dejectus Cæsar, postquam Cameracum occupasset, hieme jam urgente in hiberna militem divisit, Ferdinando Gonzagâ ad Henricum Angliæ Regem legato; ut eum quàm maximis in Gallum copiis sequenti vere invitaret.

Ipse Spiram adindicta Germanis Principibus comitia abiit. Inter hos Caroli labores, Hungaria, milite necessario destituta, Solimanno in prædam cessit. Is enim felicia ejus regni obtinendi auspicia urgenda ratus gemino exercitu adfuit. Alterum duce Amurathe Valponii muris admovit; quod cùm vim Turcarum non ferret, deditione incruentâ transiit. Soclenses ubi obfirmatiùs restitissent, Hungaricæ nobilitatis virtute defensi, excidio fortunarum ac vitæ ultimo mulctati sunt. Altero exercitu Solimannus ipse consecutus, junctis cum Amurathe viribus, Strigonium primò, ac deinde Albam regalem aggressus est, fortissima regni munimenta; sed quæ contra ingentes hostium vires parem non adferrent constantiam, ubi spes nulla auxilii, extrema licet perpessuris, affulgeret. Tornicellus quidem cum parvis copiis, quas sub Ferdinandi Regis auspiciis ex Italis Germanisque potissimùm ducebat, propiùs hostem accedere non ausus, urbes aliquot suis præsidiis munivit; sed ea fuit Turcarum, cùm potentia, tum solertia, ut expugnationem utriusque haud multo tempore absolverint, Ferdinando sera Torniello Bohemorum auxilia submittente. Ita denique urbibus totius Pannoniæ nobilissimis Rex barbarus potitus, Budâ videlicet, Strigonio & Albâ regali, iisque novo opere, contra omnem recipiendi spem communitis, toti imperio metuendus esse cœpit. Hac tam luculentâ clade rei Christianæ inflictâ, dolere merito alii, nonnulli etiam lætari sunt visi, quòd Europeos inter se Principes stultâ æmulatione diffidentes, aliquo demum, aut pietatis studio, aut certè ignominiæ pudore, ad sanæ mentis concordiæque necessariæ consilia revocandos existimarent.

XXVI. Magna Hungariæ reliqua pars Strigonium, & AlbaRegalis, à Solimāno occupatur. *Iov. l. 42. & 43. Isthuanff. rerum Hung. l. 15.*

Non tamen hæc Carolum ac Franciscum à meditatis bellis avocare potuerunt. Urgebat Rex illud in locis Subalpinis majoribus per Franciscum Borbonium Ducem Anghianum viribus, quàm ut Vastius Cæsarianas partes æquo satis marte tueri posset. Munierat hic Carinianum oppidum Pado vicinum, Pyrrho Stipiciano, exploratæ virtutis præfecto, commissum. Quod Anghianus præsentis animi juvenis ferendum non ratus, expugnando oppido castra admovit. Vastius autem ad periculum amovendum nihilò segnior, militem ex præsidiis amicisque non

XXVII. Bellum Gallus in Italia, nō sine successu, promovet.

1543. non contemnendum accepit, atque obviam progressus hosti ad pugnam se offerenti, cruento satis prælio, inferior extitit, quod Scaligeri cum Germanorum copiis, in quibus potissimùm exercitûs sui robur collocaverat Vastius, minùs præsenti virtute adversariis obstitissent. Ea tamen accepta ad Ceresolam clades pensata utcunque est Petri Strozzæ prope Dorthonam strage, quâ collectum ex Italia suis stipendiis militem magna parte amisit, priusquam aliquod Francisci rebus emolumentum adferret. Anghianus verò magnis per victoriam progressibus auctus non est; quòd debilitatis copiis, Pirrhi constantiam vix crederet infringendam; Ducum tamen magis, quàm suo consilio ad Cariniani obsidionem reversus, longâ defatigatione ac fame vires animumque Pyrrhi ita fregit; ut is denique honestis pacis conditionibus extrema periculorum posthaberet,

XXVIII. Pontifex ab utroque Rege pluribus de causis offensus, nec favere utrique, nec adversari cutò poterat.

Hæc Europæ species duorum inter se Regum, pertinaci contentione, alternisque cladibus defœdata Paulum III. Pontificem, dolentem nequicquam obluctantemque, & distrahebat animo, & justa in utrumque indignatione inflammabat. Probrosam noxiamque Christiano nomini hinc Francisci cum Solimanno, inde Caroli cum Henrico Anglorum Rege, inimicissimis Pontificii, Austriacique etiam nominis hostibus volvebat animo, exitialemque utrorumque Regum æmulationem, quos neque cognatio sanguinis, neque religionis communio prohiberet, quò minus ad capitales, tum gentis, tum fidei suæ hostes deflecterent, mallentque extremis inimicis, quàm consanguineis animo ac societate copulari. Tantum in amplissimarum regionum possessoribus, unius Mediolani desiderium poterat, quâ possessione destituti, ceu pauperes, indigique unius ducatus Reges, non ab animis tantùm suis (quod leve existimari poterat) sed regno, imperioque Europæ totius, quietem proscribebant; Ecclesiæ, propriisque sese hostibus, ad turpe armorum subsidium impetrandum, precariò submittebant; hæresi pacem, religioni bellum, vim excidiaque tot templis arisque ac Monasteriis eversis inferri patiebantur; ipsis Dei inimicis deferebant amicitiam, ut odia in illius amicos impunè exercerent, & hæc quidem tot cruentata cædibus, tot Christianorum excidio ac captivitate funestata. Ille Turcis Hungariam, hic Italiam, uterque Europam innumeris hæreticorum sectis dilacerandam prostituebat. Tantò difficilius invenire Regem est, qui propriis, ut par est, affectibus, improbè sæpè suis dominis imperantibus, quàm qui populosissimis nationibus rectè dominetur. Inter tales suæ Ecclesiæ filios protectoresque scilicet jactabatur infelix Pontifex, Petrique navicula, duorum ambitione, ceu validissimis jactata ventis, cui favorem is dignè impenderet (cum odia utriusque profiteri res esset plena discriminis, neque Romanis Pontificibus suadenda) vix satis dispiciebat, præsertim cùm Franciscus nuper sororis Navarreæ lenocinio haud procul à præcipitio stetisset, & Henrici Anglorum casu Romana indoluisset recenter Ecclesia. Gravissimum infligebat vulnus provocatus à Francisco Solimannus, nec levius neglecta à Carolo Hungaria, & hæresis per Germaniam tolerata, turbatumque pertinacibus utriusque bellis Tridentinum Concilium, quod vix indictum, & post semestre Pontificiis illic Legatis, velut per ludibrium neglectis, Turcarum erat metu discussum.

Au-

1543.

Auxit verò Pontificis offenſionem Caroli in religionis negotio pertractando
libertas. Ille enim neglecta Alexandri Farneſii à Pontifice, ad ſuadendam pacem XXIX.
ſubmiſſi, cohortatione, toto impetu ferebatur in bellum, Paulo haud leviter in-
dignatus, quod imploratus pro auxiliis, adverſus Turcam Franciſcumque con-
federatos, ſibi nollet adhæreſcere. Cùm verò Pontifex turpe cum Anglo fedus,
velut ex objecta nube fulmen, in Carolum regereret; hic, ex illo mutuatus ſuæ
cauſæ lucem, reſpondit, quòd ſperaret Henricum hac ſe arte rurſum ad ſedis A-
poſtolicæ obſequium, exemplo reſipiſcentis Henrici II Anglorum Regis ſub A-
lexandro III Pont. reducturum. At Pontifex conſtanter negabat armorum ſe cō-
ſilia, ſed pacis admiſſurum: nec adhærere Anglo capitaliſſimo ſuæ poteſtatis ad-
verſario eâ ſpe poſſe, arma præſertim Catholicis Galliarum partibus illaturo,
quique Scotiæ regno, niſi per Franciſcum tardatus, totus immineret, religioni
illud avitæ pariter, atque Eccleſiæ Rom. erepturus. Mariam enim heredem ex
Jacobo Rege unicam, quam Henricus pro Eduardo filio prenſabat, Franciſcus
Delphino ſuo, matre Lotharinga ſtimulante, deſponderat. Unde offenſus Henri-
cus Rex à Franciſco, ad Caroli partes, ceu reverberata fortunæ pila, tranſiliit.
Quo Imperator, licet inimico ſibi ſuisque homine, tanquam veneno ad hoſtem
opprimendum uſus eſt, non amore mediorum, ſed finis.

Cur Henricus Anglus à Francisco ad Carolum transilit.

Ita aliud, longè etiam exitioſius imperio religionique, medium amplexus, Pro- XXX.
teſtantium in Germania libertati frena laxavit, ut ſuis eoſdem conſiliis opibusq;
contra Franciſcum duceret, cujus cum Solimanno fedus averſari non ignorabat.
Nec Legati Gallorum ad Principes in Germaniam, excuſandi federis Turcici
gratiâ deſtinati, extra periculum ſtetere; cùm præmiſſus ab his fecialis, & à Ca-
roli miniſtris exceptus, vix incolumis evaſerit; quòd negarent hoſtibus jure gen-
tium aditum deberi. Hi tamen, cùm ad Comitia Spiræ, magnâ Germanorũ Prin-
cipum frequentiâ anni MDXLIV exordio cœpta, penetrare non potuiſſent, ora-
tionem belli federumque cum Turca defenſoriam typo vulgarunt, quâ frivolè
*Turcam adverſus Sabaudum adhibitum ferebant, quòd Rex hereditatem maternam ſibi de-
bitam conſequi non potuiſſet; in Cæſarem deinde converſa arma ob Legatos contra jus gen-
tium trucidatos. Cum Turca ſe, publicæ quietis causâ, non minus, quàm Venetos Polonosque
ſociari potuiſſe. Abrahamum, Davidem, Salomonem, Machabæos, ac poſtremò etiam Chri-
ſtianos Principes Conſtantinum, Honorium, Theodoſium, aliosque, diverſæ religionis Duces
federibus ſibi armorumque auxiliis habuiſſe ſociatos, neque hoc à quoquam verſum crimini.
Fridericum* II *Saracenorum humeris, in Italiam contra Pontifices eſſe reportatum. Non
tam abs Rege Gallorum invitatum Turcam, quam adverſus Auriam ultrò proceſſiſſe. Poli-
num adfuiſſe, caviſſeque ne quid noxæ Chriſtianis inferret. Nihil Regem hiſce bellis, niſi ini-
què adempta repetere, quibus ſi potiri queat, arma illum adverſus Germaniæ hoſtes, pericu-
lis ſumptibusque ſpretis, ultro lubentemque ſociaturum.*

Schleid. l. 15. & 16. ad An. 1544 Belcar. l. 23. Palavic. l. 5. c. 5.

Frivola Galli de Turcico federe ſubſidioque excuſatio à Germanis rejecta

Verùm hæc jam ſurdis fabula. Cum Proteſtantibus Franciſcus ſuum nullo ar- XXXI.
gumento purgaret facinus, Lutherusque feralis libri nuper claſſico, adverſus
Turcam, ſuos animaſſet. Sed & Carolus omni ſibi induſtriâ eoſdem devinciebat,
inclinatosque ad odia Franciſci animos, in ſui favorem, aliquo libertatis indultæ

1544. lenocinio traducebat. Causatus apud Catholicos, indulgere se cupientibus, quod jam occupatum nolentibus auferre non possit; ut prædonibus equum sibi ereptum viator permittit, ne vitam cum equo extorqueant. Ergo Danum hactenus, à fide orthodoxa & Cæsare ad Galli partes transgressum, sibi autoratum recepit: dotalem pactionem Saxonis cum Clivensi Principe, ob ductam hujus sororem Sibyllam ratam habuit; uti si illi proles mascula deesset, ex hac talis in hereditatem succederet. Eleonoram præterea Ferdinandi fratris filiam, ipso consentiente, primo Saxonis filio despondit; sed arcana ignorataque in vulgo lege, si priusquam maturescat viro, de religione domus utraque consentiat. Quam cum Austriaci de Saxone, Saxo de Austriacis spem, vel alerent, vel fingerent, de umbra conjugii pacti sunt. Saxo tamen, hac benevolentia inclinatus Ferdinandum Rom. Regem salutavit; ut regiâ filius sponsâ ornaretur. Porrò conciliandis reliquis Protestantium X Junii decretum est: ut *Augustani edicti leges usque ad Oecumenici vel nationalis concilij, aut certè, his deficientibus, usque ad autumnalem, brumalemve Principum conventum, suspensæ hæreant, ubi doctorum virorum judicio de pace religionis consultetur, quæ suo interim pede, citra litem ob bona Ecclesiasticorum occupata, & imperialis judicij interminationem subsistat: ac promiscuè ad hujus judicij subsellia utriusque religionis viri idonei Spiræ recipiantur. Ludimagistri quoque & Ecclesiastæ Protestantium admittantur, proventibusque, tam hi, quàm Ecclesiæ, olim attributis non fraudentur. Goslariensis quoque & Mindensis proscriptio, ad futuri conventus transactionem suspendatur.*

Danus & Saxo, & hic quidem spe hereditatis Clivensis; Cæsari conciliatus, spem etiam conversionis facit.

Decretũ Spirensis conventus de libertate religionis.

XXXII. A Catholicis non receptum, sed toleratũ.

Repugnabant huic decreto magnopere Catholici, sed cùm Archiepiscopus Coloniensis, & Monasteriensis Antistes inhærendum censerent, Clivensis quoque ac Badensis Cæsaris arbitrio rem deferrent, professi denique sunt, non assentiri se quidem posse, nolle tamen Cæsari ita statuenti resistere. Cùm verò Protestantes causam Henrici Ducis Brunsvicensis, recens suis possessionibus, ob causam religionis potissimum, dejecti, hoc eodem decreto includi postularent, Carolus obnisus est, ac principatum, velut sequester, ad futuræ decisionis tempus occupavit. Quem absente Cæsare recuperare Henricus armis conatus, per Landgravium Hassiæ dejectus amisit, ipse cum filio Carolo in captivitatem abstractus. Tam prompta erant Protestantium ad Catholicos Principes opprimendos obsequia; ut ipsa etiam prævenirent Cæsaris imperia, clausis aliàs auribus excipienda. His constitutis imperii ordines subsidium Cæsari tam adversus Turcam, quàm Franciscum addixêre; & contra hunc quidem equitum IV, peditum verò millia XXIV, ære præsenti obtulêre. Ex quo tamen Ferdinando, ad firmandam contra Solimannum Hungariam, pars Cæsaris voluntate cessit: ne fratris necessitatibus defuisse parum laudabiliter videretur. Displicuit verò insolens adeò decretum Catholicis, quo non solùm impunitatem exortis recens Protestantibus; sed æqualitatem in bonorum Ecclesiæ, velut aditâ per rapinam, hereditate, fruendique jure indulgeri videbant; qui Echinum in fabulâ imitaturi, admissi in nidi societatem, tandem explicatis aculeis totum essent invasuri. At Carolus inter suos responsabat: *Patienter ferendum, quod emendari non posset; nunc laxari Saxonico frenum equo, cui deinde capistrum queat reperiri.* Pontifex tamen dissimulandum, in

violatâ

violatâ Romanorum jurisdictione, minimè ratus, præsertim cum ferendis Carolū minis reprehensionibusq;, quàm Franciscum patientiorem fore sentiret, severâ eundum Epistola castigavit, ac minaci Pontificiæ indignationis fulmine, ni absisteret, conterruit, nihil veritus tam excellentis in Italia potentiæ Imperatorem fortunamque gentis suæ Farnesianæ, illius potissimùm affinitate & gratia subnixæ. Diploma igitur XXIV mensis Augusti exaravit calamo, melle juxta ac felle illito, & ceu vulnera curaturus acetum oleumque diluendis, senatu Purpuratorum approbante, infudit, non sine Caroli, omniumque etiam Acatholicorum sensu; eo tamen discrimine, quòd illum ad mansuetam pietatem, hos ad efferatam rabiem concitârit. Ex longiori oratione aliqua nos recitasse, cetera, brevitatis studio, paucis iuverit perstrinxisse. *Charissime*, inquit, *fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex Edicto Majestatis Tuæ acta conventus tui Spirensis cognovimus, de quibus cùm nostram sententiam dissimulare paternus noster amor erga te non patitur, tum verò officiȷ & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura universalis Ecclesiæ, ut apertis verbis te admoneam compellit. Nec verò parùm nos ad hoc movet grave severitatis divinæ in Heli sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniventem extat severa illa Dei in hæc verba sententia:* Quia indigna noverat agere filios suos, nec corripuit eos, iccirco non expietur domus ejus victimis, & muneribus, usque in æternum. *Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primùm, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta, hincque posteritatis à Sacerdotio repulsa verbum Domini verum & ratum fecerunt.*

XXXIII. Pontifex vulgato diplomate cōtradicit, & Carolo severa minatur.

Nos verò, fili, cùm à Te indigna quædam decreta in Conventu Spirensi ex ipsis actis animadverterimus, indigniora verò designata esse, & talia, quodsi propositum exitum, quod Deus avertat, consequantur, non solùm Te in certissimum animæ salutis periculum adductura; sed Ecclesiæ paci atque unitati, cui super omnia studere debemus majorem, quàm quâ hactenus laboravit, perturbationem sint allatura; nolumus sanè prætermittere, quin Te, à Deo nobis honore & amore Primogeniti commendatum, his nostris literis de tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem Te, non ut Heli filios admonendum duximus, quos depravata voluntas & consuetudo peccandi indociles propè ad rectam disciplinā reddiderant; sed ut eum potiùs, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum, quo majorem in spem venimus non frustra nos admonitione paterna apud Te usuros. Omnia verò, fili, in eo sunt, si ab unitate Ecclesiæ Te abduci non sinas, à consuetudine Majorum tuorum religiosissimorum Principum non recedas; sed eundem ut debes morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta pertinent, observes, quem multos annos summa cum pietatis animi tui significatione edidisti. Is verò est ejusmodi, ut quoties de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad sedem Apostolicam judicium referatur, nihil illa inconsultâ statuatur. Tu verò nunc, fili, cùm vel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius inprimis Germaniæ mentionem facis, vel de Nationali, cujus etiam meministi, vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali conventu, in quo de Religione, ceterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis; ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus ubique nomen, cui divina & humana jura, approbante tot seculorum consensu, supremam cùm cogendi Concilia, tum statuendi

Ostendit salutis discrimen.

Neque fas esse cuiquam præterquam Apostolicæ Sedi

1544. de rebus Ecclesiasticis statuere, aut ferre judicium.

de his & ordinandi quæ ad Ecclesiæ unitatem utilitatemque spectant, autoritatem dederunt.

At verò, neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesiæ & Majorum abs te morem atque institutiones divinas minimè servatas fuisse; sed alia præterea, & ea quidem non pauca peracti jam conventus decreta leguntur, quæ maximè, & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam quod Laicos de rebus spiritualibus judicare vis posse, neque Laicos modò, sed nullo discrimine Laicos, & damnatarum hæresum assertores; quod de bonis Ecclesiasticis, eorum futuris controversiis statuis, quod eos, qui extra Ecclesiam sunt, & per Edictum tuum pridem damnati, honoribus pristinis in judiciis ac tribunalibus restituis, atque hoc pro tua, & imperatoria potestate facis, minimè approbantibus ceteris, qui in antiqua & sancta obedientia perseverant. Quid tandem horum, cum divinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuò Ecclesia est gubernata, convenit; quæ omnem potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cœtus regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt? Hæc verò, quò magis ab omni recta disciplina & consuetudine Majorum sunt aliena, eò minus nobis persuadere possumus è tuo ipsius sensu illa unquam emanare potuisse; sed eandem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctæ sedi rebelles sunt, putamus. Id verò eos impetrasse tantò magis dolemus, quantò id Tibi & Ecclesiæ, nisi citò ad teipsum redeas, majori damno, & detrimento fore, nobis maximè est persuasum.

XXXIV. Hæc ergò cùm disseruisset Pontifex, argumenta deinde profert, quibus facti indignitatem demonstrat, ut quod periculosa illorum amicitia consiliumque sit, qui fide ac moribus corrupti, ab orthodoxa Patrum semitâ & Ecclesia divulsi sunt. Quamvis enim specioso titulo Sacerdotum Catholicorum labem obtendant; ut viros Principes in munus officiumque illorum, ac causas religionis dijudicandas pertrahant; id tamen non magis Deo placere posse, quàm cùm Oza, absentibus Levitis, labanti in curru arcæ Domini profanas manus: aut Dathan, Core & Abiron Moysis & Aaronis officio sese admoverunt, quos omnes repentinâ morte, & hos etiam dehiscente terrâ, haustos accepimus. Laudabile esse incensum adolere Deo, sed hoc Oziæ Regi, quantumvis pio, sibi tamen præter usum arroganti, quod Sacerdotis erat, impunè non fuisse. Et Leges Religionis sancire probas, minimè improbum esse; sed non esse nisi illorum, quibus Deus commisit regendam Ecclesiam, quique ligandi solvendique potestate donati sunt. Si quid minus rectè à Sacerdotibus actum, habere illos judicem illum, qui dixit: *Ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu illorum.* Imperatoribus Regibusque hoc minimè judicium competere, sed patrocinium impensum Sacerdotibus, & Ecclesiæ favorem, quem in Constantino & Carolo Magno, Theodosiisque Deus illustribus victoriis ornarit, secùs quàm in Mauritio, Constante II, Philippo, ac Leone, aliisque orientis Impp. ignominiosè vitam claudentibus; tum etiam in Henrico IV & Friderico II occidentis Imperatore factum, quorum ille à filio proprio captus; hic etiam interemptus. Et si quidem impunè aliqui hanc sacrarum rerum violationem hac in vita ferant, hos graviori Dei indignatione cumulatis noxis pœnisque ad futurum severiusque illius tribunal reservari. Infelicem esse Judæorum nationem in spreto Christo; & Græcorum in ejus Vicarii potesta-

Exemplis malè pereuntium terret, profanosque à rerum sacrarum administratione revocat.

Protectores Ecclesiæ Cæsares ostendit fuisse felices & secus infelices detrectãtes obsequium.

te

 1544.

te contempta. Cujus tamen autoritas illis, vel contemptis, vel oppreſſis, & ſuâ etiamnum cæcitate plexis, hodieque perpetuâ ſucceſſione floreat ac conſervetur. Quocirca orat Carolum, monetque, tanquam filium præ omnibus dilectum, amantiſſimus Pater; ut exemplo Conſtantini, imperio non minus, quàm virtute Magni, judicium omne de Sacerdotibus Deo, de rebus ſacris, Eccleſiæque bonis, ſacerdotibus relinquat, aut ad generale Concilium remittat, neque tot novis Edictis ſacros canones lædat, & priora edicta identidem deſtruat, ac plura indies Germanicæ nationi indulgendo, illius aviditatem non tam expleat, quàm exacuat; ut hæc petendi aliena finem nullum, ipſe largiendi nunquam reperiat. Abrumpendam hanc denique temeritatem, & negandum, quod concedi nequit; ne in has Pontificem compellat anguſtias, ut ex autoritate ſibi cœlitus tradita ſeverius cogatur agere, quàm vel conſuetudo, vel natura aut voluntas ferat. Statuendum proinde, ſibine ut capiti in rebus ad Eccleſiæ unitatem ſpectantibus præbere brachium, an potiùs favère illis velit, qui hanc miſerabili ſchiſmate dilacerant.

Hæc literarum ſumma, in quas inhumana prorſus rabie Lutherus Schleidano teſte graſſatus eſt vulgato ejus tituli libro: *Adverſus Papatum Rom. à Sathana conſtitutum*: cui novus ille Saxonum Apoſtolus, pro ſolitâ modeſtiâ, non minùs in Cæſaris Principumque Catholicorum, quam Pontificis contemptum, ſuæque gentis & religionis talia probantis opprobrium perpetuum, figuram præfixit, Papam in ſede decumanis aſini auribus præditum, quem diverſa dæmonum obvallarent monſtra, aliiq; ex his cor vorarent, alii implexum funibus ad hiantis fumantisq; inferni barathrum abſtraherent. Alibi eundem porcæ mammoſæ impoſitum, ſiniſtrâque oletum præferentem, dexterâ populum benedicentem exhibuit, ut nihil ab infimo ſcurrarum propudioſiùs fingi procudique potuiſſet. Cùm nihilominus tale Germanicæ nationis abortivum, gens cæca, & priſcæ moderationis ac conſtantiæ oblita, futili exorbitantis ordinis ſacerdotalis prætextu, Evangelicæ doctrinæ Apoſtolum habuerit, ut qui ab hac ſchola diſcipuli exſpectandi ſint, doceat tam ſcurrilis & arrogans, ſummisque orbis capitibus illudens Magiſter: longè illi diſſimilis, cujus ſolennis vox ac doctrina eſt: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* XXXV. Lutheri probroſa ſcurrilitas ob decretū à Pontifice damnatam.

Longè aliâ à ſummo Imperatore Carolo mente hæc excepta oratio eſt. *Neceſſitate ille ſe magis, quàm voluntate ad ejusmodi abſtractum Edicta ferebat, quibus nihil largitus ſit, quod non obtinuiſſent, nihil, niſi ad proximos fruendum conventus, indulſiſſet, dilatâ non data poſſeſſione; ut armis ſibi contra Turcam hoſtesque alios jungeret, quos religione non poſſet. Non ſe incommodorum in remp. Chriſtianam invectorem, ſed pro viribus propulſatorem fuiſſe. Excuſationem daturum loco ac tempore, quâ intelligatur ſe Catholici Principis functum munere, ac debitâ in ſanctam ſedem reverentiâ; quod ſi quisque ſuo præſtitiſſet in gradu, haud obventura fuiſſe, quæ Chriſtiana pertulerat res incommoda, idque à ſe adeò probatum iri, ut culpa in promeritos recidat.* Ita Oedatium Pontificis Legatum hoc diploma offerentem, ad Paulum remiſit, ſine ulla exulcerati animi ſignificatione. Cæſaris manſuetudo & decreti excuſatio.

Interea Carolus Solimannum inter Franciſcumque potentiſſimos duos hoſtes me-

1544.

XXXVI Cæsaris cum Turca induciæ bellumque in Franciscum Gall. Regem, cũ Anglo & Protestãtibus.

Iov. l. 45. ubi finit: Schleid. l. 15. in fine. Belcar, l. 23. Harius an. 1544.

medius, cùm utriusque simul experiri vires rem esse didicisset periculi damnique plenam, licet in Turcas militem destinasset, maluit cum his tamen per inducias pacisci, quàm tam præsenti sese discrimini objicere. Rebus itaque Spiræ, cum Principibus electoribus, utcunque compositis, postquam illos, Anglum, Danumque suas in partes, à Gallo abstraxisset, cautumque deinde lege esset, (licet & datâ & irritâ sæpiùs) ne qui Germani Gallorum mererent stipendia; ingentem Cæsar in Galliam transportavit exercitum, in quo præter Rossemium, Guilielmus Furstenbergus Gallicæ dudum militiæ assuetus, à qua (dubium, suisne in Gallos, an Gallorum in se rejectus odiis) Cæsari se adjunxerat, Mauritius etiam Saxonum, & Albertus Brandeburgi Princeps, præter Belgas, Italos, Hispanosque Duces, accesserant, lectissimis verò copiis tormentorum apparatum addidit usitato majorem.

Lutzenburgo occupato in Cãpaniam transfert exercitũ, variasq; urbes expugnat.

His, quæ sui olim juris fuissent, oppida primùm aggressus, Lutzenburgum, Clivii Ducis armis non ita pridem occupatum, ac nuper Gallicis per Aurelianum viribus, recuperatum, egregioque munitum labore, obsidet. Septuaginta facilè æneis tormentis instructum Galli reliquerant oppidum, sed militum annonæque præsidium diuturnæ oppugnationi par, nondum acceperat. Hanc tarditatem in suum vertit commodum Imperator; siquidem omnem Francisci expectationem celeritate ac diligentiâ in comitiis Spirensibns per Furstenbergum præoccupavit, oppidumque Maio mense XV obsidionis die non vi, sed inopiâ suæ potestatis fecit. Superato exinde Mosâ flumine, Comersium solo apparatu tormentorum & milite, oppugnantium specie, circum explicato, ita exanimavit, ut quatridui terrorem vix tulerit. Ea res valuit ad Galliæ totius trepidationem, nondum enim maturâ segete ad militarem annonam hostili in terra opportunam, futurum vix putabant; ut Cæsar tentaret aditum Galliæ. Sed is præteriti anni frumentis copiosè exercitum instruxerat, Francisco tum propter annonæ, tum Helvetiorum absentium defectum adhucdum imparato. Ligninio deinde sine offensione castra admoventur, hoc quamvis instructo milite, tum arce impositâ egregiè confirmatum esset; tamen ex adversis duobus collibus muro incumbentibus magnum accipere detrimentum poterat. Hi colles à Ferdinando Gonzaga tormentis occupati sunt, ac præterea ex duobus in planitie excitatis suggestis, ita urbs quassari cœpta est, ut ingentibus undiquè ruinis succumbens murus, non pediti modò, sed & equiti ingressum sterneret. Tanta mœnium clade conterriti Gallorum antesignani, Hispanorum, jam ad irruptionem dispositorum, vim expectandam non censebant; sed arbitrio victoris sese tradidêre.

Sendesirium, Landa propugnatore sublato, præter spem deditur.

Hinc castra ad Sendisirium producta, oppidum & viris fortissimis, & operibus ante cetera munitum. Landa enim nuper Landresii propugnatione contra Cæsarem nobilitatus istic præsidebat, urbisque mœnia in planitie ad Matronam amnem collocatæ novis propugnaculis firmaverat, quæ flumine ad septentrionem appositè erant defensa. Cæsariani, tantâ vi oppugnationem aggressi sunt, ut non multis horis quassata tormentis mœnia, ac bina sub turribus propugnacula, trecentorum passuum strage corruerent. Sic ut Hispani milites invadendi oppidi

pote-

potestatem sibi fieri à Gonzaga cuperent. Sed ipse, laudatâ suorum voluntate, temerè nihil audendum monebat, quòd difficilis etiamnum ingressus antè paucis explorandus, quàm pleno agmine tentandus esset. Sed qui exploratum missus cum paucis erat, sublato vexillo ad murum contendit, quem reliqui Signiferi postquàm pari audaciâ ac gloriâ provocati, per fossas eniterentur, ipsi denique Duces, ne in periculo suis deessent, sunt consecuti. Sed temeritas hæc impunis non fuit, nam libratis ex occulto tormentis, sclopetariisque in eandem turmam effusis, tanta subitò cadentium strages edita, ut fossam omnem latè compleverint nec infra quingentorum capitum numerum clades steterit. Hac tamen Germani nequicquam consternati, post receptas aliorum reliquias & ipsi foveas injussi subeunt, quorum ut par propè fortuna; sic recursus aliquantò fuit celerior. Chirosa, qui inauspicatæ expugnationis autor fuerat, cùm omnium vocibus peteretur, Cæsari vitam suam fidere non ausus, ad Gallos fugâ transiit. Res igitur, ubi infeliciter cecidisset, aliâ obsessos viâ Cæsar aggressurus cuniculis fodiendis operam dedit, sed his dum hostes occurrerent, irrito rursum conatu laboratum est, donec, Landâ jam tormenti ictu sublato, urbs ad magnam tormentarii pulveris redacta inopiam, post duodecim dierum inducias, quibus Regem frustra expectabat, à Cæsarianis deditione occupata est. 1544.

Sub hanc victoriam, post ancipitem deliberationem, proximisne Galliæ oppidis, an ad ipsa regni visceraLutetiam transferendus exercitus esset? hæc posterior sententia valuit. Aspernectum itaque impositum destinato itineri oppidum, progressus, simul illud oppugnavit: magnâ ad annonam militarem, quâ refertus hic locus erat, accessione. Quo eventu, ubi Regis opinionem prævertisset, is promotis castris, sese objecit ex altera Matronæ ripa Cæsari; ut illum, vel transitu excluderet, vel justo exercitu transportatum refelleret. Magnis verò, uterque exercitus per Galliam effusus, cladibus ac incendijs grassabatur Regius, ne quid hosti ad usum superesset, Cæsarianus, ne quid inimicis reliqui faceret. Intereà Parisios delatus rumor, Cæsarem properato victoriæ cursu, post expugnata passim oppida, imminere Lutetiæ, tantâ amplissimæ urbis trepidatione, ut neque consilio virorum Principum, neque pudore ab effusa per Sequanam fuga contineri incolæ possent, plus denique in studiosa juventute ad arma concurrente, quàm civibus animi repertum est. His enim per Caracciolum, juvenem impigrum, quamvis religiosum, in ordines ac signa digestis, subitò populus, armatorum recreatus subsidio, respirare à terrore cœpit, quem deindè magis extinxit Regis propinqui exercitus. Erant res animique Gallorum non mediocriter attriti, cùm & Henricus Anglicæ, semper Gallis formidandæ, gentis Rex traducto impunè exercitu acri Boloniam expugnatione premeret, & ab una Cæsaris victoria Galliæ totius fortuna pendere videretur. Refrixit tamen in Carolo pugnæ ardor, ubi Furstenbergum militarem virum, & Gallicarum rerum peritissimum, explorandi vadi gratiâ, ad Matronam egressum, captivitate amisisset.

XXXVII Ad Lutetiam Parisiorum occupandâ progressus, sparso latè terrore, ab objecto Gallorū exercitu tenetur.

Subiêre illa etiam rursus animum pacis consilia, quæ modò honestissima, ac cum

XXXVIII. Cæsar honestæ

1544. pacis cōsiliis, cū Francisco eōdē inclinato admissis, Crespiaci cum eodem priscis novisque legibus, sed non diu valituris, cōciliatur.

cum ipsius dignitate conjuncta, non extorta; sed ultronea, qualem semper optaverat, sese offerebat, cùm Reginâ Galliarum Caroli sorore, tum Pontifice eandem urgente. Et quanquam unus omnium pacem impatientissimè tulisse Henricus Delphinus tradatur, quòd is pugnæ bellicique ardoris plenissimus, Cæsaris militem stipendijs dilatis exasperatum, annonæque ac cæteris belli incommodis afflictum, nec suis parem, ferro victoriæque Gallorum subduci quereretur, ac turpem, ceu victis consternatisque ad præsentiam hostis, pacem imperari. Quæ licet à vero haud abessent longiùs, non tamen Carolum, aut Franciscum hæc usque adeò moverunt, ut vel ille pugnam subterfugere, vel hic quærere videretur. At hunc felix Caroli genius, & regni alea ex uno suspensa prælio; illum progrediendi, Lutetiasque tam propinquo Regis exercitu occupandi, difficultas penè insuperabilis, pacis inter bellique arbitria suspensum tenuit. Sed & Ducissa Stampensis, formæ gratiâ, Regis Francisci potens, & Dianæ Pictaviensis, quæ Henricum Delphinum possidebat, æmula, cum Cæsare, ad Belgium impetrandum alteri filiorum Carolo (cui impensè Ducissa contra Henricum favebat) communicabat consilia, Franciscumque spe tali ad pacem impellebat, ut Carolum, alterum domûs, suæque potentiæ, adversus Dianam, fulcrum extolleret: obtinuitque ut hinc spe, metuque indè concitato, Regi persuaderet. Et quid, præter hos affectus, instructa blanditijs, & amore jam Regis freta, non possit femina? Quocirca de pace per utriusque partis viros Principes Crespiaci, quod Suessionum Castellum est, tractari cœptum. Aderant hinc Nicolaus Perenottus Granvellanus à secretis Cæsari, & Ferdinandus Gonzaga, alter à Cæsare exercitûs Imperator. Hinc regii accesserant Hanebaldus classi, & Nulleius supplicibus à Rege libellis præfectus. Henricus verò Anglorum Rex gerendæ rei per Antonium Granvellani filium commonitus, nihil se repugnaturum professus est, modò federis cum Cæsare suscepti ratio inviolata persisteret. Peractum itaque pacis negotium iis denique legibus est, quibus diu subsistere vix integrum posse acutioribus videbatur. Nimirum ea erat capitum summa, quibus concordiæ mutuæ rationes tenebantur. *Pax Madritana consecutaque federa, iis partibus vim suam obtinerent, quibus omni in regnum Neapolitanum, Siciliam, Ducatum Mediolanensem, comitatum Astensem, Flandriam, Artesiam, locaque vicina juri cedere Rex jussus esset, suis deinde stipendiis Cæsari adversus Solimannum equites sexcentos, ac dena peditum millia jungeret. Cæsar ad majorem initæ pacis stabilitatem Carolo Aureliano Duci, aut filiam suam, cum Dotali Belgij totius hereditate, aut certò Ferdinandi Fratris natam, Mediolanensis Principatus dote locupletatam nuptui se traditurum promisit.* Cujus rei deliberationem octo mensium spatio, consultis utrarumque partium voluntatibus, absoluturum se addidit. *Limitata tamen erat Mediolanensis imperij plena traditio ad masculam Aureliani prolem, quæ dum nasceretur succresceretque, Mediolani & Cremonæ arces in Cisalpina Gallia suo Cæsar præsidio obtenturus erat, uti vicißim aliquot in Allobrogum, & Subalpinâ ditione arces ad id tempus Gallo concedebantur; cùm reliqua omnia jam tum ad Sabaudum reditura essent.* Cetera pacis decreta ad quædam Belgii oppida tradenda accipiendaque vicissim, tum utriusque partis Reges Principesque, ad idem fe-

Pacis cōditiones que partium duræ.

federis beneficium, admittendos, spectabant. Cui etiam post tempus aliquod Henricus Angliæ Rex, Boloniâ, quam occupaverat, pecuniis redemptâ, accessit. Additum quoque voluntate Caroli, *ut pro virili uterque Catholicam religionem propugnaret, Rex verò, & Pontificem pro instaurando Tridentino concilio, & in Germania protestantes, ad eidem obsequendum, legatione impelleret.* 1545.

XXXIX. Caroli Aurelianensis obitus pacem haud multò post labefactat. An. 1545.

Tam insperata pacis tranquillitas totam Europam singulari implevit gaudio quanquam collapsuram brevi nimio obligatæ fidei pondere, quo se Carolus alterutrâ nuptiarum promissa dote onerasset, nonnulli augurarentur. Sed ita sors Cæsaris tulit, ut citra ignominiæ notam discedere illi pactionibus liceret, cùm annuo deinde vitæ cursu florentissimus juvenis Carolus, tanquam dexter Galliæ oculus, apud Firmum Monasterium ereptus sit, tantò Patris populique luctu, ut dubium esset, majorne ex pace obtenta lætitia, an ex amisso Carolo dolor ad omnes pervenerit? Mors ejus (ut habent improvisa magnorum fata) veneni suspicione à proximâ manu ex æmulatione præparati, non caruit.

XL. Tridentinum Concilium omnibus Europæ Proceribus indictum. *Schleid. l.16. Rov Pontanus l.4. Cochlæus in Luth. Surius. Bzovius.* Protestantium Principes Wormatiam evocati Concilium Trid. detrectant, & auxilia contra Turcam negant. Iam Palatini & Coloniensis defectione aucti.

Ceterùm Pontifex atque Imperator datis ad omnes Europæ Proceres mandatis Tridentino Concilio Episcopos adesse voluerunt ad idus Martias anni 1545 Lovaniensis etiam scholæ in Belgio, in Gallia Parisiensis Theologi, proponenda in Concilio dogmata, scripto concipere jubentur: quæ illi ad capita duo & triginta, hi ad viginti & quinque revocarunt. Pontifex totidem, quot nuper Concilio præfecerat Cardinales Legatos, Joannem Mariam Montanum, Marcellum Cervinum, & Reginaldum Polum, cum doctissimis aliquot Theologis, eodem remittit. Farnesio Cardinali aliisque etiam Wormatiam, ad ordinum istic indicta Comitia, legato; ne quid, aut Cæsar, aut Rex Ferdinandus, conciliandis sibi adversus Turcam, & ad synodum universalem traducendis Protestantibus intenti, his indulgerent, religioni orthodoxæ adversarium. Sed quamvis in comitiis, neque Rex, neque Cæsar deessent; tamen Principes per Legatos tantùm comparuêre, obfirmato animi proposito nec quicquam Cæsaris postulatis concedendi. Unde & Tridentinum Concilium aversabantur, & rogata contra Turcam auxilia negabant, nisi antè promissa Spiræ emendatæ religionis formula à Cæsare traderetur, quâ susceptæ de fide controversiæ absolverentur. Hos illis animos confirmaverant, præter Franciscum Walderum Monasterii Episcopum, Fridericus Palatinus, & Hermannus Archiepiscopus Coloniensis Electores, hæreticorum partibus recens additi. Nam primus Anabaptistarum non ita pridem debellatorum victoriâ gloriosus nuperoque decoratus sacerdotio, repentè Hassis adversus Brunsvicensem sibi invisum armis junctus, & velut œstro hæresis percitus, post Osnabrugensem, & Mindensem diœcesin (quibus etiam præerat) Acatholicis permissam, Monasteriensibus, repugnante Capitulo, nequicquam Præcones Lutheranos obtrudere conatus est. Alter Palatinus Ludovicus fratris, nuper defuncti, successor, nihil antiquius habuit, quàm Melanchthonis consilio de fide Ecclesiaq; constituere; Ubius Coloniam Bucero ad noandam religionem accersito, omni diligentiâ populum à Majorum institutis avocabat. Sed obluctantibus summæ ædis Canonicis, Pontificiâque & Imperatoriâ autoritate im-

1545.

Hermannus Colon. Archiepisc. propter hæresim dignitate excidit.

plorata, atque interposita, perversis consiliis eventus defuit. Eam tamen Hermannus ad errorem pertinaciam adjunxerat, quâ nec consiliis nec minis ab instituto deflecti posset; ut proinde Cæsar ac Pontifex, desperatis remediis altero pòst anno ei in sede Archiepiscopali suffecerint, ex illustribus Schawenbergicæ familiæ comitibus Adolphum, Adjutoris munere antea adjunctum, qui invalescentem passim in Diœcesi hæresim suis ita viribus sensim accidit, ut respirare orthodoxa fides, multis jam locis oppressa, cœperit. Ceterùm Wormatiensis congressus, ab anni exordio ad Augustum mensem productus, postquam irrito conatu susceptus esset, Galliæ etiam Regis Legatus, Æmarius Griniani Comes, nequicquam Concilii Tridentini communionem federatis Germaniæ Principibus suaderet, Ratisbonæ alio colloquio Germanorum Principum de fidei concordia spem alendam esse Cæsar statuit, ne ex illius desperatione maturis nondum bello, quod meditabatur, rebus, Turcaque inconciliato, propensos ad repugnandum animos in arma concitaret.

XLI. Quare & dissimulanter hanc Cæsaris in religionis negotio libertatem ferebat Pontifex, & Tridentini Concilii tractationem solenni ritu inchoari voluit, ut colloquii cum hæreticis de religione instituendi ad hujus denique arbitrium revocaret. Eodem verò tempore (quod XIII hujus anni 1545 Decembris erat) Jubilæo indulgentiarum Romæ divulgato omnes toto orbe Christianos ad scelerum pœnitudinem invitabat, ut placatâ Superûm irâ, felicioribus auspiciis Patres Concilium ordirentur. Ratio illius auspicandi Tridenti hæc fuit. Cardinales Legati, Episcopis Pontificio in habitu, tum Theologis, clero, populoque frequenti stipante, ab Ecclesia SS. Trinitatis ad Principem urbis Basilicam supplicantium ritu processêre, ubi ab uno Cardinalium Montano ad aram Spiritus divini gratia solenni implorata sacrificio est, à Musso verò Episcopo Bitontino eleganti ad affectationem usque oratione in rem præsentem peroratum. Denique admonitio ad Patres ex scripto in hanc sententiam prælecta.* *Tribus potissimùm de causis hoc à summis Europæ capitibus urgeri concilium, ut hæresis magnis incrementis succrescens opprimatur, Ecclesiæ disciplina multorum, aut negligentiâ, aut scelere corrupta emendetur, ultimoque pax inter Christiani orbis Principes stabili concordiâ firmetur. Eorum verò felicem eventum frustra requiri, nisi Ecclesiasticus ordo antè intellexerit, gravissimorum, quibuscum Europa conflictetur, malorum originem à depravata eorum vita, tanquam fonte, existere. Iam eam, vivendi licentiâ, humanis moribus perversitatem insedisse; ut à quibus rectæ sanctæque vitæ præcepta accipienda erant, ij non modò remedia morum non præstent, sed sceleribus etiam contra virtutem faveant, & pessimo vivendi exemplo vulgi malitiam corroborent. Hanc religionis ac disciplinæ neglectæ culpam, gravissimis domi forisque belli pœnis castigari, nec Turcica, nec Christiana per Europam arma nisi ad nostram emendationem componi posse. Affulgere jam divini favoris lucem aliquam, cùm hanc cœlitus Christianis Principibus de cogendo universali Concilio mentem injectam conspicere liceat. Enimverò agendum id omnibus, ne tantæ rei; ardua prorsus initia, difficiliorem exitum, quàm principium sortiantur. Non defuturos, qui præclaris conatibus officiant, his eâ constantiâ fideque, quam religio orthodoxa postulet, occurrendum; &, quandoquidem perso-*

Conciliū Trid à Pontifice solenniter inchoatur.

Oratio ad præsentes habita ab Episcopo Bitontino.*

nam

nam Iudicis in re difficillima, se quisque assumpsisse, intelligat, cavendum unicè, ne quid privatis affectionibus contra veritatem indulgeat, hominumque favorem divino posthabeat. * Moniti subinde Regum Principumque Legati Episcopi sunt, ne quid diligentiæ omitterent in officii sui, cujus gratiâ sint missi, partibus exequendis, primam divini, alteram regii honoris munerisque curam gererent; ita ad felicem Concilii aditum progressumque nihil defuturum. Sub hæc tria lecta diplomata sunt, quorum unum Concilii indictionem, alterum designationem Legatorum, tertium Concilii inchoationem exponebat. Cæsaris etiam scriptum à Mendoza Oratore prælectum. Ultimò in genua provoluti solennes ex rituum Romanorum libro preces concepêre, divinique Spiritus ac Sanctorum per Litanias imploratione præmissâ, à Cardinali Montano rogati Patres sunt: Placeretne, ad Dei gloriam, ceterosque supra expositos fines Concilium auspicari, ac propter occurrentia festa, primam ejus anni sessionem, in proximam ad Epiphaniam Jovis diē, quæ erat 7 Januarii 1546 prorogari? quæ ubi placere sibi respondissent omnes, Concilii inchoati solennitas terminata est. 1546

Lutheranæ interea factionis Principes, Protestantes vulgò dicti, coacto Francofurti conciliabulo, *de Brunsvicensis belli sumptibus, cujus Principatus Ducem Henricum possessionibus ejectum ob æmulationem ex religione & bonis Ecclesiasticis natam, vinc is cum filio attinebant, de auxiliis Coloniensi Archiepiscopo contra Cæsarem sufficiendis, de prorogando fœdere Schmalcaldiæ inter Sacramentarios Lutheranosque inito, de repudianda denique Tridentini Concilii societate statuerunt.* Cæsar hæc facilè animadvertit ad seditionem spectare, licet Hassorum Princeps Spiræ Carolo obvius, & habitæ conventionis rationes, & Principis Coloniensis consilia factaque probare niteretur. An. 1546 XLII. Comitiū Francofurtense Protestantiū.

Quocirca, ultimo conatu ad concordiam incumbens, Ratisbonensi colloquio hæreticorum rursus animos tentandos statuit. Quamvis hoc suæ autoritati adversari existimantes Tridentinæ Synodi proceres consiliorum Pontificis Cæsarisque nondum satis gnari, non obscurè resisterent, serioque hoc repugnandi labore, simulatum utriusque conciliandi studium, quod desperatum erat, obtegerent. Aderant ex Catholicorum parte octo, totidemque ex adversariorum secta. Hi quidem tardi difficilesque, quòd incrementis quotidianis robustiores pervicaciam alerent; Galliamque jam etiam, ad sparsam istic libris Calvini disciplinam prurientem concitatamque intelligerent. Melanchthone igitur frustra expectato, Bucerus Alsata ex Monacho quondam Dominicano Apostata & maritus, ex Lutherano deinde Zwinglianus in capite præsidebat. Hic ubi primò collocutionis institutæ die, qui erat Februarii quintus, Maluenda Cæsarianarum partium Theologus protestatus esset, nihil præter colloquium à se privatum, quo definiri nil queat, agitari, ac rogasset; num in sententia Augustanæ confessionis, unà cum suis, Bucerus persisteret? diu cunctatus, denique adversarias illi sententias damnare se asseruit; cùm tamen is, uti & Symmystæ alii, ab ea confessione deficere in non paucis convincerentur: quin ipse etiam Archiepiscopo Coloniensi, quem pio reformationis studio, homo ad fallendum varius ac vafer lactarat, lon- XLIII. Comitia Ratisbonæ omnibus pro concilianda religione nisi ite à Cæsare indicta, ubi Bucerus cū Maluenda congressus, in fide variat.

1546.

Buceri levitas atque asserendi negandique, pro hæreticorum more, inconstantia.

Abominanda de fide sola justificante, sine operibus bonis doctrina. Protestantium Principes sibi judicium fidei arrogant.

XLIV. Cæsar accedens dissuasa comitia mandat repeti.

gè diversis instructam sententiis confessionem obtulisset, licet haud multò post, & suis ipse hanc Bonnæ Concionibus, & alii cum Melanchthone adducti è Saxonia Collegæ destruxerint, ac denique, contra hos exorti, luculento Antididagmate, Ubiorum Doctores fraudium errorumque convicerint. Adeò nimirum non solùm à Lutheranis aliis, sed à seipso etiam diversus, pro temporum hominumque ingenio semetipsum Bucerus fingebat. Quâ fictione, cùm quantumcunque ad omnem humanitatem & persuadendi vim valeret, diu tamen constanterq; nullibi placuit, totam pervagatus Germaniam, interq; Sacramentarios, Lutheranos, Catholicosque passim medius, conciliatorque, denique in Angliam delatus, post quinquennium Judaizans mortuus scribitur. Hic ergo ejus Colloquii, quod Melanchthon expertus subterfugiebat, princeps eò à Malvenda ex Protestantium de justificatione fidei principiis disputando recidit: ut cùm verè fideli nulla diceret peccata à Deo imputari, nullo hunc neque adulterii, neque latrocinii scelere, (nisi fortè his quoque fidem amitti voluerit) sed solo incredulitatis vitio Dei offensam incurrere sentiret. Unde juxta hunc Doctorem, & Augustanæ Confessionis defensorem, adulteria Protestantium sanctiora erant eleemosynis Romanorum; cùm hæ, non illa, ad peccatum imputarentur. Penetrarant illa fortè ad Principum Acatholicorum aures, qui cum suorum confusionem reformidarent, vellentque acta sibi communicari, ne quid se inconsultis utpote Ecclesiæ Germanæ Pontificibus statueretur; contraque vetuisset Imperator quicquam à conciliatoribus, ante exitum, vulgari, Lutherani Doctores inter saxum sacrumque constituti, indignatique à voto abludere cœpta, suorum Principum voluntate, turpi subterfugio dilapsi sunt.

Cæsar igitur ubi post admissos inauguratione solenni, Geldriæ Ducis, Zutphaniæque, Arnhemii & Neomagensis Comitis titulos, Ratisbonam Maio mense advenisset, dissipatumque cum profugis Adversariis colloquium indignissimè ferret, missis pro imperio ad omnes literis, definito Principes tempore comparere jussit. Verùm jam plerisque cum Romana fide vilis erat Cæsaris autoritas, postquam magnarum accessione virium audaciam confirmassent. Adfuêre tamen Mauritius Saxo, Ericus Brunsvicensis, Joannes & Albertus Brandeburgici, cum Episcopis aliquot; Protestantium soli Oratores, aut veriùs exploratores, comparebant. Cæsar tamen, cum Ferdinando Rege ceterisque imperii ordinibus, ubi summa in æde solenni adstitisset sacrificio, post fusas ad Deum preces, curiam subiit. Hic postquam adventûs sui caussam eam exposuisset, quæ publicam Imperii tranquillitatem spectaret, ejusque faciliùs procurandæ gratiâ præsentium rogasset sententiam: Orthodoxi omnes, institutâ deliberatione, nihil perinde atque universale Concilium, Tridenti jam inchoatum probarunt, in hac orbis gentiumque Synodo peculiare illud Germanicæ nationis religionisque dissidium expendendum censebant. Egit verò inprimis Campegius Pontificiæ sedis Legatus, apud Protestantes, ut propositi illius persuaderet æquitatem, sed actum egit sæpiùs jam irritum, quòd sentiendi illa vivendique libertas, jam tempore, successibus & tot populorum accessione roborata, contra omnem humanæ rationis sensum invaluisset.

Cæsar

1546. XLV. Cæsar desperatis pace rebus ad concordiam revocandis de bello cogitat, idque liberè profitetur.

Cæsar igitur, cùm hoc ulcus, nisi ferro, sanari non posse, intelligeret, firmatis cum Turcarum Imperatore induciis, ad ea se denique armorum convertit remedia, quæ si tempestivo consilio maturiora fuissent, sanari Germanorum Resp. mitiori doloris sensu, nec tantâ membrorum omnium convulsione poterat. Scriptis iccirco militibus, cùm ad vim spectare consilia viderentur; Heterodoxi missâ ad Cæsarem legatione sciscitantur. Quem iste belli apparatus hostem spectet? quibus Cæsar: *Nihil se moliri,* respondit, *nisi ad publicam Germaniæ bonum imperijque incolumitatem, leges se male violatas contra rebellium audaciam vindicaturum: huic qui socius opinioni ac voluntati accesserit, illum se humanitate ac benevolentia omni quam à Principe subditus exspectare posßit, complexurum; secùs qui fecerit, in hunc tanquam rebellem, & læsæ Majestatis reum hæc arma expediri.* Nullus erat Legatorum, qui hoc in Sectariorum capita fulmen cogi non sentiret, nullus, qui, sentire propalam ostenderet; ne conscientiam violatæ obedientiæ metu, ac sensu aliquo vindictæ proderet.

XLVI. Luthero inter hæc mortuo hæreses augentur.

Dum hæc bellorum fomenta, plurium seculorum incendio exarsura, primùm conciperet Germania: Lutherus, tantæ calamitatis autor, & fax prima, velut suo jam ad inflammandam Germaniã officio defunctus, vivere desiit anno MDXLVI pridie Cal. Mart. cùm à lauta mensa benè cœnatus potusque ad lectum divertisset, neque gravius ægrotare à domesticis antè, quàm mori compertus esset. Sub cujus fata major ceteris, atque ipsi etiam Melanchthoni, factionis Lutheranæ antesignano, sentiendi libertas fuit. Ut vix quisquam in Europa Heterodoxorum sit, qui Luthero cœptæ perfidiæ originem non debeat; raris assectarum, qui ita sui Principis insistant vestigiis, ut non alio S. Scripturam ingenio, diversaque sentiendi libidine diffingant, adeoque tot propemodum religiones Germania censeat, quot regiones. Certè iis locis, ubi à Romana Ecclesia, SS. Patribus Conciliisque subnixa, deflexit; plurima eorum abolita cernimus, quæ à Carolo olim Magno primisque Christianæ fidei per Germaniam autoribus tradita accepimus; ut necesse sit, vel nullam admisisse unquam Germanos, sanæ religionis, fidem; vel certissimam hoc tempore admittere perfidiam. Plurima enim sunt, quæ in recepta Ecclesiæ disciplina Lutherus innovavit, postquam in pravo Indulgentiarum usu perstringendo longiùs ex æmulatione Tecelii provectus, leviores Ecclesiæ errores ita persequeretur, ut in gravissimos incideret. Denique tanto Romani Pontificis ejusque fautorum odio flagrare cœpit, cùm illius sententiâ opiniones suas damnatas vidisset; ut ad subvertendam ipsius dignitatem, ingenium eloquentiamque, quâ inter Germanos valebat, omnem converterit.

XLVII. Quam studiosè suam Lutherus doctrinã ex veterum hæresibus

Quòd quò faciliùs potentiùsque aggrederetur, quidquid ad antiquæ religionis vim sententiasque enervandas veterum ætatum hæretici machinati fuerant, quidquid ex S. potissimùm literis telorum in illam deprompserant, id totum, velut in unam collegit pharetram, atque insanâ propemodum dicendi scribendique rabie in adversarios congessit. *Cum Simone Mago ac Manichæis, humani arbitrij libertatem, operumque bonorum mercedem impugnare aggressus est. Cum Montanistis rectum pœnitentiæ usum; cum Donatistis sacrificandi ritum subvertit: jejunia cum Eustachianis; fune-*

1546. damnatis congesserit, ne prorsus nova videretur.

nebres comprecationes cum Aerianis damnavit. Cum Eunomio soli fidei scelerum expiationem tribuit. Cum Ioviniano religiosam proscripsit continentiam. Cum Nestorio Patrum scripta Conciliorumque placita errorum plena arguit. Cum Photio castitatis meritum, presbyterij dignitatem, ac Pontificij nominis autoritatem conculcavit. Cum Berengario in Eucharistia substantiam panis vinique admisit. Cum Waldensibus indulgentias aspernatus est, sanctorumque miraculis fidem derogavit. Cum Hus & Wicclef pleraque Ecclesiæ Sacramenta, summumque ejus caput Pontificem execratus est. Verbo, antiquarum in Luthero hæresum detestabilis quædam affluxit colluvies, nec quicquam ab eo repertum est, cujus vis aliqua roburque ad expugnandos hominum animos existeret, quod jam olim cusum, vibratumque in illius Ecclesiæ perniciem non fuisset, quam omni nunc artificio Lutherus oppressum ibat. Quod cùm nequeant ire inficias, tam insani deinde Lutheranorum non pauci reperti sunt, ut, cùm aliunde non possent; suæ, ex his hæreticis, doctrinæ antiquitatem probare conati sint. Ac si nihil interesset, à quo Simone, Petrône, an Mago prodirent? modò antiquitatis impressam sibi notam ferrent, sed graviora his nondum attigimus.

XLVIII. Quomodo ad suũ ingeniũ Lutherus S. Scripturam aptarit, & SS. Patres perstrinxerit.

In S. Scriptura cum non pauca occurrerent, quæ vel ab ingenio institutoque suo aliena sentiret, vel quorundam jam pridem sententiis oppugnata non ignoraret, suo calculo non pauca damnavit. *Iobi libros comœdiæ loco habuit, Tobiam & Iudith ad Poetarum somnia rejecit. Ecclesiasticum, Hesterem ac Machabæos profanis accensuit. Ecclesiasten ex Thalmudistarum fabulis ac Ptolomæi Bibliotheca natum commentus est: Esdræ libros nugas imperitas: Apocalypsin vigilantis esse somnium asseruit. SS. Apostolorum Iudæ & Iacobi Epistolas, Ioannis tertiam, Petri alteram, Pauli Hebræis inscriptam frivolas stramineasque esse arguit. Patres ac Concilia suæ opinioni adversantia facilè aspernatus, impudenti etiam ore ac calamo passim ausus est perstringere. Chrysostomum, missæ sacrificio faventem, ineptæ loquacitatis reprehendit. Basilium, Monachorum fautorem, nec pili quidem habet. Bernardum, de præceptis ac libertate differentem, erroris condemnat. Tertullianum cum suo Carolostadio ineptire existimat. Cyprianum infirmi judicij Theologum, Hieronymum scriptorem frigidum, Ambrosium jejunum, Augustinum persæpe languidum asserit. Nihil denique omnium calamis in Romanos Galatasque exaratum esse pronuntiat, quod purum syncerumque reperiatur.* Alibi in Genesim commentans thrasonicè exclamat. *Quia te, Hieronyme, conculcamus cum tua Bethlehem, cucullo, ac deserto.* Et adversus Angliæ Regem: *Mille se Augustinis, mille Cyprianis repugnantibus, nec quicquam de sua sententia cessurum asserit.* Ut proinde necessarium sit, aut hos, aut Lutherum hæreseos condemnare; quod homini prudenti, neque extremè malitioso discernere, haud erit difficile.

XLIX. Primi Sectatores Lutheri quales fuerint, quales deinde, & quàm inconstantes posteri.

Certè qui Luthero primùm adhærescerent, aut profligatæ pudicitiæ homines, aut libertatis avidi, aut bonorum Ecclesiasticorum cupiditate cæci fuêre: qui deinde sequuntur, hos vel autoritas, vel patria institutio, vel turpissima de Catholica Religione figmenta, vel hæc universim omnia, cum magna vivendi sentiendique libertate conjuncta, in exitium abripiunt. Quanquam Luthero vitâ functo, multi ex sectariis vel Zwinglio, quem cum suis, haud multò ante mortem, velut hereticum orcoque devotam victimam, proscripserat; vel, deviantium

more, quorum error progressu crescit, Calvino denique favere visi sint, qui, ut erat natione Gallus, eodem unde abierat reversus, Genevæ placere primum, suamque factionem firmare cœperat, terso subtiliq; calamo, quàm linguâ promptior. Is veterem Sacramentariorum & Iconoclastarum hæresim, præter ceteros Lutheri errores, in lucem revocavit, ac penè reliquum omnem pietatis Christianæ fontem cum Eucharistiæ veneratione obstruxit, proximamque ad Atheismũ viam aperuit. Eventurum illud denique Europæ, quod Orientis Imperio, videtur; cui per hæreses ad illam, quam nunc sequitur, impietatem aditus patuit; ut sensim sine sensu ad interitum devolutum sit, tantò quidem tristiorem, quòd calamitatem, quam patitur, non agnoscat. 1546.

Atque utinam Europa tot gentium domina, etiamnum in hoc præcipitio, apertis oculis, malum anteverteret, Ecclesiam intueretur supra petram, civitatem in monte positam, quæ abscondi per tot secula non potuit, suam hanc altricẽ ignorantibus, quam in dissensione audire jubentur, qui Ethnici, aut Publicani haberi noluerint. Expenderet sanè, orthodoxam religionẽ ab hæresi facilè posse separari; modò non indiligens observator ortũ, progressum, fructumq; ad virtutem ac pietatem utriusque consideret. Orthodoxam illam esse, quæ sit antiquior ceteris, & à primis Apostolis per notas successiones propagata fuerit. Hæreticam, quæ veræ religioni supervenerit, tam manifestâ Ecclesiæ concussione, ut ejus principium ignorari nequeat: orthodoxam esse, quam contrariæ licet hæreses, sibique infestæ, conspiratione tamen animorum, & armorum oppugnant; quæque ipsa omnes, sine discrimine, extirpare nititur, contraque veterum, Arii, Nestorii, Eutychis schismata depugnavit. Denique orthodoxam illam esse, quæ unâ ubique gentium lege, atque autoritate administratur, quæ non ex unius, aut paucorum privatorum sensu; sed totius Christiani orbis; non seculi unius alteriusve; verùm omnis retro antiquitatis judicio S. Scripturam interpretatur, quæ crebris manifestisque, inter infideles potissimùm, propagatur, stabiliturque miraculis, quæ non præcepta tantùm; sed & consilia sectatur Evangelica (irrita, n si sint, qui amplectantur) quæ sacrificium aliquod, in prisca novaq; religione possessum, & per Antichristum, ut Scriptura loquitur, abolendum noverit. Hæc enim omnia ejusmodi sunt, ut indubitato, vel rationis vel S. Literarum suffragio nitantur, & à quovis, nisi turpi ignoratione rerum, aut pravitate vitæ corrupto, admitti debeant. Et verò ab illo admittentur, qui animæ suæ pretium, salutis propriæ dignitatem ac felicis infelicisque æternitatis pondus, ex hac consideratione pendentis, *momentum* apprehenderit.

L. Vnicus ab hac tantùm divulsione patet exitus, per Ecclesiam orthodoxam.

Natus hoc eodem anno, quo Lutherus abiit, in vitam Ratisbonæ fertur Joannes Austriacus * sortitus eundem, qui parenti Carolo Cæsari fuit natalem diem. Mater ei Barbara Blomberga Ratisbonensis, formâ ac genere juxta nobilis, ex quâ, ad Carolum inducta, ut mœrorem cantu allevaret, filium ille suscepit, jam pridem viduus, Isabellâ conjuge ante annos septem amissâ: namque eâ vivente servasse Carolum perquàm sanctè conjugalem fidem, fama est. Quin etiam sollicitus, ne quid in ea urbe resciretur, infantem impleto nondum anno, matri abreptum

* *Verba Fam. Strada de bel. Belg. d. 1. l. 10.*

LI. Ioannis Austriaci nativitas & educatio.

1546 ptum Aloysio Quisciadæ Imperatoriæ aulæ Præfecto, quem expertus erat arcanorum celantissimum, tradidit in Hispaniam deferendum; ut à conjuge Maria Ulloa, honestissimis sanctissimisque moribus matrona, educaretur: caveretque ne cui mortalium suboleret pueri pater; sed lapsu temporum indoles ejus præcelsa, mores graviter officiosi, incessus ipse atque aspectus privato majorem arguebant. Ad æqualium puerorum greges, ita se addebat, ut egregius ipse, & tanquam ductor haberetur. Cyrum diceres inter Pastores, cum iis luctatione, aut cursu, aut jactu sudis, aut alio campestri ludo eatenus congrediebatur, dum videretur sibi victoriæ securus. Ideoque libentius indulgebat equitandi studio, quòd in eo facilè omnibus anteiret. Manè hæc prima surgenti cura, equum inscendere, turmam puerorum ducere, hastas ad manubrium usque perfringere, aut suspensum in annulum rectà inserere. Et gaudebat Aloysius homo militaris illâ armorum indole, ac rudimentis, ut ajebat, magnorum operum, donec ab Imperatore Carolo admoneretur, ut filium mitioribus artibus imbutum ad sacri ordinis amorem præpararet. Sed, ut ætas prima post tincturam voluptatis ægrè alium colorem bibit, difficilè jam deferebat ludicra illa oblectamenta puer: & Carolus haud ita multò post fato concessit. Quo quidem supremo tempore aperuit Cæsar Philippo filio Hispaniæ Regi (namque antea clam illo id habuerat) Joanni, qui apud Aloysium Quisciadam Villægarsiæ educabatur, eundem, ac Philippo, Patrem esse: proinde advocaret ad se puerum, haberetque non minùs curâ & caritate filium, quàm sanguine germanum fratrem.

LII. Philippus Rex Hisp. illum pro fratre agnoscit, ac recipit.

Sed Philippus Rex duos adhuc annos à Cæsaris obitu exspectavit, quo interim Carolus filius Hispaniæ Princeps adolesceret. Tum fratrem agniturus Vallisoleto ad Spinæ Cœnobium venandi gratiâ, magno nobilium comitatu proficiscitur. Ad eum locum jubet è Villagarsia occurrere cum venatorum grege Aloysium, secumque Joannem trahere. Aloysius instructâ venatione, equum superbè phaleratum inscendit ipse, Joannem vulgari jumento insidentem post se ducit, venatorum globo immistum. Cùmque ad Torosium montem accessisset (quem circa locum venari prospectabat Regium comitatum) ex equo repentè desilit, idemque, ut faciat, Joanni significat. Paret ille: simul Aloysius ante eum provolutus in genua; * *Porrigat*, inquit, *osculandam mihi manum celsitudo tua. Novi quid habeat veneratio hæc mea; mox ab Rege, qui te accersit, intelliges. Nunc equum, instratum tibi hoc ornatu, scande.* * Restitit ad ea puer subitâ novitate attonitus: tradidit tamen manum, atque equum subiit: suspensis admiratione qui aderant, &, tanquam in scena, quem exitum ea catastrophe habitura esset, intentis. Cùm ecce in conspectum venit Philippus Rex cum venatorum equitatu: illico Joannes ad pedes, præeunte Aloysio se demittit, Regemque, in id officii, decorè compositus, de genu veneratur. Tum Rex manu puerum attollens: *Num satis teneat, quo patre sit genitus? blandè interrogat.* Cùmque is responsi dubius hæreret: quod illum, quem Patris habuerat loco, amisisse jam se videret. Rex equo depositus. * *Macte*, inquit, *prænobilis viri filius es tu: Carolus quintus Imperator, qui cœlo degit, utriusque nostrum pater est.* * In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum reposuit: jussitque

illi

illi famulos accedere, utque sanguinis Austriaci, & Cæsaris prolem addecet, inservire: festo interim venatorum clamore personantibus latè campis, ac læto inprimis Procerum plausu, diem illum Festum Regi, faustum novo Regis fratri certatim effuseque gratulantium. Rexque ipse solitus est dicere. *Nunquam se jucundiorem venando prædam, quàm eo die retulisse domum.* 1546

Sic agnitus Joannes Austriacus educari in aula cœptus est, quem deinde non pauci, & animi magnitudine, & rerum gestarum gloriâ cum Carolo Patre contulêre. Utrique eundem natalis ac prope mortis diem: similes terrâ marique in Mauros inque Turcas expeditiones. Idem Tunetanum Regnum ab utroque subactum. Plura patrem bella confecisse; nam & plures vixisse annos; filium unâ victoriâ navali numerum alterius adæquasse. Quod si penes hunc rerum arbitrium fuisset, regnisque & exercitibus unus imperasset, haud dubiè claritudinem patris assecuturum. Denique & in postremo vitæ actu similitudinem patris optasse Austriacum: utque ille abdicatis regnis in divi Justi solitudinem abdiderat sese, sic ipsum, paucis ante obitum mensibus decrevisse, inter Serrati montis Eremicolas, *ei demum inservire Domino, qui* (ut ajebat) *plura quàm Philippus frater, & posset, & vellet.* Quod, unicone pietatis studio, an rerum improsperè succedentium tædio meditaretur, haud facilè separaverim. Illud in Joanne Austriaco, citra omnem patris comparationem, non omiserim. Mundiciem animæ, cujus amorem à puero indiderat educatrix Villoa, usque adeò coluisse per omnem ætatem, ut nullam paulò graviorem noxam Deique offensam apud se ferre diutius posset; atque ideo bis singulis mensibus (quod illi perpetuum fuit) conscientiæ labes sollicitè confessus excuteret: animo verè principe, qui turpissimæ servituti nequiret insuescere. Immo, nec expeditionem aliquando concepit, aut signa cum hoste contulit, quin ante præliarem diem accuratissimâ confessione Dei clementiam propitiaverit. Quod sanè studium sui in Principe viro, cui ab ætate, ab armorum imperio summa licentia, tantò quis, opinor, pluris æstimaverit, quantò rarior in castris hæc pietas, quantoque hujusmodi circumspectio minùs solitaria, nec sine multarum comitatu virtutum esse consuevit. Hoc porrò si quis ad militares viri laudes adjungat, ad bellorum varietatem, quibus antequam interesset miles, præfuit Imperator: ad altitudinem animi, quo nullum genus hostium, vel numero majus, vel famâ insuperabile unquam expavit: ad præliorum felicitatem, in quibus perpetuò victor, victus certè nunquam discessit; profectò Joannem Austriacum magnos inter fortunatosque armorum Duces jure adnumeraverit.

LIII. Virtus, fortitudo, felicitas ac pietas Ioannis Austr.

Hactenus Strada.

Ad Concilii Tridentini progressum quod attinet, multis ille objectis remoris, velut in tempestate fluctibus, tardabatur, lenti aderant ex Hispania Galliaque Episcopi, ex Germania vix ulli, utpote primum Ratisbonensi comitio, ac dein belli metu apparatuque detenti. Imperator ad hæc ostentari Concilium magis, quàm in definiendis fidei controversiis volebat progredi, ne Protestantes ante accessum damnati, illius judicium subterfugerent. Unde emendationem morum quorum corruptela præcipuum Adversariis erat defectionis argumentum, Carolus inprimis urgebat. Sed contra statuebat, nec ineptè, Pontifex, fidem ortho-

LIV. Tridentini Concilii lenta exordia, & post disceptationes varias,

1546. Sessiones ac decreta.

doxam formandorum debere esse morum principium; ut ex qua regulæ Christianis legibus disciplinisque sumendæ essent, nihil in reformatione morum ingeniis Lutheranorum idoneum à Romanis fingi posse. Fuitque acerrima hæc inter Pontificem Cæsaremque opinionum dimicatio, donec commissa Synodi Patribus, eâ denique sententiarum consensione, quamvis invito Cæsare, stetit; ut quæstionibus fidei, morum inquisitio reformatioque apposite, tanquam annulo gemma, jungeretur: uti post indictam in fine anni 1545. ad 13 Decembris Synodum, sessione altera, sequentis anni 1546 die Januarii 7 Patrum quadraginta trium judicio decretum est. Ac dein sessione tertia Symbolum Apostolicæ fidei ab omnibus recitatum; quarta verò die VIII Aprilis de Canonicis S. Scripturæ libris constitutum; vulgato in Ecclesia textu ad conspirantia tamen exemplaria emendato, cum omnibus in Canone jam olim receptis libris, (ex quibus Lutherus suo minus instituto faventes rejecerat) utendum, idque recepto antiquorum Patrum, totiusque Ecclesiæ, non privato recentium Interpretum, sensu. Post hæc sessione quinta 17 Junii elisit Synodus fundamentalem Lutheri de concupiscentia, tanquam originali peccato, in omnes homines transeunte, errorem; solumque cum Jacobo & Augustino admisit, non, quod ipsa sit, verùm quòd *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Concupiscentia igitur, licet tropicè dicatur ut causa peccatum, non est propriè; quia mortem non generat, nisi per natum ex se peccatum. Quâ jam olim usurpata Ecclesiæ sententiâ atque interpretatione, cùm porrò insistendum, anathematis interminatione additâ Synodus jure decrevisset, præcipuam Sectariorum columnam subruit, quâ nixi, ob inquinata, ex concupiscentiæ vitio, justorum, ut volunt opera, nullam eis justificandi vim, nullum salutis meritum indulgent, solique justitiæ Christi per fidem apprehensæ, ceu humanæ malitiæ pallio, omnia tribuunt; libertatem homini ad benè operandum denegant, impossibilem divinæ legis observantiam fingunt, & nescio quæ portenta opinionum, contra Deum ejusque verbum, contraque rationem nobis datam inferunt: ut nullus denique Tyrannus adeò immanis crudelisque reperiri queat, quàm hi Deum, omnis boni æquitatisque fontem, comminiscuntur: qui nobis consultò imperet, quæ expleri non possint; severè plectat, quæ nequeant evitari. Hujusmodi ergò deliramenta, tanquam hydræ capita, divinarum Scripturarum testimoniis confixa, ex hoc malorum concupiscentiæ fonte derivata, Synodus reprimenda putavit: ne ex leviori, ut principiò videtur, errore denique in hæresum immane chaos abstraheremur. Eratque hic primùm occupandus aditus, quo totius contra Augustanam Confessionem victoriæ momenta continebantur; unde ad justificationis detegendos errores, anno congressuque sequenti, Patres conscripti faciliùs transiêre. Nimirùm:

Vide can. Laodicenum & Carthaginensis III.

Iac. I. v. 15. Aug. contra Iulian. l. 6 c. 11. & de nupt. l. 1 c. 23.

Error Protestantium de peccato originali abominandorum errorum seminarium est.

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.

LV. Quo facinore

Quo tempore superstes adhuc Lutherus doctrinæ suæ confirmandæ gratiâ,

ut

1546. Lutherus fidē suam mundo postremū probā[t], in diaboli exercismo.

ut Fridericus Staphylus ejusdem discipulus, factique præsens testis, memorat, dæmonem in obsessa Misniensi puella exorcismis Wittenbergæ aggressus est; quòd citra probrum declinare importunè hoc beneficium postulantes, non posset. Ergo sacrarium, assumptâ illa cum Staphylo, aliisque quibusdam, subiit; admotisque conceptis à se ex S. Literis adjurationibus, cùm furentem seque aggredientem dæmonem sustinere non posset, neque per firmatum à diabolo ostium pateret fugienti exitus, implorato aliorum subsidio, securis denique per cancellos fenestræ (quos & Lutherus nequicquam convellere nisus erat) suppeditata est. Quâ arreptâ Staphylus, Luthero, jam ex metu humana perpesso, & nil gratum olenti, januam ut demum fugamque aperuit, doctus cum alio deinde Magistro salutis suæ negotium pertractare. Fuitque hoc penè supremum in vita operum quo mundo fidem suam Lutherus probaret, non sine insigni sui nominis ignominia. Nempe: *Opprobrium cœpti, qui malè claudit, habet.*



LIBER VII.

I. Carolus Imp. bellum adversus Protestãtes auspicaturus, urbes à Principibus abstrahere nititur. *Schleid. l.17.& 18 Lamb. Hortensius de hoc bello, Vlloa in vita Caroli. Sur. in com. m. & alii.*



Mperator bellorum jam certus, quibus contumaciam frangeret omni pacis consilio robustiorem: duarum præcipuè rerum alebat curam, alteram, ne omnium in se federatorum Principum urbiumque arma uno impetu provocaret; alteram, ne ope necessariâ cùm Hispanarum, tum Italarum cohortium destitueretur. Nonis igitur Julii anno 1546. Hermannum Ubiorum Archiepiscopum, Pontificio nuper ob infidelitatem fulmine ictum dissimulata offensione, literis seriò hortatus est, *Ne quem adversariorum partibus contra se præstaret, aut militem, aut opem, staret porrò inviolatâ in Cæsarem fide, nisi parem cum hostibus fortunam experiri malit.* Cui, ille mandato obsecutus, Cæsaris noluit indignationem mereri. Alias ad Noribergæ, Argentorati, Augustæ, ceterarumque urbium conjuratarum Proceres, literas dedit, quibus eos armorum metu absolvere est conatus. Hac illas sententiâ inscripserat. * *Quem curæ amorisque locum apud me hactenus Germanorum salus habeat, luculenta testari facta, decretaque non obscurè possunt, quibus obviam seditionibus intestinis ivi, ac laboravi, ut Deo fides per Germaniam integra, pax hominibus inviolata, decus suum ac libertas inconcussa togatis constaret urbibus. Quorsum enim tot tamque arduæ profectiones susceptæ, tot effusi in concordiæ negotium sumptus, tot agitata concilia? At enim non deesse constat, qui earum rerum tractationem malignâ animi interpretatione pervertant; qui imperij legibus, qui libertati communi, qui Cæsareæ dignitati audaciâ non ferendâ, illudant: nihil probent ac sequantur, nisi suæ commensum libidini. Nimirum specioso pietatis ac religionis pallio fraudes artesque obtegunt; ut sub virtutis umbra ad communem perniciem liberrimè grassentur, legibusque obliteratis, ac judiciis pessundatis imperatoriam autoritatem proterant, jura civitatum occupent, bona omnia religioni nuncupata possideant. Hæc vulgatis totâ Germaniâ testimoniis evinci, infamibus constare tabulis scriptisque, famæ ac nomini imperatorio injuriis certum est. Tot exundantes per Teutonicas nationes motus, in proxima etiam regna transfusos, tot datas acceptasque à perduellibus clades vidimus, quæ aliud nihil quam refractariorum quorundam Principum pertinaciam ingerunt, justißimamque vindictam deposcunt. Adversus hæc ego nulla hactenus arma præter patientiam adhibui; nunc denique, quæ oleo sanari non possunt vulnera, aceto diluenda videntur. Autores malorum ad officium revocandi sunt; ut à ceteris impendens discrimen propulsetur, ut jus, leges, & judicia ad pristinam integritatem redeant, urbibus suus decor, ac tranquillitas constet. Hæc eo à me fine exposita sunt; ut ne incerti quovis rumorum vento circumferantur, & in alios arma cudi, quàm rebellium capita existiment.*

1546.

Spero equìdem non defuturos, qui operam tam digna postulanti Cæsari adjungant, nec sceleri contra æquitatem patrocinentur, & adversus propriam libertatem gladium stringant, perduellium amici. Quod si pro Imperatore, pro imperio, pro seipsis, arma induerint, gloriæ quàm ignominiæ propiores abscessuri sunt prælio, habiturique officij præstiti dominum non immemorem. Ejusdem argumenti scriptum Dux Wirtenbergicus accepit. Paria Granvellanus & Navius, aulæ Cæsareæ Proceres, urbium Legatis, Imperatori Ratisbonæ præsentibus, inculcarunt. *Nihil videlicet urbibus formidandum, nonnullis viris Principibus, alienarum facultatum direptoribus, ac perduellionis crimine à Cæsare ac imperio divulsis, hoc bellum intentari.* Helvetii eisdem Cæsaris rationibus per legatos à federatorum partibus sunt avocati.

Sed, licet Ubiorum Princeps ut commodo Cæsaris, ita suo haud levi discrimine postulatis imperatoriis locum faceret; humanitate singulari, quâ illum nuper transiens Carolus occupaverat, captus; urbes tamen Smalcaldico federe sociatæ, quarum sex præcipuæ censentur, Augusta, Ulma, Argentoratum, Francofurtum, Lubeca, Hamburgum, & Brema, (nam Noriberga, Nordlinga, ceteræque eadem religione conjunctæ, hoc fedus rejecerant) nequaquam obtemperarunt. Argentorati primores Cæsari ita etiam per literas responderunt, ut præter infesta arma nihil ab illis exspectandum videretur.* *Gratum*, inquiunt, *inprimis evenisse sibi, quod intelligant Germaniæ salutem curæ esse Cæsari; orare etiam, ut hæc ipsi voluntas perpetua esse velit, neque intempestivo armorum remedio corrumpatur. Dolere magnopere repertos in Germania, qui Cæsareæ autoritati ausu refractario illudant, obsequiorum immemores: neque existimare ejusmodi suæ religionis assertores scelere obstrictos teneri. Per ipsos sanè hactenus non stetisse, quo minus tentata sæpius pacis consilia, eo, quem sperassent, exitu concluderentur. Pontificiis illud jure imputandum ad suas rationes obstinatis. Postremos Ratisbonæ adversarum partium congressus, absque fructu dissolutos, quod ad Tridentini Concilij Proceres disceptatio religionis rejecta sit; ut si illis Aristarchis, tanquam solùm oculatis, tot populorum caussa subjicienda esset, & Germano credenda sint, quæ Italo libuerint. Quod verò Ecclesiasticorum possessiones à nonnullis suorum occupatæ, atque in alios Reip. Christianæ aptiores usus conversæ sint, id & Cæsarem jam pridem edoctum, & Spirensis decreti autoritate ab ipso indultum. Nulla se violare judicia, sed emendata etiam cupere, malignitate quorundam in foro Spirensi perversa; nihil optare, nisi quod cum summa æquitate sit conjunctum. Mirandum verò esse, si qui suarum partium homines, tam audaces suique dissimiles reperti sint hactenus, qui dignitatem imperatoriam ac libertatem Teutonum oppressum, aut etiam imminutum eant. Calumniam hanc esse Romæ natam, urbe optimis semper consiliis inimicissimâ. Palàm atque in luce, alia longè conspecta suorum in Cæsarem Germanosque studia. Quot in Turcam Gallumque suppeditata essent auxilia, tot extare suæ voluntatis ac fidei erga Imperatorem monumenta. Proinde æquum se judicium non modò non declinare; sed orare etiam; ut innocentiæ suæ, contra aliorum malevolentiam livoremque tuta esse possit defensio. Indictâ sese causâ, belloque, communi gentium jure, nunquam denunciato, malè ad supplicium deposci. Valerent aliquid cùm præsentia, tum antiqua parentum suorum in Austriacæ familiæ homines congesta beneficia ad recentem invidiam, indignationemque sopiendam. Exigeret cum animo suo Cæsar præsentem Germaniæ faciem Tur-*

II. Smalcaldici federis urbes imprimisq; Argentoratum obsistens Cæsarem à bello avocare conatur.

1546 *cicis bellis exhaustam, imminentemque tot urbibus, populisque, si intestinâ seditione agitetur, vastitatem. Nihil deinde spei nervorumque ad externos hostes, virtute pristinâ, depellendos reliquum fore. Quæ si levia Cæsari non videantur, ne tam facili adversariorum impulsu in transversum belli sensum à pacis consilio abripiatur.*

III. Principes Apologeticis se purgant scriptis, & religionis non rebellionis causam agi docent.

Hæc ferè illi, uti & deinde confederatorum Principes literis ad Cæsarem datis, ad sui purgationem, adferebant. Apologetico insuper libello Philippus Hassiæ & Joannes Fridericus Saxoniæ Principes idibus Julii divulgato, & suam probare aliis causam, & Cæsaream improbare sunt conati. Docebant * *bellum adumbratâ quidem rebellionis specie, quæ nulla esset, re verâ nascentis per Germaniam religionis opprimendæ gratiâ suscipi; ut nimirum divulsis ejusdem federis Germanis, alios post alios opprimat, & sibi victoriam facilem, illis servitutem instruat. Hæc ex multorum in aula imperatoria Procerum verbis temerè effusis; ex Cæsaris facto extremum Ravensburgo excidium interminantis, ni susceptæ fidei obnuntiaret; ex Pontificis denique sententia Vbiorum Archiepiscopum sede dignitateque propriâ, religionis gratiâ, deturbantis, persuadere sunt visi.* Illo etiam utebantur obfirmati animi decreto, quo Augustæ disertis quondam verbis Cæsar enuntiarat, ante se opes vitamque cum sanguine profusurum, quàm serpentem in Germania laturum hæresim. Gratitudinis deinde neglectæ Carolum non obscure arguebant, atque illud inprimis Friderici patrui sui beneficium oggerebat Saxo, quod cùm is, à Maximiliani funere, quorundam septemvirorum suffragio Imperator denuntiatus esset, ultro tamen summum Carolo Magistratum detulerit. Negabant verò Cæsari fas esse ullum imperii ordinem indictâ caussâ proscribere, aut externum in Germaniam militem absque Principum voluntate inferre.

IV. Protestantes Cæsare in milite scribendo potiores, copiis vincunt.

Inter has literarias concertationes, tanquam bellorum præludia, utriusque partis studia in armis, quanto possent opere, cogendis erant, ad quæ expeditiores aliquantò confederatorum quàm Cæsaris res erant. Siquidem illis jam tota propemodum favere Germania, aut religionis, aut federis etiam admissi studio videbatur. Ut proinde Catholicarum partium capita metu suspensa timidè ac cunctanter operam opemque Imperatori suo præstarent. Ex ipsa etiam Cæsaris aula (ut non aberant hæreticorum fautores) nullâ secretorum consiliorum fide, ad hostem emanabat continuò, quidquid agitatum domi decretumque fuerat. Cæsaris tamen, & indefessa diligentia, & infracta constantia eas omnes difficultates evincebat, quæ poterant esse maximæ.

V. Pontificem sibi Cæsar certis legibus adjungit.

Pontificem ille sibi adjungendum ratus, Cardinale Tridentino Madruccio interprete, fedus ante aliquot conceptum menses ad sextum Cal. Julias cum Paulo ejus nominis tertio inijt, quod iis conscriptum legibus constitit. *Primò, ut Cæsar exercitum adversus hæreticorum federatos proximo Iunio comparet, omnesque Concilium Tridentinum aspernantes sectarios ad avitam religionem, Romanæque sedis observantiam, vi aut ratione compellat. Deinde nullo pacis pactionisve alterius decreto cum illis conveniat quod orthodoxæ Romanæque Ecclesiæ adversetur. Pontifex vicißim ducenta aureorum nummûm millia Venetiis in hujus expeditionis usum deponat, recipienda nisi bellum processerit. Addat pecuniis duodecim millia Italorum peditum, equitesque levioris armaturæ quingentos,*

tos, ære ſuo, & ſcribendos, & ſex menſium ſpatio alendos. Denique *indulgeat dimidiam ex Hiſpania proventuum* Eccleſiaſticorum *partem, ex* Cœnobiorum *verò poſſeſſionibus venditis ad 500 aureorum nummûm millia, in ejusdem belli uſum traducat, quibus tamen in re novi exempli arbitratu Pontificis abundè caveret Cæſar, pignore ex propriis bonis ſubſtituto.* Pontifex ne belli ſumptibus ſufficiendis deeſſet, totâ Italiâ viciniſque inſulis decimas bonorum Eccleſiaſticis omnibus imperavit, Quo ſubſidio quamvis amplæ res Cæſaris exiſtimari poterant, Acatholicorum tamen viribus longè futuræ erant inferiores, niſi illorum nonnulli, aut privatis inter ſe offenſionibus diſtracti, aut ſpe præmiorum adducti, imperatorium nomen ſecuti fuiſſent. In his Albertus & Joannes Principes Brandeburgi, Mauritius & Auguſtus fratres Saxoniæ Duces, Georgii duo, Magnopolis alter, alter Dux Brunſvici, Fridericus Comes Furſtenbergicus & Reinhardus Solmenſis, qui Auguſtanâ quidem confeſſione, Schmalcaldico tamen fœdere adverſariis conjuncti non erant. Fridericus Elector Palatinus belli paciſque medius, fide quidem in Deum proditâ, Cæſari nondum fidelitatem abjuraverat. Itaque propoſiti incertus, cum Mauritio Saxone & Joanne Branbeburgico armis intercedere, irrito tamen ſtudio, eſt conatus. Principes ac civitates orthodoxæ exiguo per Germaniam numero definiebantur. In illis, præter Ferdinandum Regem, Bavarus ac Clivenſis Duces, multique nobilium, nec fœdere, nec religione novâ hoſtibus addicti, in his urbium præcipuæ Moguntia, Treviri, Metæ, Aquiſgranum, Colonia: infirmum adverſus hæreſim, & viribus, & voluntate ſuâ futurum robur, ſi uno hanc impetu debellandam Cæſar ſtatuiſſet. Erat is Ratisbonæ etiamnum, quò concilii gratiâ venerat. Urbs hæc eſt liberarum civitatum ad Danubii ripam, quæ Auſtriam ſpectat; extrema, nobilitate atque amplitudine Principum copiis opportuna: ab Ingolſtadio novem paſſuum millibus, ab Auguſta octodecim ſeparatur, fide adhuc in Cæſarem integrâ, licet in ſuperos jam corruptâ. Huc Cæſar undique copias cogi ex nupero per Germaniam delectu jubet, tum ex Pannonia arceſſi Hiſpanorum duo millia octingentos. Germani quinque millium numero pedites confluxerunt ſub Hillebrando Madruccio Tridentini Cardinalis fratre ſtrenuo juvene, & Georgio Regenſpurgo expertæ virtutis milite. Hiſpani ſub Aluaro Sanda, viro genere, ac belli gloriâ inclyto militiam exercebant.

Nonnullos etiam Proteſtantium non illigatos Smalcaldico fœderi, cum paucis Catholicis ſibi addicit.

Tantillum cenſebat militem Imperator, cum Auguſtani ſimulatione amicitiæ adverſus Cæſarem depoſitâ, viginti & duarum cohortum militem, quem ſe urbi defendendæ ſcripſiſſe jactaverant, Ulmæ ac Wittenbergæ cohortibus decem, magniſque equitum copiis ſociant. Hi viginti & octo bellicis inſtructi tormentis Fieſſæ poſito ad Lycum amnem oppido, caſtra caſtris objiciunt; ſed imperatorius miles longè impar retrò Tirolim conceſſit. Sectarii Fieſſâ occupatâ, validoque munitâ præſidio, propiùs ad Alpium fauces Italicis copiis præcludendas feſtinant. Unum iter ex Italia ad Bavariam, per Tridentum & medias Alpes Oenopontum patebat, quod ſubinde in bivium diſſectum, vel ſecundo flumine Oenopontum per Copſtænum, Tirolis oppidum, egregio firmatum opere; vel propter radices montium trans Cluſam deducit, arcem ingenio loci munitiſſimam. Huc quam-

VI. Proteſtantium urbes inprimisq; Auguſtani decepto Cæſare, magnum militem ſociant, & Alpium fauces ad Italos excludendos occupant.

1546. quàmprimùm Schertelius federatorum archistrategus, castra admovit. Jam enim Copstænum suæ potestatis habebat; valuit ea ducis celeritas ad terrorem primò, ac porrò desperationem præsidiariis incutiendam, qui licet trepidè raptimque vallo arcem cinxissent, opere tamen recenti perlevique momenti nihil ad longam defensionem adjecisse se crederant. Clusâ igitur deditione acceptâ federati Oenopontum properant, quo loco occupato, Cæsari omnis ex Italia comitatus pecuniæ militisque transportandi via ac spes intercepta videbatur; sed Castelalti, militiæ illic præfecti, consilio diligentiâque profectum est, ut octidui spatio duodecim penè millium collectus exercitus, regionis atque oppidi defendendi gratiâ, confluxerit. Quâ re dejectis adversariorum animis Schertelius sese recipere est coactus. Quo ab Alpibus digresso, quadringenti Hispanorum Copstænum adorti, felici successu invasere, non levi clade oppidanorum. Ita via Italis facta est haud multò pòst affuturis. Quamvis igitur consulto hunc federati alpium transitum Pontificiis copiis præripiendum existimaverint; consultiùs tamen longè acturi fuerant, si imparatum à commeatu ac milite sufficienti Cæsarem Ratisbonæ aggressi essent, præsertim in urbe religione illis devincta versantem, neq; ad longam obsidionem instructum. Error hic primus malè auspicatæ militiæ fuit.

VI. Confœderatarũ urbium Duces feliciter auspicãtur, quibus Saxo & Hassus ingentes copias jungunt.

Dilinga tamen interea ab Heddeco, Wirtenbergensium copiarum præfecto, deditione accepta Catholicorum terrorem auxit, fecitque ut Eistetensis Præsul, legatione missâ, pacem, commeatûs transitûsque per agros suos oblatione emerit. Sed & Schertelius, miles impiger atque in omnem occasionem vigil, Donawerdæ improvisus adest, castrisque oppido admotis, spretâ deliberationis susceptæ morâ, invadit urbem, vi suâ, an civium dissimulatione, haud satis liquet, certè parcitum omnibus, armatâ vi parùm obnitentibus, præterquam cœnobiorum incolis. Urbs hæc Danubio incumbens imperialis & libera, castrisque figendis perquam opportuna est, cùm ad sufficiendam militi per Danubium & Lycum annonam pateat. Siquidem Lycus amnis, medius Bavariæ Sueviæque limes, Augustam præterlabens, quatuor inde milliarum devolutus spatio, Danubio ad Donawerdam commiscetur. Danubius verò ex Abnoba monte, Rhæticis Alpibus Rhenique fontibus propinquo, natus, per Ulmensium agros sese effundit, haustasque per decursum sexaginta amnium aquas, sex vastis fluminibus in ponticum oceanum evomit. Huic loco immoranti Schertelio Saxo Hassusque, federatorum Principum urbiumque summi Duces, sese ingenti milite adjungunt, 80 censuisse omnes peditum millia, decem equitum memorantur; bellicas secum, conflatas ex ære, machinas infra centum non traxisse.

VII. Cæsar Saxonem & Hassum publico edicto proscribit, bonaque addicit occupãtibus.

Cujus rei, delato ad Cæsarem nuntio, utrumque Ducem, publicis tabulis rebellionis ac læsæ Majestatis reum promulgavit, suisque possessionibus, iis proscripsit legibus, ut primò occupantibus addicerentur, proscriptionis eas memorabat causas, quas ferè suprà litteris ad illigatas federi urbes complexus fuerat, *edictorum imperialium contemptum, exempla perfidiæ ac seditionis alitæ, icto conjuratorũ in Cæsarem federe, profligatos bello concitato imperii Principes, occupatos per vim fraudes-*

desve aliorum possessiones, corruptam oppressamque judiciorum, Spiræ præsertim, æquitatem, provocata in Cæsarem externorum Regum arma, Gallorum, Anglorum, Turcarumq;. Quæ quidem omnia tam, ajebat, esse manifesta, ut refutari nequirent; tam atrocia, ut justissimam animadversionem requirerent, quam, cùm lenioribus remediis ultima nequicquam sit expertus, nunc denique acerbiorem adhibere se, intolerabili illorum pertinaciâ compulsum esse. Proinde singulis imperio subjectis gravissimè se præcipere, nisi pari scelere pœnâq; obstringi cupiant, hanc societatem ne consilio, opibus armisque conjunctis ineant. Si quid fecerint temerè hactenus, ne pertinaciam cœpto addant crimini, sed maturè Cæsaris accedant partibus, liberos sese præsenti decreto, eximiosque ab omni decernere obligatione fidei, quotquot illam, juratam licet hactenus, rebellibus præstiterint. 1546.

VIII. Bellum Cæsari Protestãtes Majorum more denuntiant sed occasione ejus opprimendi dum imparatus erat, improvidè neglectâ.

Sed Cæsare paucis Germanorum Hispanorumque copiis aucto confederatorum spes animique in immensum excreverant, cùmque indicendum Cæsari bellum, instituto majorum, censerent, de literis inscribendis ita inter utrumque disceptatum est, ut Saxo, derogato illi Imperatoris titulo, scribendum Carolo de Gandavo esse contenderet; quod absque rebellionis nota imperatorium illi nomen tribuere vix liceret. At Hasso magis visum est, hoc illum titulo, nisi cum Castris, non exuere; ne Principes reliqui intempestivâ arrogantiâ læderentur: quod cùm minùs probarent ceteri, placuit denique salutandum illum, tanquam Cæsaris sese loco gerentem. Misso tubicine literæ ex teli amento, veterum more, ad castra Landishutæ vicina deferuntur. Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, fidei virtutisque spectatæ miles, summo illis post Cæsarem imperio præerat. Hic epistolæ datæ nihil respondit; sed publicas vicissim proscriptionis tabulas ad rebelles [illegible]ferendas tradidit, legatisque ejuscemodi rerum crucem deberi asseruit, nisi in Cæsarem, injurias etiam clementiâ ulciscentem, incidissent. Fuerat, ut dixi Carolus Ratisbonæ, nondum auxiliariis ex Belgio Italiaque adjutus copiis, nondum, exspectatis ab Austria, militaribus instructus tormentis. Hæc per nuntios in via quidem acceperat esse sed hostium milite impedita, nec adfutura, nisi magno temporis itinerumque dispendio. Quæ res cùm hosti, ab omnium rerum copia instructissimo, perquam opportuna rursum, ad Cæsarem Ratisbonæ opprimendum accidisset, tanta fuit omnium, vel ad intelligendum cæcitas, vel ad audendum negligentia, aut certè tanta imperatorii nominis fortuna, ut imbelli Carolum oppido hærentem, cui salutem suam crediturus in periculo non fuerat, impunè istic morari sint passi, cùm vix habiturum perfugii tutam sedem, totâ ejicere Germaniâ haud difficulter potuissent. At longiori illi temporum locorumque circuitu inclusuri hostem, consultò sese antè vicinis Cæsari præsidiis immissuros credebant, neque exercitatum per omnem belli fortunam Carolum tam levi impulsuros impetu existimabant: cautè ob id incedendum rati, nequid præcipitando delinquerent. Sed timidâ hac circumspectione ut fieri solet, dum charybdim vitant, in scyllam incidunt. Cùm enim vix ullum militiæ opus sine discrimine sit: *Stultum erit, aut omnia evitare pericula velle, aut omnia contemnere. Optimus ille miles, qui & graviora cautè declinare, & leviora fortiter superare didicerit: ne vel in præcipitationem, tanquam bellicæ fortunæ scopulum; vel in cunctationem, tanquam vadum,*

impingat. Quorum illud temerarii, hoc timidi bellatoris vitium est, illud audacibus, hoc prudentibus metuendum. Verùm inexpertis contra expertissimum Ducem pugnaturis prona erant ad mali suspicionem ac timorem omnia. Reinam igitur oppidum Bavariæ ad Lycum, non procul Donawerda situm, Cæsareâ Germani nominis cohorte defensum, haud multo labore occupant, vim civibus extremam operiri nolentibus. Cæsar deinde hostium intentus consiliis, per exploratores didicit Landishutum cogitare, ut viam, ab Oeniponto Ratisbonam ducentem, interciperent, atque ab exspectato Cæsarem subsidiario milite separarent. Expeditior nulla futura erat expugnandi Cæsaris ratio, quàm ejus propositi felix eventus. Cùm ab Italis Hispanisque diviso, certa illi Ratisbonæ obsidio, extremo rerum discrimine, exspectanda fuisset. At prævertit celeritate, animoque incredibili Cæsar, ac quatuor Germanorum millibus Hispanisque trecentis sub Pyrrho Columna ad Ratisbonæ præsidium relictis, cum reliquo milite secundis castris Landishutum attigit, omnem ante belli aleam subire paratus, quàm hanc extortam de manibus opportunitatem videre. Auxiliares igitur copias quantâ possent festinatione adesse jussit.

IX Instructissimū Protestātium exercitum Cæsar ad Landishutum sustinet, Italisque conjungitur,

Erant in castris federatorum ad Neoburgum promotis, præter memoratum supra militem, principes & duces exercitus facilè novem. Ex Saxonica familia duo, ex Brunsvicensi quinque, Anhaldinus & Dux Luneburgicus, quibus alii Germani comites decem accesserant, vires eorum omnium sententiâ tam censebantur firmæ, ut, qui his se Carolum prælii discrimine objecturum crederet, esset nemo. Tamen ea fuit ad pugnandum alacritas, ad audendum virtus, ut pugnam mortemque etiam, ante fugam, electurus videretur. Siquidem castris juxta urbem fixis, hostium operiri adventum statuerat. Hærebant suspensi multorum animi, ancipiti periculosissimi belli eventu, intentisque cogitationibus imminentem Reip. Christianæ perniciem, aut salutem ominabantur, votis judiciisque inter se pugnantibus, prout quemque favor atque odium in diversa agebat. Ceteri ferè orbis Christiani Principes, Imperatore in tam pia caussa destituto, otiosi spectatores, quàm actores tragœdiæ malebant esse; cùm ab ipso Borysthene tres Tartarorum Duces equitum illi millia quatuor, totidemque Arabum à Tuneto Rex barbarus ultrò in subsidium deferret, quibus neglectis suâ ipse virtute ac Deo fretus, nullum in summo discrimine timoris argumentum dedit. Sollicitatus à conjuratis Dux Bavarus ita quidem in fide Imperatoris perstitit; ut ei, neque obstare, neque prodesse magnopere sit visus. Cujus tamen non minùs salus, quàm discrimen, ex Cæsaris fortuna pendebat; cum illo superato, de religione aut certè regione sua periclitaretur, vel hæresin vel bellum admissurus. Palatinus denique ad partes sese protestantium auxiliarem adjunxit. Franciscus Galliarum Rex, Solimannus Turcarum, Henricus Anglorum adversus Cæsarem provocati, federis cum illo suscepti religione sese impediri responderunt. Confederati ubi animadvertunt Cæsarem opportuno ad Landishutum castrorum loco, sine atroci certamine dejici non posse, neque ita facilè Ratisbonam annonæ apparatusque omnis militaris occupari sedem posse, desidiâ utramque de manibus occasio-

mne

nem effluere sinunt, dum jam copiis ex Italia adventantibus Cæsar factus auctior magis etiam illorum vires contemneret. Selectiorem nunquam specie ac juventute militem Italiam ætate illâ dedisse memorant. Præter equites levis armaturæ mille, decem millia peditum sub signis numerabant. His Octavius Farnesius Cæsaris gener Pontificiusque nepos, egregii juvenis animi præfectus, militiæ socios expertissimos bello viros, Vitellios, Sabellos, Sphortias, Ursinosque sub se ducebat. Hos subsecuti ex Neapoli & Insubria veterani roboris sex millia Hispanorum sub Philippi Lanoi Ducis auspiciis. Quibus Imperator auxiliis confirmatus hostes Ratisbonam lentè progressos motis repentè castris præoccupare statuit. At illi aliò consilia Cæsaris spectare rati, Saxoniæ metuere cœperunt. 1546.

X. Digressis Protestãtibus Cæsar collocatis ad Ingolstadiũ castris, eosdem rursum validissimè oppugnantes tenet Belgicisque ad se copiis aditum aperit.

Quare stratum ponte Danubium transgressi, haud procul Norgovia, intelligunt, Cæsarem Ratisbonâ iter Ingolstadium deflectere, is enim, admirabili celeritate, juncto ad Neostadium duobus pontibus flumine in adversam ripam nitebatur. Mutato igitur hostes consilio Ratisbonam magnâ jam parte copiarum nudatam contendunt; ut à Donaverto & Neoburgo Cæsaris exercitum averterent, at subsidiario rursum milite ad urbem destinato, præoccupata illorum diligentia est. Cæsar verò delecto ad Ingolstadium idoneo castrorum loco ita resedit, ut urbs ipsi, ipse urbi contra hostilem impetum auxilio esset, dum exspectatus à Belgio subsidiarius miles accederet. Oppidum à tergo erat, sinistrum latus flumen paludesque tuebantur, à fronte ac dextera lata sese in campos effundebat planicies. Post hanc non incommodo sese loco castris nostris hostilis exercitus objecit, certo quidem pugnandi consilio, si fretum castrorum opportunitate Cæsarem possent elicere; at Carolo jam antè constitutum erat, Buranum cum Belgicis admittere copiis, quàm aperto marte concurrere. Hinc dispositâ intra subitarii operis vallum acie, hostium irruptionem præstolabatur. Sed his eminùs satis visum est incredibili tormentorum vi in castra Cæsaris detonare, ut in imperatorios acie intra vallum explicatos globorum mille & nongenti sint excussi, quo numero in castris reperti ad tormentorum Præfectum delati sunt. Ita tamen constanter hæc tempestas à milite Cæsaris oratione ac communi periculo animato, est excepta; ut quem jussus occupaverat locum, deserere nemo sit visus. Carolum verò non absque præsenti Numine servatum tum inprimis memorant cum excussa tormento Sphæra atque ad ejus pedes decidua, eodem vestigio, quo ceciderat, humo præter omnem consuetudinem obruta sepeliretur. Tanta cum suo Imperatore militum constantia, hostes à castrorum oppugnatione retardavit. Consultò Hassus suaserat, avidas pugnæ cohortes, vel per valla in Cæsarem ducendas, multis copiarum partibus inferiorem. Cujus opinio, si primâ statim die valuisset apud ceteros, præsentiori ad victoriam fortunâ uti deinde nunquã potuissent; cùm vallum etiamnum humile, neque opere pleno circumductum, facilè ad transitum militi pateret, quod periculum noctis insequentis morâ Albanus vallo instructiori imminuit. Levioribus interim prælijs, aut campo aperto, aut ex insidiis concitatis, Itali Hispanique, ubique superiores, perquam federatis importuni erant, præsertim cùm irruptionibus nocturnis in castra, nullam fesso mili-

militi tutam pro quiete horam faceret. Cæsar verò munitionibus castrensibus eò progressus sensim est, ut castra castris admoveret, & liberum hostili equiti frumentandi aditum intercluderet. Ita gravissimis denique incommodis circumventi federati tantò inferiores virtute, quantò numero superiores, communi sententiâ discedendum statuerunt. Subinde nuntiatum Cæsari est, Maximilianum Buranum Belgii comitem, deluso obsistente ad Rheni oram Aldenburgio transmisisse decem peditum equitumque quatuor millia, quibus Hispani Italique, Anglo contra Gallum nuper submissi, sex millium numero sese adjunxissent. Hunc verò, conjurati Helvetorum jam septem millium aucti copiis, cum objectis inter Cæsarem ac Buranum castris, aut arcere, aut ad iniquam pugnandi conditionem potuissent compellere, timidè parumque circumspectè sese Castris ad Donavertam inclusêre de sua jam tantùm addictarumque sibi urbium defensione solliciti.

XI. Cæsar plenis jã copiis instructus progreditur, urbesque diversas occupat, & pugnã ambit.

His opibus Cæsar fretus, complura ad utramque Danubii ripam oppida, à Neoburgo exorsus, non tam vi, quàm virtutis ac felicitatis summæ existimatione obtinuit, nil hoste contra auso, qui tot urbium jacturâ provocatus, de Nordlinga sibi providendum existimabat: motis iccirco Donavertâ castris, haud procul urbe consedit, loco munito atque ad rem frumentariam idoneo, quæ res Cæsari profuit, ad Donaverdam Italicis copiis occupandam, inde Tilingam Lauingamque, ac vicina ejus loci oppida in potestatem recepta. Cum, Prentio amne superato, Ulmensium agris immineret, hostem rursus, Ulmæ subventurum, Nordlingâ abstraxit, qui postquam unà cum Cæsarianis ad amnem crebris velitationibus concurrissent, nunquam tamen pugnæ capitalis aleam, sæpiùs à Cæsare oblatam, experiri sunt ausi. Asperior jam utrosque hiems ad hiberna provocabat; sed ne id, consiliis licet suorum incitatus, Cæsar ageret, gravis illum atque æqua continebat ratio, quâ mediam belli fortunam abrumpendam non putaret.

XII. Protestãtes quæsitâ nequicquã pace, & fame pressi, exercitum pro hibernis quærendis partiuntur. Sed Principum copiis Franconiam Cæsar præcludit, unde domum repetere cogũtur.

Itaque, metatis ad Lauingam castris, atque ex iniquiori primum loco ad æquiorem traductis, hostes ad Giengam residentes, eâ rerum inopiâ ac desperatione pressit: ut postquam de pace frustra Cæsaris animum pertentassent, septimo denique Cal. Decemb. bipartito exercitu, quorum altera pars, quæ erat federatarum urbium, regiones suas per hiberna insideret, ac defenderet; altera Saxonis atque Hassi auspiciis ducta in Franconiam, magno Cæsaris incommodo, perventura credebatur, cùm eo loci Rotenburgo potiti firmiorem etiam, quàm ad Danubium sedem possent figere. Sed Boffingâ Nordlingâque per iter Cæsar obtentâ, Rotenburgum pervenit ante, & obtinuit, quamvis ab orthodoxa fide alienam urbem. Quocirca hac etiam facultate Franconiæ possidendæ ereptâ, conjurati Principes, impedimentis ob viam in confederatorum propugnaculis relictis, domum quisque suam, ad hiberna contendunt. Saxo tamen, non otioso per hiemem milite, pleraque illorum locorum recepit, quæ, junctis Ferdinandus Rex cum Mauritio Saxone copiis, per Saxoniam invaserat.

Porrò, attritis sine pugna hostibus, tanta Cæsari autoritas, tanta federatis urbibus accessit trepidatio, ut certatim ad eum Legatos destinarent, veniæ amici-

tiæ-

tiæque obtinendæ gratiâ, in quibus Ulma ipsa atque Augusta, conjurationis initæ primipilares. Palatinus etiam ac Wirtenburgicus Principes, quorum ille venerandâ jam caput aspersus canitie, non sine lacrymis, ad pedes Imperatoris prostratus jacuit. Receptis in gratiam eæ denique leges datæ acceptæ que fuerunt. *Vt fedus perpetuum atque inviolabile cum domo Austrica paciscerentur, irritâ omni pactione cum quovis alio hominum genere susceptâ, nullam deinde societatem adeant, nisi Cæsareâ auctoritate probatam. Ioannem Fridericum Saxonem & Philippum Hassum, tanquam patriæ hostes, publicâ contestatione aversentur ac damnent. In subditos alterius, præterquam Cæsaris, stipendia merentes pœnâ æquissimâ animadvertant. Denique in urbes municipia atque arces præsidio imperatorio opportunas, militem admittant. Vnde Augusta Schamburgij, Vlma Nassavii, Francofurtum Burani cohortibus est tradita. Adjecta his legibus mulcta pecuniaria. Vlma centum aureorum millibus, Francofurtum viginti, Memminga quinquaginta, aliæ urbes pœnâ aliâ defectionem luerunt. In quibus Augusta centum ac viginti aureorum millia dependit. Præterea, duodecim tormenta bellica pleræque urbium adjecêre.* Schertelius verò federatarum civitatum Dux, salutis obtinendæ dubius fugâ sese in Helvetiam recepit. 1546. XIII. Vrbibus liberis & Palatino Wirtenbergicoque Principi Cæsar certo onere pacem indulget.

Bellum hoc semestri integro medias inter hiemis injurias Cæsarem in armis tenuit, quem non rarò acutis podagræ doloribus conflictantem, invicto tamen animi robore ad omnem patientiam obduratum, non ab acie periculum, non valetudo ab armis revocavit. Omnem unus ipse fortunam constantissimè, & urgebat, & sustinebat: novarum semper belli artium ac consiliorum ipse solers tam inter suos repertor, quàm explorator in hostibus. Hinc toties susceptas ab eo rerum gerendarum rationes, aut suâ ipse prævertit diligentiâ, aut labore evertit. Hinc Ingolstadio, Donaverto, Nordlingâ & Giengâ belli usu ac felicitate inferiores hostes depulit, denique ita sine prælio illos fregit, ut non semel victi triũphatique videri possent. XIV. Carolus patientia & solertia belli hostium sine pugna victor.

Saxonum Princeps dum alienis occupandis adjecit animum, propriis magnâ parte excidit. Siquidem Mauritius & Augustus consanguinei in Saxonia Duces, à Friderico jam olim dissidiis alienati, suis ac Ferdinandi Regis armis hujus ditionem penè totam invadunt. Omnem ante lapidem moverant Saxo & Hassus, ut Mauritium, eâdem sibi religione devinctum, in partem suorum armorum deducerent. At Saxoniæ possidendæ spes, quæ Cæsaris edicto, ad primò occupantem perventura erat, religionis curam facilè superabat. Quare in nomen ipsius libellis infamibus grassati, admissæ hominem perfidiæ condemnabant, quibus Mauritius ita occurrit; ut summo se Imperatori obsequentem jure diceret, ostenderetque, *navatam abs se operam, ut à seditione concitata, ad quietem omnes pacemque revocaret, arma se defendendæ Saxoniæ suscepisse, ne in exterorum Principum manus, proavorum suorum hereditas devolveretur. In hoc bello nullam de religione, sed de imperio contentionem susceptam à Cæsare, in libertate illius nec sibi, nec aliis hactenus ab Imperatore quicquam esse imminutum.* XV. Saxo reversus occupatas à Mauritio urbes plerasq; recipit.

Caverat enim Cæsar, ne hæresim potiùs, quàm adjunctam hæresi rebellionem expugnare crederetur; ut à Schmalcaldico federe distineret, tot urbes per Germa- XVI. Mauritius Cæsaris se

1546.

artibus hærere tradit, quod is bellũ rebellioni non religioni intendat.

maniam Principesque libertatis,ac nuper ortæ religionis ſtudioſos : quibus Caroli ſanè potentia multò erat futura inferior. Eccleſiaſticorum quidem bonorum imperata reſtitutio eſt;ſed decretorum vi in Auguſtano ac Spirenſi comitio,jam alias factorum. Saxoniæ Elector,ubi omni cum Mauritio conciliationis ſpe excidiſſe ſe vidit, in Thuringiam ac Miſniam ſe cum exercitu quatuordecim millium effudit,& non minori celeritate,quàm felicitate amiſſa recuperavit,Lipſiâ tantùm Dreſdâque per opportuna præſidia oppugnationem ſuſtinente, quin & Mauritium,magnâ ſuæ regionis parte obtentâ,multavit. Hic verò,& milite &

An.1547

belli ſumptibus Friderico ex communi federatorum ærario bellanti impar Cæſaris opem imploravit, qui adfuturum Duci, Albertum Brandeburgicum cum ſubſidiariis cohortibus, deſtinat. Sed is miles audaciâ, quàm prudentiâ melior, dumRochlitiâ occupatâ,cùm cœlibis vitæ femina,Haſſi ſorore,epulas inter choreasque deliciatur,mulieris aſtu,ac Friderici ab ea evocati armis improvisò circumſidetur,ipſe ratus tutiorem ſibi in campo , quàm intra mœnia parùm firma pugnam cum hoſte fore,dum animosè magis,quàm circumſpectè prælium init, plerisque ſuorum, aut fugâ,aut cæde amiſſis, vivus ab hoſtibus intercipitur,ac Gothæ,fortiſſimo Saxoniæ munimento,includitur.

XVII. Saxo, cæſo Brandeburgico à Cæſare auxilii gratiâ miſſo Bohemos in fide fluctuantes ad rebellionem excitat. Vnde Cæſar ipſe ſuppetias properat.

Deinde ut vires fortunamque adverſus Cæſarem ſtabiliret magis, Thumſernum legatum,cum aliqua copiarum parte,in Bohemiam,hæreſi jam dudum fluctuantem,deſtinat.Qui præterquam quod Joachimicâ valle potitus eſt, ſubditorum adverſus Regem Ferdinandum arma concitavit. Erant illi jam ante ſeculum Huſſitarum perfidiâ à bonis legibus Regibusque alieni , quare illam aliis ſentiendi vivendique libertatem , quam ſibi vendicabant, indulgendam cenſebant. Igitur, obnitente per minas precesque nequicquam Ferdinando, indictis nobilitas comitiis , Caſparem Pflugium genere inter ſuos potentiâque facilè principem ſummæ rerum præficiunt,ac militiæ colligendæ dant operam;verbo quidem,ut contra externum ſe hoſtem defenderent;reipsâ,ut rebellium vim numerumque augerent.Sed enim virtus ac fortuna Imperatoris his machinis erat longè ſuperior ; ſiquidem ille rebus ſuorum,hoſtiumque exploratis,opportunè podagræ doloribus exemptus,ad Ferdinandum Mauritiumque Ægram, Saxoniæ Bohemiæque finitimam urbem , auxilii gratiâ , cum paratâ militum manu properavit. Qui, licet ſilvis Bohemiam ambientibus,per ſeditioſos accolas ſuccisis,hærerent præpediti , eluctati tamen per varios circuitus denique adfuêre. Nec diu Cæſar moratus;ſed Ægræ,veteris etiamnum fidei oppido,feriis paſchalibus exactis , magnâ celeritate in Saxoniam duxit , ut aperto hoſtem campo priùs deprehenderet,quàm urbium ille abs ſe occupatarum vallis includeretur, ubi difficilis ac longa futura eſſet expugnatio ; quòd non paucis,& munitionis robore,& belli apparatu egregiè proſpectum eſſet. Hærebat Elector ad Miſenum,illuſtre ad Albim oppidum,nuper Mauritio ademptum,tum quòd ponte illic ſtrato,ſuperatoque fluvio, hoſtem poſt ſe facilè relicturus crederetur ; tum quòd Bohemorum auxilia eò loci operiretur.

XVIII. Cæſar inexſpectata ce-

Cæſar continuato decem dierum itinere , ubi diem unum militi per quietem

recrean-

lenitate, & forte Albim ſuperat, & ſolo equitatu, in hoſte Saxone longè ſuperiorem milite fertur.

recreando indulſiſſet, intelligit Saxonem ad alteram Albis ripam reſciſſo ponte ſublicio conſidere, loco caſtris percommodo, quòd elata per crepidines ora, difficilem tranſituris acceſſum faceret, & facilem obtinentibus defenſionem : ſed cum Cæſari, Albano licet cæteriſque refragantibus, ea animo inſediſſet perſuaſio, iniquâ licet conditione, pugnandum eſſe, priuſquam hoſtis, aut loca tutiora occupaſſet, aut viribus invaleſceret, omnis ad tranſitum experiundum adhibita eſt induſtria. In hunc finem pons inſtructus & diligenti exploratione repertum ab Albano Vadum, illac pediti, hac equiti decretum iter; ſed etiam hoſtes Milburgi, in oppoſita conſederunt ripa, ubi tentata à Cæſarianis via eſt. Hos objectis tormentorum globis, & plumbea ſcloporum grandine, magno numero, cùm ex litore, tum ex navibus dejecerunt imperatorii milites; tanto ſtudio, ut brachiorum tenus in aquam procurrerent libraturi in hoſtem glandium miſſilia. Porrò cùm navium defectu, pontem toti inſternere flumini Cæſar non poſſet, rem penè incredibilem, deni ex Hiſpana militia ſunt auſi; qui, ut neceſſaria ad pontem navigia hoſti ſubducerent, depoſitis veſtibus, Albim natando ſuperant, gladioque quem ore gerebant armati ejectis defenſoribus, naves deſtinatas ad ſuos, incolumes ipſi, perduxêre. Dum pediti tranſitus ponte inſtruitur,

XIX. Pons, mirâ audaciâ navibus adductis fluminis inſternitur ad peditatum & tormenta transferenda. Sine his tamen Cæſar ſtructam Saxonis aciem invadit, ſuorum multitudinē nova arte fingens.

Cæſar cum equitatu ruſticum ducem ſecutus, per fluvium, impetu rapacem, & per intervalla natante equo ſuperandum, alteram ripam tenuit, Hungarico jam ante equitatu, cum ſclopetariis inſeſſoribus, in hoſtem præmiſſo. His præter opinionem acceptis, Dux Saxonum properato itinere Wittenbergam contendit; ita quidem ut equitatûs pars extrema tueretur, & infeſto ſicubi inſtaret, hoſti ſeſe objiceret. Quæ res quamvis & noſtrorum retardaret, & illorum promoveret impetum, nihilo tamen ſegniùs Cæſar fugientibus cataphracto poſt terga equite inſtitit. Qui dum obviam crucifixi imaginem impii militis glande convulſam cerneret, plenum impietate facinus deteſtatus, elevatis in cœlum oculis manibusque; *Si volueris*, inquit, *mi Deus, illatam tibi injuriam poteris hodiè ulciſci*. Nec multò pôſt conſecutus hoſtem Albanus eſt, quem dum Saxo facilè ſe preſſurum exiſtimat, Cæſarem quoque approperantem conſpicit: utrique tamen ſe, beneficio ſilvæ cui aderat, non imparem ratus, aciem tormentaque adverſus hoſtem diſpoſuit. Ducebat is peditum ſena, equitum tria millia : cui opponebat Cæſar equitum millia quatuor, omni poſt ſe peditatu æreiſque machinis relictis, quod ea feſtinatione, quâ ad hoſtem ſiſtendum opus, promoveri non poſſent. Duplici ſuos acie Cæſar diſtribuerat, Germanicæ militiæ more neglecto, quo equeſtris aciei frons anguſtior ſenſim in latius corpus effunditur: ſtabant enim in fronte agminis ſepteni deni ſenſim acie velut in cuneum deficiente. Quâ ratione & majorem quàm pro numero objecit hoſtibus multitudinis ſuſpicionem, & cavit, ne circumveniri ab adverſario milite tam facilè poſſent. Utrumque ſimul in hoſtem agmen ire non poterat paludoſi loci uligine præpeditum.

XX. Equitatu Saxonis fuſo peditatus aliquan-

Unde Cæſar, ordinibus contractis, Albanum, cum Mauritio, pugnam exorſos non nihil eſt ſubſecutus, qui deinde infeſta in hoſtem ſigna tantâ vi intulit, ut nemo adverſariorum equitum loco conſiſteret; ſed in effuſam denique ſolutus fugam,

1547. tum resistens cæditur.

gam, pedit tum omnem præsidio nudaverit. Hic ad primum quidem impetum inconcussu subsistit; quòd minùs in fuga salutis haberet, brevi tamen solutis per irrumpentem equitatum ordinibus, momento temporis ad proximas silvas fugâ sese convertit. Sed Hungaricus levis armaturæ eques, per omnes latè fugientes immani cæde grassatus est. Quâ gente, vix alia in hanc rem expeditior, sive industriam sive etiam celeritatem spectes. In silva armorum per vias multitudo, strataque occisorum, aut morientium cadavera, insequentium vim non parum retardavit: captivorum is fuit numerus; ut non pauci militum, pro se quique, vicenos & ampliùs traherent, Cæsar ad quatuor passuum millia hostium fugam prosecutus, cum suos victoriæ nixos fiduciâ, in omnem partem dissolutos ferri conspiceret, insequentes ad signa convocat, ne incautos objiceret discrimini, & in victoria occumberent.

XXI. Cæsari dispersũ militem revocanti ad signa, captivus Saxoniæ Princeps ab Hispanis sistitur.

Huic sese Ferdinandus, egregii, hoc etiam in bello, militis Ducisque munus functus, denique & Albanus reductis suorum agminibus addidit, quem vix exceperat reducem Cæsar; cùm de capto Saxonum Principe Friderico nuntius advolat, magno nationum studio hanc sibi Ducis intercepti laudem vendicantium: in quibus Hispani sex, ut ceteris numero, sic fortunâ potiores videbantur. Hi Principem Electorem equo insidentem ac vulnere, secundùm malam lævam, perstrictum adducebant, qui ubi in conspectum Imperatoris Albano præeunte venisset, nudata chirothecis dexterâ, cùm ex equo, venerationis causâ descensum nequicquam moliretur, ut qui corporis mole, vulnere sitique fractus esset, jussus sedem in equo obtinere, ad Cæsarem detecto submissoque conversus capite: *Tibi*, inquit, *potentissime ac clementissime Cæsar, me captivum dedo.* Ad quæ Carolus: *Ergone*, inquit, *tibi nunc Cæsar videor? alium me certè nuper faciebas.* (per contemptum enim Carolum de Gandavo appellare consueverat) oranti deinde; *ne infra Principis dignitatem inter vincula haberetur*, respondit, *pro suo illum tractandum merito.* Simulque frequenti custodiæ traditus, atque in castra deductus est.

XXII. Pauci hostium reliqui, qui ferrũ aut captivitatem vitarunt. Cæsarei paucis amissis tormẽtis & impedimentis omnibus potiti sunt. Prodigiis variis hæc clades notata est.

Nox incumbens persequentium gladiis multos subduxit, quanquam non pauci ad 12 passuum millia pugnæ prædæque ardore abrepti fuerint. Mauritius inhærens permixtusque fugientibus, sclopo tergori admoto concidisset; nisi, fallente fomite militis conatus delusus esset. Multos adversariorum ferrum absumpserat, plures vincula strinxerant, pauci ex toto exercitu reliqui, quadringenti numero, Wittenbergam ex fuga confluxerunt: tormentis impedimentisque omnibus imperatorii potiti sunt. Ernestus Dux Brunsvicensis leviorum in his bellis præliorum semper antesignanus, cum aliis inferioris fortunæ bellatoribus interceptus est. Cæsariani exercitus jactura intra quinquaginta militum numerum substitit. Ut proinde victoria hæc, ad octavum Cal. Majas parta, singularem cœlitum favorem complecti videatur. Illud manifestum est, prodigiis fortunam Cæsaris cœlitus fuisse insignem; siquidem illo, quo prælio decertatum fuit, die, sol mutato colore subobscurum ac veluti infectum sanguine vultum induit, quod portentum, ita omnium oculis, admiratione defixis, objectum est; ut non modò per Saxoniam Germaniamque, sed & Galliam Britanniamque semotæ à nobis gentes,

gentes, ad spectaculum sese tam novum tectis effuderint, neque à paucis existimatum sit, substitisse defixum inter astra solem; repetito veteris ævi miraculo, ne victoriam Cæsaris, properatâ nocte intercíperet. Hoc in Avilæ atque Illescæ historiis, quanquam, ut par, timi tum & illius temporis versibus relictum est, quorum fide ista posteris audienda magis, quàm credenda transmittimus. Illud indubiis verbis asserunt, eodem e die, & aquilam exercitum inumbrasse Cæsareum, & lupum in milites de silva fum, ac d cerptum fuisse, casune, an aliquo futurorum præsagio incertum hominibus est.

Certè Imperator Superos magis in hoc certamine quàm vires humanas valuisse professus est. Cùm illud post victoriam Asiaticam Caii Julii Cæsaris usitatum symbolum, *Veni, vidi, vici*, modestè inflexo lemmate usurparit, *veni, vidi, at Deus vicit*. Cognitum sub pugnam est, Thumsernum cum milite ab se nuper abducto, tum subsidiariis Bohemorum copiis propediem adfuturum; sed, insigni virtute ac celeritate, Cæsar spem omnem fortunamque hostibus amputavit. Subinde ad Wittenbergam Principem Saxoniæ urbem, & Ducum sedem castra movit Imperator, ubi militari consilio, exploratis suorum opinionibus, capitis Saxonem damnavit, quàm Cæsaris sententiam constantiori, quàm pro religione animo, Fridericus excepit. Id solum precatus, *ut uxori liberisque testamento cavere sibi liceret, & ne ad illos pertingeret calamitas, ad quos culpa nulla pervenisset. Ceterùm se minimè, dicebat sperasse, clementiam Cæsaris in suâ primùm infelicitate terminandam.* XXIII. Deo Cæsar acceptam victoriam refert, & Saxonem capitis damnat.

Id ubi famâ delatum accepisset Joachimus Brandeburgi Princeps, nihil moratus junctum sibi religione Principem, omni contentione in vita retinendum judicabat. Quocirca properè adfuit, multisque apud Cæsarem sexto Maii die argumentis, pro salute Joannis Friderici contendit. *Vide*, inquit, *ô Cæsar, ne unius hostis internecione plurimorum in te odia resuscites, ut quos tibi per Germaniam Principes clementiæ opinione conciliasti, tam improviso severitatis exemplo avertas. Simulatum hactenus in te existimabunt benevolentiæ, erga summa imperij capita, studium; donec opportunos vindictæ inimicos in manibus ferres. Vicisti fateor, Imperator fortissime, atque de hostibus tuis felicissimè triumphasti: videndum sanè est, ne victoriam ita pretiosam corrumpas à teipso, tuæque felicitatis adversariis, irâ atque inclementia turpiter superatus. Germanorum in te fidem amoremque lenitate mereri, severitate solâ evertere poteris. Hoc gentis ingenium est, quod pœnis parum moderatis asperatur magis, quàm corrigitur, & sponte potius quàm coactè subest: nec facilè servitutem patitur, nisi liberam. Sed ut hæc incommoda ac pericula devitaveris; tamen effugere omnem ingrati animi notam, erga familiam hanc suis majoribus illustrissimam, Austriacaque domui multis beneficiis addictam, non poteris. Occurret multorum animis illa olim hujus gentis imperio gloria, primùm ab his possessa, ac per multam retrò posteritatem transmissa. Subveniet benevolentia, tibi olim ad imperij coronam accersito impensa, cum suffragia Saxoni collata in te singulari dignitate ornandum ultrò transtulerit. Cui nisi hoc tempore in illa Principis fortuna responderis, obliterata omnis apud te beneficiorum memoria censebitur; neque gratitudinis neglectæ minorem, quàm inclementiæ labem præclarissimæ nominis factorumque tuorum commemorationi asperges.* Ad hanc Brandeburgi obtestationem Guilielmi Cliviæ Ducis pro affini Principe XXIV. Brandeburgici Principis ac deinde & Clivensis intercessione vitam obtinet.

1547.

apud Cæsarem intercedentis deprecatio a cessit, quorum autoritate illa sententiæ severitas mitiori aliquantò pacis consilio inflexa est.

Electorata tamen & possessionibus privatur, perpetuoque addicitur carceri. Mauritius Electori substituitur. Gotha arx fortissima destruitur.

Cujus tamen gravissimæ Saxoni leges conceptæ sunt. Nam, licet pertinacissimè innovatæ religionis decretis adhæresceret, ante vitam, quàm hæresin deserturus; alia tamen quantumvis acerba Cæsaris imperata accepit. Primùm *septemvirali dignitate posthac abstinere est jussus, omni etiam heredibus ad eandem spe ac jure præciso. Arcibus deinde omnibus oppidisque à se possessis, tormentis, armis, cæteroque belli apparatu exutus est; nonnullis per Thuringiam locis ad vitæ necessitatem relictis. Denique & Albertum Brandeburgicum è carceribus in libertatem ac possessiones pristinas coactus remittere, tum omni obnuntiare federi contra Cæsarem suscepto. Postremò bona Principis in Ferdinandum ac Mauritium pro cujusque impensis meritisque distributa sunt. In hunc etiam septemviralis potestas translata est, cum aliquo auri argentique onere in Friderici liberos conferendi. Ipse Dux, satis ex vita concessa habiturus beneficij, captivi specie Imperatorem sequi jubetur.* Wittenberga posthæc ceteræque Saxoniæ urbes, obnuntiante juri ac Sacramento Principe in Cæsaris potestatem transiêre. Gotham verò inexpugnabilem ejus loci, naturæ artisque beneficio arcem funditus evertere, quàm cum periculo impensisque belli possidere maluit. Reliquum erat ad absolutam Cæsaris victoriam federatum Saxonibus Philippum Hassiæ debellare Principem; Bohemorum enim rebellio inter tentatum primò facinus substiterat, jamque veniam, post supplices apud Carolum Legatorum preces, meruisse videbant.

XXV.

Philippus Hassiæ Princeps metu Caroli bello imminentis, & consilio Mauritii aliorumque Protestantium Principū se submittit, duris admodum conditionibus.

Hassus ubi in se arma verti intelligeret, tentatumque Mauritii deprecatione Cæsaris animum, opinione duriorem comperisset, neque demùm alias, quàm victi à victore conditiones exspectaret, maluit fortunarum ultimum, quàm vitæ simul periculum facere. Quare Eblebi familiaris sibi hominis consilio & opera per Mauritium & Brandeburgicum, Cæsaris animum, de venia factorum impetranda pertentavit, arcium plerarumque demolitione, apparatuque bellico ultrò Cæsari delato. Pacis igitur leges ab Imperatore conceptæ, ac per Eblebum ad Philippum deportatæ sunt, cum adjunctis Principum litteris, quibus suasum; ne quam earum conditionum exceptione, aut morâ detrectaret; alias pacis leges non admissurum Cæsarem. Ejus se potestati tantò submitteret paratior, quantò mitiorem suæ calamitatis eventum præstolaretur. Nihil gravius in illum decernendum, quàm oblatæ pactionis literæ tulerint, mortem carceremque perpetuum formidandum non esse ultrò sese dedenti. Cui deinde promissioni suam ipsi fidem apposuerunt. Ceterùm pax his Philippo legibus permissa est, *ut se suamque provinciam nullâ exceptione dedat Cæsari, noxamque suppliciter, ejus advolutus genibus, deprecaretur. Imperii porrò decretis Cæsarisque voluntati paratè obsequatur. Ad judicium imperialis Cameræ non observantiam modò; sed & impensas conferat: communibus viribus sese adversus Turcæ insolentiam conjungat. Federibus ac inprimis Smalcaldiæ contra Cæsarem initis obnuntiet. Hostem atque amicum cum Ferdinando atque Imperatore communem deinde habeat, subjectos sibi domi militiæque viros ad idem obsequium extremis etiam supplicis adigat. Arcium propugnacula solo exæquet, Ziegenhemio tantùm Cassellisque ad regionis defensionem conservatis, denique post tradita belli tormenta, apparatumque omnem*

mili-

1547.

militarem centum quinquaginta aureorum millibus noxam defectionis luat. Familiæ Teutonicæ aliisque Ecclesiæ ordinibus, armis erepta restituat, atque in libertatem patriamque Henricum Brunsvicensem cum filio reponat. In quæ legum capita, Hassum cum liberis totaque patriæ nobilitate ac plebe voluit concedere, Brandeburgico, Mauritio, ac Wolfgango Palatino fide jubentibus adjurantibusque, se adversus Hassum pacta labefactantem, arma sociatis viribus sumpturos. Philippus ad oblatam Cæsaris voluntatem nonnihil cunctatus est, & quòd septemvirorum in se fidem parùm haberet exploratam, anceps consilii fluctuabat, ingratasque Carolo moras attexebat. Quocirca is castra Wittenbergâ movit, præmiisque in ordinum ductores, primosque trans Albim effusos milites distributis, contra Hassiam expeditionem adornabat. Quod ubi Philippus accepisset, præoccupandum extremum discrimen ratus, Halam Mauritio & Brandeburgico occurrentibus 18 Julii ingressus est. Ubi postridie pacis conditiones ad subscribendum oblatæ sunt.

XXVI. Metuentem Philippum Cæsarei Principes fide sua interposita erigunt.

His cùm adjectum fuisset, *Cæsaris unius esse si quid controversum inciderit, pacis capita interpretari*, novâ suspicione gravioris mali ambiguus hæsit, neque obscurè reluctatus est, cum Atrebatensis Episcopus omni illum metu absolvere conaretur, modò placitis Concilii Tridentini pareret. Quam cùm Hassus cautionem nunquam antè appositam aversaretur, Mauritius ac Brandeburgicus Principes stipulatâ manu clam fidem dedêre; hoc se illum timore velle absolvere; quòd neque ipsi in hujus Concilii sententiam unquam sint discessuri. Accessit Episcopi acerba denuntiatio, indignationis Cæsareæ in Caput ipsius hac morâ provocandæ, ut proinde hinc metu, inde spe propellente ita demum conditionibus subscripserit. *Liberi, pii, generalis Concilii decretis, quo non minus caput, quàm membra reformentur, se pariturum; ubi Mauritius & Brandeburgensis facturi essent*. Sub hæc ab utroque Principe ad Carolum, magno Principum ac nobilium consessu circumfusum, deducitur, supplexque ad Cæsaris genua devolvitur, ille, qui nuper extrema rerum pericula priùs experiri, quàm hanc subire fortunam decreverat. Neq; antè humo erigitur, quàm unus Procerum Guntherodus submissa oratione Philippi noxam justamque Cæsaris offensionem deprecatus esset, & fidem obsequiumque futuris temporibus incorruptam pollicitus: ac deinde Cæsareus orator Seldus exposuisset Imperatoris clementiam in pessimè meritum clientem; ut *quem à proscriptione, à bonorum omnium mulctâ, ac supplicio denique & carcere perpetuo eximat, leni solùm pacis legibus comprehensa pœna castiget*. Quæ cùm ultrò citròque exposita essent, sese Philippus actis gratiis, sed nullius jussu in pedes extollit, cui neque dexteram, neque aliam benevolentiæ significationem Cæsar dedit. Unde conturbato atque hostium, circum tacitè applaudentium, ora intuenti, nihil istâ abjectione, ut elati erat animi, asperius evenire potuit, cùm præter ceteros Procerum Brunsvicenses suos nuper captivos aspiceret.

Tridentino se pariturũ certis conditionibus recipit.

XXVII. Hassus summopere indignatus se ad custodiam destinari.

Albanum deinde cum Electoribus ceteris ad cænam evocatus adiit; ubi, postquam horas aliquot inter epulas lusumque absumpsisset, à Mauritio ac Brandeburgico intelligit custodiam sibi, quantumvis illis obnitentibus, paratam. Mirum est quantum ea denuntiatio Hassum præferocis ingenii virum concitaverit.

1547. * *Ergone*, inquit, *contra jus gentium, fidemque, & privatam vestram, & publicam Cæsaris vinculis includar? voluntate meâ, non necessitate coactus venio. Hæc fortuna postquam omnia bello expertus fuissem, postrema mihi esse poterat, quâ tamen mors ipsa fuisset honestior. Nunc ubi arma deposui manibus, ductu consilioque vestro, hostili denique injuriæ opportunus videor. Quibus inter homines credendum erit, si & Cæsari & Principibus jusjurandum ac fides præstita vilis est? Videte, quo hæc orbis totius, quo Dei vindicis judicio perpetrentur. Isti falsò quidem illudere, huic nunquam poteritis. Erit, erit, cum hanc de cœlo perfidiam justissimâ ultione perstringet.* * Uterque Princeps, ut hominem indignatione concitatum, ad aliquam animi quietem componeret, sacrorum profanorumque attestatione se innoxium insciumque hujus consilii professus est, suamque apud Cæsarem intercessionem pollicitus. Quod postridie ita sedulò serióque ab illis præstitum est; vix ut indignatione abstinerent, certè oratio acerbitatis atque emicantis jam tum in Cæsarem odii felle aspersa erat, cùm se perfidiæ fraudulentæque pactionis argui quererentur. At negabat Cæsar falli fidem, de perpetuo cautum carcere, de temporaria custodia nihil definitum. Hac abire rebus nondum expeditis non posse. Eversæ igitur Hassiæ, Philippi mandato, arces, æneæ machinæ, quæ ad quingentas pervenêre, Carolo delatæ, argentique mulcta exsoluta, quam ex Hasso aliisque Lutheranorum ad sexties decies centena aureorum millia ascendisse ferunt: ut eis, quibus hostes nudabat opibus, seipsum Cæsar armaret. Nec tamen sperata Philippo libertas, obtestatione intercedentium Principum, quavis potuit importunitate extorqueri, adeò Carolus Philippi, nuper à se humanissimis frustra officiis culti, ferox ingenium, vel aversabatur, vel etiam formidabat. Quod ut rebellantium primum, ita ultimum fore in libertate existimabat. Verùm non satis perpendebat Cæsar, rumpi nonnunquam vincula, dum arctè nimiùm adstringuntur; pilasque à tormentis excussas, cùm in duriora corpora incidunt, reverberari, severitatis clementiæque temperamentum in Principibus semper viris optimum esse habitum, suffecerat, hunc Leonem suis jam esse unguibus exarmatum: ut si omnino adhuc nocere, certè minùs posset.

Et Protestantes apud Cæsarem Principes acerbèque runtur, sed repulsi.

XXVIII. Bohemi armis positis ultrò sese Ferdinãdo ad pœnam submittunt.

Hæc Cæsaris tam severa felicitas Bohemos, armatâ jam militiâ in rebellionis societatem adductos, magnopere conterruit. Unde Ferdinandum Regem cum exercitu adventantem Pragenses in urbem admittunt, supplicesque intercedente Augusto Mauritii fratre, cum Ferdinando Regis filio, se dedunt, ac rigidis X Julii legibus plectuntur: convulsis habitorum ante privilegiorum federumque sigillis, bellico instrumento in arcem abducto, autoribusque rebellionis addictis carceri. Ex quibus è nobilitate plerique fugâ subditi, famâ fortunisque omnibus multati sunt. In Casparis Phlugii Archistrategi caput aureorum millia quinque percussori constituta. Reliquæ porrò urbes Pragensium exemplo ad obsequium pœnamque venêre, conducibili Regi defectione, quam talis pœnitentia absolveret.

XXIX. *Thom. Costius supplem. Mambri. l. 4.*

Verùm, ut amplæ latèque diffusæ vestes, dum lacerantur, diversis locis sarciendæ sunt, ac quandoque dum alibi reficiuntur, scinduntur alibi; ita Carolo factum, cui Neapolitanum propemodum regnum hæresi ac rebellione scissum est,

dum Germanicum instauratur. Bernardinus illic Ochinus Senensis origine, professione Monachus, & officio Generalis Capuccinorum, ad quos ex ordine Observantium transierat, in populis pro concione ciendis ducendisque potens, à Joanne Valdesio Jurisperito Hispano, Lutherana inter Germanos scabie correpto, eadem infectus prurigine, hanc pestilenti auditoribus afflare habitu cœperat, favebatque proposito Petrus Vermilius, postea Martyr dictus, gente Florentinus, ordine regularis Clericus. Serpente latius contagione Petrus Alvarez Prorex assensu Caroli Inquisitionis illuc tribunal, Dominicanis olim adversus Albigenses commissum Patribus, introducere statuit, sed, quod nata illic persuasione vulgus illud non tam religionis, quàm quæstus fortunarūq; occupandarum studio adducendum crederet, tantâ repente seditione plebs concitata est; ut Prorex extra discrimen vitæ non consisteret; donec palam juratus addiceret, de Inquisitione nihil cogitandum, tantâ rursum populi gratulatione, ut festivis urbs ignibus triduo passim colluxerit. Re ad Cæsarem delatâ, urbs XII Augusti jussa est arma in Proregis consignare manus, iteratoque Sacramento obedientiam Proregi addicere, & centum aureorum, pro mulctâ, dependere millia. Quanquam hujus deinde pœnæ facta sit gratia. Ochinus Romam ad dicendam causam vocatus, Petri Martyris consilio, unà cum scorto (novæ religionis gratiâ ducto) Genevam concessit, atque istic turpissimam, calumniisque pro more in Romanos saginatam Apologiam texuit. Quo facinore concitatus Pontifex, innocenti cetera ordini pænè interitum est machinatus, ut si, ob capitis ulcus, toti incisio corpori adhibenda esset. Postea ipse ac Martyr, Moniali etiam copulatus (ne sacra carerent suæ fidei anchora) in Angliam, sub Eduardo, venerunt, Oxoniensis istic Academiæ studiis autorati, in qua Martyr, tanquam inter stellas luna minores, mediâ hæresum nocte, excelluit. Ochinus, sub regnante Maria, inde in Poloniam ejectus, SS. Trinitatis hostis, & polygamiæ amicus, mirabili Metamorphosi à Judaismo ad Christianam religionem moriens, ceu mersa in portum navis rediisse fertur.

1547 Neapolitani ob Inquisitionis tribunal tumultuantes Cæsaris autoritate componuntur.

Amisit & hujus anni MDXLVII principio V Cal. Februarii Carolus, amicum nescio an hostem, Angliæ Regem Henricum, libidinis, avaritiæ & crudelitatis, post fidem Deó proditam, exemplar ultimum. Qui Catharinâ matertera Cæsaris è thalamo proscriptâ (ex qua Mariam susceperat) Annam Bolenam meretricem unâ Elisabethâ fecundam, atque illâ per Carnificem sublatâ, Joannam Seimeram duxit. Unde Eduardus puer superstes, regno sub Tutoribus per Henricum præfectus est, jussusque catholicè educari; sed primatum retinere Ecclesiæ, ne fortè Patrem errasse filius correctus testaretur. Sed, ut ad declivia facilior, quàm ardua transitus est, Tutorum præcipuus Eduardus Herfordiæ Comes, Seimeræ frater Zwinglianâ infectus hæresi, favente Cranmero Archiepiscopo Cantuariensi, & Regem, & regnum eadem lue infecit; quod Henricus hactenus caverat, solius primatus arrogatione à Catholicis divisus. Quamquam Cromvelli, perditissimi hominis, consilio, Monasteria & Abbatias per universam Angliam everterit, resistentibus ad furcam, ignesve condemnatis, Ecclesias opulentiores passim exhau-

XXX. Henrici Anglorū Regis mors, & vitia. Flor. Ram. l. 6.

1547. hauserit,sepulchris Martyrum quoque spoliatis profanatisque,ex quibus (ut S. Albani Protomartyris Angliæ, ac D. Edmundi Regis cineres violatos non memorem) Thomam Archiepiscopum sepulchro erutum,inaudito hactenus judicio publicè condemnatum,quod Henrico II olim Regi in Ecclesiasticos jus sibi arroganti adversatus esset, omni sanctitatis titulo ac honore, exuit, interminatus mortem omnibus eum veneraturis, quem innumeris claruisse miraculis exploratissimum fuerat. A templo verò ipsius opes thesaurumque, sex boum plaustra onerantem,transtulit. Neque tot Ecclesiarum opulentia, inexhaustæ illius aulæ voragini explendæ sufficiebant;sed æstimatis totius Angliæ possessionibus, plus quam tertiam bonorum partem regio fisco vendicavit,nemine jam, post innumeras sacrorum profanorumque hominum cædes,resistere auso.Quibus improbè,velut in charybdim congestis,adhuc moriens egere compertus est. Illuserat quinquaginta hominum millibus in rebellionem principio coortis,seque conciliationem cum Romana Ecclesia moliri persuaserat, sed his eâ arte distractis, perque suos ministros ad obsequium coactis, tyrannidem homo in homines incompertam hactenus exercuit, autore præcipuo malorum Cromvello, quem tamen postquam federi Schmalcaldico adversus Carolum, Henrico ignorante, aut certè dissimulante subscripsisset, idque Cæsar, tanquam perfidiosum facinus exprobaret Regi,Cromvellum jam ob fastiditas cum Anna Juliacensi, quas suaserat,nuptias aversanti(ut mulierum amor odiumque pondus illi decretorum erat)carceribus inclusum,ultimo infamique supplicio, & inauditum quidem, ut ipse nuper in crimine læsæ Majestatis sanxerat, è medio sustulit, digniori nunquam victimâ Themidi operatus.Porrò Rex innumera Procerum nobiliumque cæde purpuratus,ex quibus Cardinales duo,Archiepiscopi tres,Episcopi XVIII. Abbates XIII,Sacerdotes D.Decani XXX, Canonici LXXIV, Doctores Theologiæ L, Duces,Marchiones,Comitesque XII, Barones XXIX, Nobiles CCCXXXVI, præter reliquam multitudinem,censentur, ipse denique siccâ, quod stupendum est,morte defunctus,ambiguo inter pœnitentiam pertinaciamque exitu,post Sacramenta ritu Catholico reverenter ex genibus suscepta, decessit;nullis deploratus suorum in funere lacrymis, ut quibus eidem abundè in vita litassent.

XXXI. Francisci Galliarum Regis mors & virtutes. *Bellaius in fine hist. Thuan. lib. 3.*

Franciscus illius obitu, quem novo sibi adversus Carolum federe addixerat haud leviter turbatus,& ipse non multò post pridie Cal Aprilis, occubuit, alter id temporis Europæ oculus,magnusque togâ ac sago Princeps. Capacissimæ ad quævis officia mentis, omnes regni fines, populos, viresque exploratè tenebat, quid quæque regio pace belloque posset, quàm hosti & amico opportuna, perspexerat,domi inter eruditorum hominum senatum,multas jucundo eruditoque otio horas exigebat,ac quidquid pœnè naturalis historia rarum amœnumque de animantibus,metallis,herbisque possidet, amplissima rerum memoria complexus erat.In his Guilielmus Budæus ob eximiam eruditionem Galliæ portentum dictus,facilè eminebat,cujus ope consilioque Lutetiæ celeberrimis artium professoribus auctæ,eximiâ disciplinarum luce claruêre. Bibliotheca instructa est,

exqui-

exquisitissimis ad illam non per Europam modò, sed & Asiam contractis voluminibus. Ceterùm ex ære regio, tot bellorum literarumque impendiis sufficiente, arces excitavit, omnem Regum superiorum magnificentiam superantes. In quibus unum ad Campoburgum tantæ amplitudinis dignitatisque opus est, ut omnium in Europa Regum simul esse hospitium possit. Ad hæc quidquid in signis tabulisque, in aulæis tapetiisque aut artificio, aut pretio rarum hodie in Galliæ Regum palatiis extat, ejus ferè curâ industriâque paratum est. Ut mirum omnino sit in minori longè tributorum censu, quàm modò per Galliam penditur, nòn tantùm alieno exsolutum ære Regem, sed ultra 400 aureorum millia ærario esse relicta. Quantus sanæ fidei pietatisque cultor fuerit, argumento esse poterit, difficillimis per Galliam temporibus orthodoxa religio abs Rege constanter defensa, ignibusque aut gladio absumpti Ecclesiæ perduelles, tum illa insignis demissio, quâ captum memorant, dum fortè templum inter hunc Psalmi versum (*Priusquam humiliarer, ego deliqui*) subiret; has velut cœlo missas voces accepisse, atque exclamasse. *Ita est Domine, deliqui & meritò humilior*. Multæ in Rege cùm civiles, tum religiosæ virtutes aliæ, quas tam humanâ morum facilitate condierat, ut nec ab hoste contemni posset. Sola (uti nemo est vitiorum omnium expers) contracta suspectaque cum feminis quibusdam familiaritate, & suscepta cum Carolo æmulatione displicuit. Multis sanè cladibus iri obviam maturiori æquiorique pacis consilio poterat, nisi, in magna utriusque gloria, non inferior invidentia regnasset. Bella tamen cum Carolo ita gessit, ut cùm nunquam illi virtus ac consilium; fortuna nonnunquam defuerit. Par, dignusque Europæ totius imperio, nisi eodem illa tempore Carolum habuisset.

XXXII. *Belcar l. 24. Natal. l. 3. Surius in comm. Thuan. l. 4. Schleidan. l. 19. Palav. l. 10.* Carolus à Pontifice honoratus ad religionem instaurandam convertitur.

Ad hunc igitur ut revertar, Romanus Hierarcha Paulus, ubi illam Cæsaris de utroque hoste cognovisset victoriam, Deum, cui hanc acceptam ferret, supplicatione solenni veneratus est, tum post ingentis lætitiæ edita, publico triumphantium plausu, argumenta; Carolo in frequenti Cardinalium senatu *maximi* & *fortissimi* titulos attribuit. Facilè enim intellexit vir prudens, quantum hæc una victoria momenti ad rem Catholicam allatura esset. Quod, ut fieret, à Carolo deinde actum est diligentissimè. Nam qui hactenus rebellionem solam altissimo consilio oppugnare visus, nunc fractis hæreticorum antesignanis, hæresin ipsam, arte tamen magis, quàm vi adortus est. Quod etiamnum parùm tutò omnium simul inimicitias suscepturus esset, videretque quantùm sibi in hoc negotio incumberet operæ, qui cum illorum contumacia luctaturus esset, quorum Duces, neque inter vincula constrictos, à perfidia ad sanam mentem licuisset traducere. Intelligebat sanè Carolus, quantùm in uno Numinis cultu sacrorumque communione ad stabilem regnorum quietem momenti esset. Animos subditorum nullâ perinde re, quàm veri Numinis reverentiâ in obsequio detineri, qui si diverso religionis studio in diversas sectas abierint, æmulatione brevi odiisque tranquillitatem publicam subruendam, humanam fidem diu inviolatam non fore, ubi divina interciderit, valituram è diverso, ubi conciliata de superis opinione eadem omnium animis insederit religio. Hanc regnorum fundamentum esse,

quam

1547. quam qui negligat, ruituro brevi solio impositum; quòd *cum religione stare videamus, & cadere imperia.*

XXXIII. Mauritius Saxo & ipse Lutheranus Elector loco Friderici inauguratur, actumque ut Catholicæ Ecclesiæ sua redderet bona.

Igitur conciliandum sibi ante omnes Mauritium ratus, hunc in castris ante Wittenbergam loco Friderici patruelis sui Electorali dignitate, & Saxoniæ possessione cumulat. Quæ tamen postea in Comitiis Augustanis XXIV Febr solenni cæremonia in consessu Electorum inauguratio, juxta Bullam auream peracta est, Friderico, cujus hac in re magnanimitatem jure admireris, ex apposita custodiæ specula ritum omnem observante. Deinde cum illo, aliisque Principibus actum, sua ut Catholicis bona redirent, Ecclesiis arisque pristinus cultus, atque observantia redderetur. Errore non levi Imperatoris, qui antè Mauritium orthodoxo sibi religionis studio, quàm his novæ dignitatis ornamentis obstringere debuerat, ne cùm Romani nominis inimicum extolleret, suis hostibus vires potestatemque augeret, & propria, quibus aliquando vinceretur, arma adversario concederet; verùm munifico Cæsari promissorum in se fides, cum alieno etiam perfidiæ tolerandæ periculo, violanda minimè videbatur. Animadversum quoque in Agrippinatem Archiepiscopum Hermannum Lutheranâ tabe infectum, nuper Episcopali à Pontifice, nunc à Carolo dignitate etiam electorali spoliatum. Cui Adolphus Schauvenburgicus Caroli ac Pontificis voluntate surrogatus est.

XXXIV. Comitia solennia Augustæ instituuntur, concluditurque generali Concilio opus esse.

Firmiori tamen per Germaniam paci stabiliendæ Imperii ordines Ulmam primùm convocati, ac mox pestilente illic morborum contagione sparsâ, Augustam ad Cal. Septembris translati sunt; ita celebri frequentiâ, ut septemvirorum deesset nemo, inter quos Mauritius atque Adolphus recens inaugurati censebantur. His accessit Ferdinandus, rebus jam in Bohemia compositis, cum utroque filiorum Maximiliano ac Ferdinando. Cardinales duo, Christophorus Madruceius Tridentinus, & Otho Truccesius Augustanus, quibus tertius Nicolaus Sphondratus, Pontificis vice adjunctus est. Præter quos Clivensis Princeps Guilielmus, Henricus Brunsvici Princeps, Maria Cæsaris soror ac plerique è Germania Procerum aderant. Comitiorum exordio Cæsar per illum, qui à secretis adstabat, repetitâ ex scripto superiorum annorum memoriâ, & suum ad firmandam Germaniæ tranquillitatem salutemque studium, & amissæ pacis, ductam ab hæresi originem, luculentâ oratione declaravit. * *Porrò nullum duraturæ quietis superesse remedium, nisi crescentis odij seditionisque venenum ipso in fonte exsiccetur, & infectâ perfidiæ tabe membra ad sanitatem maturè revocentur. Prudentium virorum judicio illam vulgi temeritatem adstringendam esse, ne fas cuique sit suo arbitratu leges religionis condere. Huic rei generale totius Europæ Concilium, ad quod rerum divinarum sapientissimi quique adhibeantur, perquam videri opportunum. Procerum illud Germanorum voluntate, Tridenti nuper coactum esse, ad cujus arbitrium, non minus ex humana ratione, quàm veteris Ecclesiæ instituto æquum sit accedere. Etiam atque etiam sese id flagitare, omnemque omnibus viæ locique securitatem addicere.* Publico huic consilio privatam deinde admonitionem addidit quâ illud quidem impetratum est, *ut Palatinus Saxoniæque Electores, tum & civitatum Legati, Concilii decretis sese obsecuturos promitterent: licet plerorumque animus extra verba consisteret.*

Ita

Itaque Cæſar eò curam cogitationemque ſuam convertit, ut Patres Tridento peſtilentiæ ſuſpicione Bononiam ejectos ad priſtinam Concilii ſedem revocaret; ubi Hiſpani Germanique Præſules non pauci, ab omni contagione intacti etiamnum, voluntate Caroli ſubſtiterant. Miſſus ejus rei gratiâ ad Paulum Pontificem Madruccius Cardinalis Tridentinus, qui & privatim & IX Decembris in Cardinalium ſenatu publicè Cæſaris, Ferdinandi Regis, atque Imperii totius nomine Concilii revocationem Tridentum flagrantiſſima oratione poſtulavit; ut *ex quâ Germaniæ jam ad Concilij autoritatem admittendam paratæ, ſalus, Eccleſiæ totius incrementum; Romanæ Sedis decus; graviſſimæ in religione jacturæ reparatio, tanto bellorum diſcrimine, tantiſque impenſis quæſita, velut ex bilance ſuſpenſa penderet; amittenda, vix excuſando coram Deo hominibuſque neglectu, quem purgandum in ſe hoc extremo Cæſar conatu ſperet. Interea ne quid exiſtiment, in fraudem Romanæ libertatis, pro electione novi Pontificis (ſi, ſtante Tridentino Concilio, Paulum mori contigiſſet) Carolum, aut ſucceſſorem moliri velle, fidem hac in re obligare Cæſaream, non obſtituros ſe quò minus id Romæ, antiquoque more Patres liberè exequantur.* Ut revera deinde præſtitum fuit, quando graviſſimè ſibi in hac Concilii tranſlatione adverſantem Cæſar, Montanum, paſſus eſt, Pontificem deſignari. Alterum Madruccii poſtulatum Cæſaris nomine erat, *ut aliquem Pontifex in Germaniam Legatum, plenâ inſtructum poteſtate, deſtinaret, cujus ex ſententia corrupti mores ſentiendique in Germania libertas certis legibus, uſque ad Concilij Tridentini exitum, adſtringerentur.* Et hujus quidem, haud difficilis deliberatio, aſſenſuſque erat; ſed illius tam implicata, totque ſuſpicionibus exulcerata ratio inventa eſt; ut quod Proteſtantibus antè nolentibus obtruſum fuerat, hoc volentibus modò, & ipſis, & Cæſari negaretur. Frémente nequicquam Carolo, quòd potiſſimùm hunc ſpectatæ victoriæ fructum, ſibi è manibus extortum videret. 1547. XXXV. Cæſari à Pontifice poſtulat Patres Bononiâ ob peſtē digreſſos Tridentum ad ceteros remitti, aliaque poſtulata decidi petit.

Paulus, ut negatæ reductionis invidiam, diſſimulato privatæ offenſionis ulcere, in alios derivaret, ex ſententia Cardinalium illius decretum ad Bononienſe Concilium rejecit, licet intelligeret mandatum à Cæſare Oratori ſuo Jacobo Mendozæ, ut, niſi æquis Pontificem haberet precibus aſſentientem, vitii Bononienſem conventum palam argueret. Neque Montanus Concilii Præſes his minis conſternatus, ex Patrum Bononienſium ſententiâ reſcripſit. *Viſum omnibus de reditu ante conſtituendum non eſſe, quàm Epiſcopi, qui Tridenti, ſpreto tranſlationis legitimæ decreto, ſubſtitêre hactenus, ſuis adjungantur. Bononiam his prius, quàm ſibi Tridentum adeundam videri; ne præmium aliquod pertinacia, obſequendi ſtudium pœnam habeat. Deinde Patribus debere exploratum eſſe de mente Proteſtantium: velintne decretis Concilij non ferendis tantùm, ſed jam latis etiam receptiſque ab Eccleſia parêre. Hæc enim retractare, jam ſpiritu Eccleſiæ divino firmata, nefas fore. Tertiò, cùm increbuerit populari judicio tantùm aſſenſuros, diſertius hoc ipſum exponendum eſſe, ne Synodus non tam ab ipſis admiſſa, quàm deluſa videatur ſi à vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine, per Epiſcopos controverſa definiente, recedendum putent. Quartò, libertati tam ſingulorum, quàm univerſorum Patrum cautum eſſe debere; ut manendi abeundique penes eoſdem ſit arbitrium. Quintò providendum ne his invitis diutius protrahatur, ſed abſolvendi, cum opportunum eſt, poteſtas Patri-* XXXVI. Pontifex ad Bononienſe Conciliū poſtulata Cæſaris rejicit.

tribus sit integra. Hæc XX Decemb. conclusa, & postero die Romam missa, urgente Mendoza in feriis Natalitiis festo S. Joannis à Pontifice exposita probataque fuere. Qui, licet egregiam in Germanos Cæsaremque voluntatem prolixè exponeret, ab hac tamen sententia, quæ illæsam Concilii Ecclesiæque libertatem tueretur, negavit, sibi fas esse deflectere. Mendoza, ubi & Bononiensem cætum Synodi autoritate uti, & Paulum ejus accedere decretis videret, protestationem sibi imperatam, quâ testaretur Cæsarem Germanosque hanc illegitimam multisque partibus vitiosam censere, oppositurus erat, nisi intercedente Decano Purpuratisque distulisset: donec communicata Cæsari Patrum sententiâ ejus deinde voluntatem cognovisset. Quare Mendoza rei gestæ seriem cum Bononiensium postulatis Augustam transmisit.

Noxia hac cunctatione ex privatis cōmodis ducta, Cæsaris & Concilii vis elanguit.

Non erant hæc obstacula, quæ perrumpi à volentibus non potuissent, si, ut par est, dilati Concilii damna ponderassent. Cujus obsequium Carolus, etiamnum copiis sibi adhærentibus potens, metusque Protestantibus recens incussus, facilè persuasurus Germanis erat; quod deinde inermis Cæsar non poterat. Neque necessarium erat, ut hujus decreti sententiam ad Italiæ Episcopos, Tridentum aversatos, ac suffragio plurium Europæ nationum, quod ad œcumenicum necesse erat Concilium, Bononiæ destitutos rejiceret Pontifex; nisi recusandi invidiam hoc artificio à se in alios, quos dissensuros prænoverat, derivare studuisset: ut iisdem hoc conatu, autoritatem legitimi Concilii tribuisse videretur, quam Cæsar Germanique ac Hispani, qui suppare numero XXX Episcoporum Tridenti substiterant, Bononiensibus denegabant. Cum illorum post adjunctos Gallos pauci supra quadraginta essent, quos accessuri propediem Tridentum Germanorum Episcopi, hactenus bello intercepti, facilè exæquassent. Verùm Pontifex hac tergiversatione Placentiam nuper in Cæsaris potestatem infelici Petri Aloysii Farnesii ejusdem filii exitu, X Sept. redactam, denuo obtenturum se sperabat, qua etiam de causâ Fabium Mignanellum ad Carolum destinarat, qui ex Placentiæ restitutione spem Synodi Carolo faceret; ut Mendoza Romæ Paulo ex Synodi reductione spem Placentiæ recipiendæ faciebat. Sed ut Mendozæ Pontifex; ita, velut reciprocante Echo, Cæsar Mignanello respondebat; privata publicis miscenda non esse, ac turpe videri, si venalem faciant æquitatem. Adeò, quod alter ab altero captabat beneficium, esca erat, sed in hamo proposita, quam neuter admordere prior vellet.

XXXVII Galli Pontificē in cunctatione fovent. Quam diffidia inter Cæsarem & Pontificē ob cædē Aloysii filii confirmarūt,

Unde majoribus indies simultatibus atque odiorum igniculis succensi mutuò diffidebant, Gallis follem huic foco subministrantibus, qui & suos Bononiam Episcopos miserant, ut Patres in figendo illic Concilio stabilirent; postquam secundis Carolum belli fretum successibus, Germanorumque junctis rursum viribus, sibi maximè formidandum evasisse cernerent. Cæsar Pontificem conjurationis adversus Archithalassum Genuensem Andream Auriam per Fliscanos cœptę participem asserebat. Ille Cæsarem, Petri Farnesii Placentiæque occupatæ atque Ecclesiæ possessionibus subductæ reum agebat. Delictum utriusque anceps erat. Ludovicus enim Fliscus Laviniæ Comes æmulatione Auriacæ familiæ, inter

ter

1547.

ter Genuenses summâ potentiâ opibusque elatæ succensus; cùm sese Farnesiis, Andreæ Auriæ, ob privatas injurias offensis, adjunxisset, horum viribus, quos Placentiæ Parmæque Duces creaverat Pontifex, Aurias à se oppressum iri sperabat, & Genuam ad Gallos traducendam. Sed fefellit conjuratio, & Aloysius privatis injuriis vitiisque nobilitati, civibusque ingratissimus, Ferdinando Gonzagæ, Prorege Insubrum favente, X Septembris infelici exitu hanc cladem prævertit. Siquidem à conjuratis propriâ in arce trucidatus, occubuit. Cadaver ex arcis muro ad ludibrium, spectaculumque civibus gratissimum, pependit. Deinde actum in fossas præceps, atq; hinc in vias extractum, omni contumeliæ obe bis hostiumque patuit, ac vix denique sepulturæ gratiam invenit, ingenti Pontificis, Farnesiorumque nepotum, quamvis innocentium probro. Urbs deinde præsidio à Gonzaga immisso ad Cæsaris fidem transiit, post quam Sandomirium, Castellum Guelfi, aliaque etiam loca Cæsaris militem admisêre. Et Placentia quidem ac Parma olim Insubriæ juncta, & quoddam velut ejusdem propugnaculum, immeritò abstractæ esse à Cæsarianis ferebantur, neque induci iccirco Carolus potuerat, ut Ducatum Farnesiis stabiliret.

Surius in vita Auria lib. 2. Haraus in Carol.

Henricus Gallorum Rex hanc sibi aversi Pontificis à Cæsare occasionem minimè negligendam ratus, Carolum Guisium Lotharingiæ Ducem, purpuratorum collegio recens adscriptum Legati nomine submisit, qui & suam indicaret à morte patris electionem, & obsequium fidemque à se omnem adversus Ecclesiæ hostes, cujus & primogeniti, & defensores Galliarum Reges semper extitissent, prolixè deferebat. Contraque Legatus Pontificius Capriferreus Regi de felici successione gratulatus, urgebat, suos ut Bononiam potiùs Episcopos, quam Tridentum destinaret, ubi Cardinalis Paciecus cum Episcopis Imperatori obnoxiis refractariè subsisteret. Nec in hoc officio Henricus defuit, quanquam decrepitâ jam Pontificis ætate, parùm ad stabile fedus idoneâ, illi adversus Carolum, Francisco Patri metuendum, & sibi maturis nondum rebus minimè irritandum, arma timidè, suspensâque velut manu, addixerit, nec nisi ad solius Placentiæ restitutionem vertenda.

Belcar. l. 25. §. 4. Henricus Rex Gall. Francisci successor Pontificis adversus Carolum gratiam captat.

Pontifex Galliarum Regis favore audentior, sequentis Anni MDXLVIII exordio, responsum ad Germaniæ Episcoporum Augustæ collectorum literas per Cæsaris quoque Legatum oblatas dedit. *Excusaverant illi suam à Tridentino hactenus Concilio absentiam, bellorum incumbentium necessitati, non suæ voluntati imputandam, tum verò dolebant dissolutam translatamque propere, se atque Imperatore inscius synodum. Denique ejusdem Tridenti, opportuno Germanis loco, instaurationem seriò magnisq; argumentis, ob spem reducendæ nationis suæ ad fidei Romanæque Ecclesiæ obsequium, urgebant, ac postremò, nisi id fieret, alia consilia rationesque expediendæ rei suscipiendas esse affirmabant.* Quâ interminatione, cogendi à se, vel in Germania, vel Tridenti plurium etiam nationum (quibus Bononienses superandi videbantur) concilii suspicionem ingerebant. Quo tamen schismatis metu Cæsaris deinde pietas, ac post repulsam quoque, constantia fidei Romanos liberavit. Quanquam alia, parum iisdem probata, hæresis impediendæ, consilia susceperit. Cum Romanis ac Protestan-

An. 1548 XXXVIII. Germaniæ Episcopi concilium restitui etiam minaciter postulant.

1548.

Pontifex cordatè negat, acriterq́; ab aliis conventibus eos revocat.

teſtantibus ſatisfieri ex æquo non magis poſſet, quàm ignis aquæ conciliari. Pontifex igitur, & propria indignatione, & Gallorum pollicitatione animatus, cordatè Germanis reſpondit: *Laudare ſe quidem illorum ſtudia voluntatemque in religionis negotio ſuſceptam; verùm ut translati Bononiam Concilij ipſe autor non fuerit, ſed Patrum ſuffragatione, quorum ea poteſtas, huc tranſitum ſit; ita eorundem quoque voluntate Tridentum redeundum. Quibus verò legibus ad reditum ſe offerant, ex adjunctis eorundem poſtulatis cognoſci poſſe, quæ & Cæſaris Oratori Mendozæ exhibita fuerint. Quod verò in calce literarum adjiciant, negato Tridenti Concilio, aliam ſibi expediendarum rerum viam ineundam eſſe, iis ſe minimè terreri, ſiquidem & ſuæ in Germaniam voluntatis, & exploratæ ipſorum conſtantiæ in mentem veniat. Quod ſi tamen neglectâ Romanæ ſedis autoritate, gravius quicquam in religionis negotio attentarint: non iccirco formidandum Eccleſiæ, ſuâ in petrâ contra omnem adverſantium impetum conſtitutæ. Illorum magis ſortem dolendam timendamque, qui tam fluxa fide averſi, obtemperare nolint, niſi ſuis ante cupiditatibus obtemperanti, & contra hunc ſtimulum calcitrent, qui graviorem, quàm accipiat, plagam reponat. Proinde, ut in ſuſcepta fide conſtantiaque, quam præſtiterunt laudabiliter hactenus, porrò conſiſtant, nec diverſa ab Eccleſiæ dignitate conſilia ſuſcipiant, privatisque ſe conventibus ad indigna ſancienda abripi patiantur, id hortari ſe comprimis, atque ab ipſis etiam flagitare.*

XXXIX. Cæſar per ſuos Legatos Conciliū Bononienſe vitii arguit.

Imperator itaque explorata per Oratorem mente Pontificis, Procuratores ſuos primùm Bononiæ, deinde Romæ, graviori minari conteſtationis publicæ fulmine juſſit, palamque illegitimam Concilii translationem denuntiare. Unde Bononiæ Franciſcus Vargas Caſtellani fiſci Procurator, cum Martino Soria Velaſco XVI Januarii ad Concilium admiſſi, cùm exhiberent mandati Cæſarei literas ad *Conventum Bononienſem*, poſtularentque Scribas ac teſtes ſuos, contra quam in Pontificio ſenatu aſſolet, introduci, biduum in deliberationem abſumptum eſt; ac deinde ea cautione in 44 Patrum conſeſſu auditi ſunt; *ne, cùm Cæſar ſanctam hanc Synodum injuriâ conventum appellat, hujus ignominiæ diſſimulatio quicquam Synodo diſpendij, aut emolumenti Oratoribus in cauſa præſenti adferat.* Tum verò, ubi Vargas hac præfatione exorſus eſt: *Adſumus hic legitimi Cæſaris Procuratores*, Montanus Præſes interpellans dixit: *Adſum & ego verus indubitati Pontificis Legatus, unaque adſunt legitimi, & Oecumenici Patres.* Poſt quam interpellationem, mandata Cæſaris exhibita lectaque, ac dein à Velaſco prolixa Cæſaris conteſtatio expoſita. Quâ *commemoratis principio, quæ & Cæſar & Pontifex pro Concilio Tridenti inſtituendo moliti ſint, quodque illud hoc loco Germanis potiſſimum ſibi invicem, Eccleſiæque in una religione conciliandis, inſtitutum eſſet, qui cum ratione non potuerint, armis denique ad obſequium divina ope inflexi ſint. Cùm interea Patres moræ impatientes, conficta repentè morbi causâ, Pontifice etiam, ut fateantur, inconſulto, multisque Patrum & diſſentientibus, & ab omni contagione innoxiè perſiſtentibus, tumultuosè Bononiam parte magnâ abſceſſerint, eamque ad urbem, quam in Pontificis dominatu ſitam Proteſtantes averſentur, quæque ad abrumpendum magis, quàm proſequendum concilium delecta videatur, & unde nunc Proteſtantibus ad concilium Tridenti admittendum paratis, redire frivolâ obtenſione poſtulatorum graventur. Non ignorari cauſis graviſſimis neceſſariisque rogante* Cæſare, pe-

ten-

1548.

tentibus Germanis, assentientibus Christianis Principibus, jubente ipsomet Pontifice, Concilium Trident: congregatum fuisse, nunc verò his omnibus, vel invitis, vel ignorantibus, vano pestis, nunquam illapsæ, metu, relictis Germaniæ, quo confluxerant, finibus, in Italiam discessisse, & solos penè Italos, ceteris Episcopis nationibusque destitutis, neglectâ salute publicâ spretoque Cæsare Protectore, Ecclesiâ periclitante, ac Pontifice nil tale imperante; cùm tamen sine iisdem, quibus conflata hoc loco erat Synodus autoribus , solvi transferrique aliò, præsertim deficiente causa , non potuerit. Rogare igitur postremò & magnopere quidem Cæsarem, ut habita cùm periculorum quæ Ecclesiæ ex hac dissolutione immineat, tum autoritatis suæ, qui Ecclesiæ Synodorumque Patronus sit, ratione, Tridentum sese recipiant, ubi pacata illis ac tuta futura sint omnia. Id si minus impetrari queat, protestari per se Cæsarem Concilij translationem frivolam, illegitimamque, ac nullius deinde ejus decreta momenti fore: responsum verò ipsorum Pontifici datum, ineptum, delusorium ac figmentis plenum, & siquid incommodorum hinc incumbat Reip. ipsis autoribus tribuendum. Cæsarem porrò tanquam Ecclesiæ protectorem, illius etiam sine ipsis curam suscepturum, quantùm, & jure, & sanctorum Patrum legibus concessum fuerit. Quæ compendio à me dicta, cum prolixa Oratione recitasset, in Acta referri postulavit. At Montanus Pontificis Legatus Synodi Præses, hac contestatione cum Patribus haud leviter perstrictus, contra, *injuriam sibi collegisque gravissimam irrogari, legitimæque translationis ac Synodi rationes fictis criminationibus impugnari, Deum hominesque testatus est. Se collegamque sedis Apostolicæ Legatos esse; Imperatorem, quod ipsius pace dictum velit, non Dominum, aut Magistrum, sed Ecclesiæ filium; cujus proinde ut mutato consilio autoritatem sequatur, Synodumque, ejusdem perturbatoribus repressis, amplectatur magnopere roget. Ceterùm quidquid evenerit, mortem se suosque oppetituros potius, quàm patiantur à civili potestate libertatem Ecclesiæ, Synodorumque illius circumscribi. Cùm tamen prolixior eorum oratio fuerit, quam quæ nunc ordine refutari debeat aut possit, quatriduo post responsionem ad illius argumenta reponendam.* Verùm Procuratores, hac non exspectatâ, discesserunt.

Injuriâ dissolutũ jure petit restitui, graviterque Bononienses accusat, ac minatur.

Montanus Concilii Præses acriter respondet.

XL. Dum hæc agerentur Bononiæ, eodem Januario mense, Augustæ Cæsar in Comitiis imperii, acrem disceptationem hinc Legati Sigismundi Regis Polonorum Stanislai Lasci, inde Magistri Ordinis Teutonici Wolffgangi Melchingi de Prussiæ ditione excepit. Hic ante quadriennium in Comitiis Spirensibus eo Magistratu per Cæsarem insignitus, & in Alberti Brandeburgici proscripti locum surrogatus fuerat. Postquam is à fide Catholica & Imperii jurisdictione, quam aliàs inter Principes receptus agnoverat, ad Sigismundi Regis clientelam, hactenus controversam & frequentibus bellis disceptatam, transiisset, atque uxore ductâ, sub Regis Polonorum tutela, hereditarium hunc sibi ducatum, cum totius Teutonicæ nobilitatis, ejusce successionis capacis, injuriâ, vendicasset. Præcipua utriusque partis fundamenta, quibus nitebantur, non abs re erit cognoscere. Polonicus Orator, postquam contestatus esset, Romanorum se Imperatori Principibusque, non ut Judicibus, verùm ut amicis conciliatoribus, omni observantia atque honore dignis, hanc causam exponere. Primò asseruit, *Prussiam Teutonico Ordini ea lege à Poloniæ Regibus concessam, ut adversus Christiani nominis hostes eorum opera ute-*

Schleid. l. 20 Belcar. l. 25.

Sigismũdi Poloniæ Regis Legati Prussiam jure summo Regis & Alberto Brandeburgico ut clienti adstruere conatur.

1548. *uterentur. Sed illos violatis pactis, ab hostibus in suos Dominos arma inimica vertisse. Ita ad indigna inter clientes Dominosque certamina perventum, multis temporibus variâ sorte agitata, donec Casimirus denique Superis æquitati faventibus, ad obsequium fidemque clientelæ juratam eosdem armis victos adegerit. Hanc igitur Sigismundum Casimiri Patris successorem ab Alberto Prussiæ Magistro jure exegisse, ac recusantem armorum quoque subegisse potentia, dum ultro in fidem ac clientelam Regis concesserit. Unde manifestum sit, jure belli ac pactionibus Prussiam, licet Germanæ quondam nobilitati concessam, Polonis deberi. Nam quod turbæ contentionesque frequenter obortæ sint, Magistrorum illud culpâ insolentiaque factum, qui arma in barbaros vertenda (cujus auxilij gratia â Polonis recepti fuerint) summa ingratitudine in caput Dominorum converterint, nec Polonis, nec Germanis fidi. Expertos illud Maximilianum avum Cæsaris, Fridericumque ejusdem Patrem; quorum ille promiserit nullo sese auxilio adfuturum Ordini, hic etiam arma contra illos Hungarosque federatos Casimiro Regi ad eorum oppreßionem sociârit, denique & Sigismundum Cæsarem Ladislao Regi adversus eosdem suppetias tulisse. Quare, ut priscorum habeatur federum juriumque ratio, Albertusque proscriptionis sententiâ absolutus, Prußia securè Polonorum tutelâ fruatur, id Sigismundum Regem obnixè contendere. Alia orbis loca, à Christiani nominis hostibus infessa, ut Solymas Byzantiumque digniora esse, in quibus Teutonicus hic ordo arma sua, quàm in ipsos Christianos convertat, seque Tartaris etiam (ut sub Cochmestero factum) ad vastitatem cædesque Poloniæ inferendas, conjungat. Ante centum & quinquaginta annos Bohemiâ ejectos, nec minori nunc jure arceri Prußia, quâ si Albertus vi pellatur, Regem ut Patronum, & avunculum ejus, non posse injuriam negligere. Sperare etiam Sigismundum, Dantiscum & Elvingam urbes, quæ juris Polonici sint, ad imperij conventus deinde non evocandas, ut suis tutò legibus ac libertate frui poßint, paxque imperium inter Poloniamque firma consistere.*

XLI. At Prussiam ad imperiũ & Germanicã nobilitatem spectare, Magister Ordinis evincit.

Exceptis Cæsar postulatis ea cum Imperii ordinibus contulit, ac denique Wolffgango Prussiæ Magistro tradidit, qui XXIII Januarii responsione non enervi occurrit, ac nonnulla præfatus: *Quæritur*, inquit, *imperiòne Germanorum, an Poloniæ Ducatus Prußiæ debeatur, quam ego imperio tribuendam esse haud difficilè evicero. Sic res habet, invictißime Cæsar, ordinesque amplißimi. Abhinc annis ferè quadringentis ordo Teutonicæ nobilitatis adversus Barbarorum invalescentium vim, à Cæsaribus Pontificibusque probatus, cùm ex oriente in diversas regiones ejiceretur, à Mazoviæ etiam Duce in Culmensem agrum admissus est, eâ lege, ut Prussos Christianæ religionis hostes sibi finitimos infestosque reprimerent, ac victores eorum regione potirentur. Quam donationem Fridericus II Imp. Hermanno Salcio Ordinis Magistro an. Christi MCCXXVI stabilivit, opemque cum secutis Impp. adjecit, quâ freti, quinquaginta & trium ferè annorum spatio, Prußiam sibi religionique Catholicæ addixere, arcibus, propugnaculisque ad nobilitatis Germanicæ perfugium, gentisque tutelam constitutis. Mansitque penes nos inviolata ejus loci deinde seculis proximis poßeßio, armorum quoque subsidia Polonis adversus barbaros Lituanorum insultus, ut amici, tulimus; donec hi Polonis, ob electum ex Lituanis Regem, sociati, in nos suæ felicitatis autores cum Lituanis tela ingrati verterunt, eo tamen exitu, quo bona Lituaniæ parte exciderunt, quam tamen, cum ex Constantiensis Concilij decreto, nostraque benevolentia recepissent, obliteratâ brevi beneficiorum memoriâ repetitis bellis compensarunt,*

1548

runt, ob quaſdam noſtri ordinis provincias, quas ſummo ſibi jure perperam arrogabant; fruſtra Hungariæ Bohemiæque Regibus, ac Sigismundo etiam Cæſare, fluxâ pace, intercedentibus; donec arma denique pace Torunienſi ſub Ladislao Rege compoſita fuerunt, poſtquam omni jure Prußiæ Poloni renuntiaſſent; jurejurando interpoſito, ab Epiſcopis & regni Ordinibus non parituros ſe Regibus, qui Prußiæ Magiſtro bellum hoc nomine inferrent. Quod jusjurandum quovis decennio innovandum ſtatuêre, decreto, quod ducentis fuit ſigillis conſignatum. Sed tantâ fidei obligatione poſthabitâ, cum quatuordecim ab hac pace, quam æternam ſperabamus, annis, Prußi conjuratione initâ adverſus Magiſtrum ſuum rebellarent, Caſimirus Rex, Sigismundi Pater, rebellium amplexus partes, ad tantas Ludovicum Erlinſinum redegit anguſtias, ut cùm aliter Prußiam retinere non poſſet, fiduciario illam clientis jure, nullo neque Pontificis, neque Cæſaris imperiique conſenſu admiſerit. Vnde poſtea Fridericus Saxo, & Albertus Brandeburgicus ordinis Magiſtri, hanc fidem Poloniæ Regibus, & injuriâ extortam, & nulla Germanæ nobilitatis imperiique autoritate firmatam, agnoſcere recuſarunt; donec hic à Romana ſimul religione, & imperii protectione deſciſcens, ad Sigismundi clientelam, defectionis ſuæ tuendæ gratia, tranſiret. Ex quibus manifeſtum fiet, quam vana ab Adverſario jactentur. Neque enim arma ab ordine contra Polonos, niſi ad injuriam propulſandam ſumpta: neque unquam Imperatores aliter, quàm pro imperio in hac cauſa judicaſſe conſtat, ac prohibuiſſe, ne quam ordo Polonis clientelæ fidem addiceret, ut ex poſtremis Maximiliani ad Sigismundum literis liquere poterit. Fruſtrà verò exprobratur Teutonicis, quod Oriente ac Bohemia pulſi fuerint, cùm illic Turcarum, hic Hußitarum furori ac viribus impares ceſſerint. Eant verò Poloni, & à Moſcovitis ſibi erepta occupent, aut Sarmatiam Lituaniæque bonam partem, Teutonicorum armis obtentam, eisdem reſtituant potius, quàm Prußiam, antiquißimo jure poſſeſſam, eripiant. Dantiſcum & Elvingam, ad Prußiam imperiumque eodem jure ſpectantia, ad Polonos ſolâ defectione civium ac perfidiâ tranſiſſe manifeſtis documentis compertum eſt, neque æquitate ſed rapto poßideri. Quæ cùm ita ſe habere, vobis, Auguſtißime Cæſar, inclytique Principes, & imperii ordines, abundè perſpectum ſit, hoc impetrare veſtro auxilio judicioque liceat, quod cauſæ æquitas, imperii dignitas, religionis ſtatus, & Germanicæ nobilitatis honos, atque emolumentum requirunt.

Rationibus utrimque auditis, delecti ſunt, qui judicium ferrent, à quibus cauſa pro Teutonicis, adverſus Polonos & Albertum pronuntiata eſt; ſed quoniam difficultas ſententiam exequendi haud modica, præſenti rerum ſtatu, viſa eſt, hujus rei deliberatio ad Cæſarem rejecta fuit, qui ſi Germanos ſynodi, ut ſperabat, interventu conciliatos in religione habuiſſet, promptis contra Albertum ac Sigismundum viribus æquitati locum armatâ autoritate reperiſſet. At Sigismundus Rex, quamvis ceteris virtutibus præſtans, adeò turpis protectionis brevi fructu potitus, haud multò poſt defunctus eſt, ſuccedente in locum Sigismundo filio Ferdinandi Regis genero, quæ illi ad pacem cum Auſtriacis colendam affinitas profuit.

Sententia, cum proſcriptione Alberti, Melchingo Magiſtro favit.

XLII.

Chytræus in Saxo. lib 16

Iiſdem Auguſtanis comitiis Legatum ſuum habuit, Joannes Baſilius Magnus Dux Moſcoviæ, felicibus poſtea contra Tartaros, infelicibus contra Polonos bellis ac crudelitate admirabili in ſubditos propriamque familiam, cognitus. Amicitiam ille cum Carolo & fedus cum imperio adverſus Turcam ſe ambire,

Baſilius Moſchus legatione Au-

de-

1548.

guſtam ad Imperatorem miſsâ, viſus ambire Catholicæ religionis ſocietatem.

denique & concordiam in orthodoxa religione deſiderare oſtendit, eoque nomine & Romanos Theologos, qui ſuos in Latinis ritibus, & Jureconſultos, qui in politicis barbaras gentes erudirent, cum Architectis fabriſque, atque omnis generis artificibus, magno numero petiit, obtinuitque. Quorum cum trecentos amplius Legatus ſecum duceret, Lubecamque ad claſſem conſcendendam perveniſſent. Hic conſultò detenti ſunt, monituſque Imperator, ad evertendum hæc noſtrorum operâ imperium, barbarumDucem machinari, ac proinde minimè hos illi artifices Doctoreſque concedendos eſſe. Quibus ea in re fides haud immeritò habita fuit, frauſque illius aliis deinde eventibus patuit.

XLIII. Mendoza Cæſaris Orator Romæ in ſenatu Card. coram Pōtifice Bononienſe Conciliū vitii, & Paulum neglectæ religionis arguit.

Hæc Januario menſe Auguſtæ agebantur, cùm Jacobus Mendoza Orator Cæſaris Romæ poſtulato XXIII ejuſdem menſis Senatu, prolixam conteſtationem, & eandem pænè, quam Procuratores Caroli Bononiæ, recitavit, non in ſola Pontificis & Cardinalium, ſed & Oratorum regiorum, qui Romæ aderant, præſentia. Pontifex, qui hunc ictum, cum exprobratione ignaviæ, in ſalute publica religioniſque & Eccleſiæ emolumentis curandis, à Carolo & orthodoxis Germanorum Epiſcopis, jam obfirmato ad reſiſtendum pectore, diu exſpectaverat, Mendozam ad Calendas Februarii redire juſſit, accuratoque ſubinde ſcripto, per Reginaldum Polum elaborato (poſtquam conteſtatus Mendoza eſſet, nulla ſe obligatione conſtrictum redire, neque hinc quicquam Cæſaris autoritati & juri detractum velle) ita, diſſertatione prolixâ, reſpondit, ut diceret: *Rem peßimi exempli nec niſi ab Eccleſiæ perduellibus attentatam hactenus, ad incredibilem animi ſui dolorem perveniſſe. Illam ſe voluntatem attonitum obſtupuiſſe in Cæſare, Pontificiis nuper copiis ad victoriam, hoſteſque religionis comprimendos opportunè uſo, adeoque nunc diſpari gratiâ reſpondente. Mitigatum tamen hunc ſuum dolorem, ubi ex mandati formula Mendozæ tradita comperiſſet, non ad* Pontificium *Senatum, ſed* Patrum *Bononienſium pertinuiſſe. Mendozam verò prætervectum mandati limites, nec levem Cæſareo modeſtißimi* Principis *nomini ignominiam irrogaſſe, iccirco nec exiſtimandum, Cæſarem hac de re judicium ſententiamque* Pontifici *de manibus extorquere ſtatuiſſe; ſed integrum hujus rei arbitrium ſibi relictum eſſe, irritum verò Mendozæ conatum, nec agendi facultate præditi, nec æquum poſtulantis. Quod ad negligentiæ ſibi impoſitæ culpam attinet, illam luculentißimis factis abs ſe abundè reſutatam, toties ſuppeditata pacis conſilia, arteſque omnes ad Europæ tranquillitatem poßidendam adhibitas, criminationi iſti reclamare. Concilium per ſe multò ante Tridenti poſtulatum, quàm permiſſum à Cæſare, nunc cum bellis interturbatum ſubſtiterit, diſceptandum prudentibus relinquere:* Pontificiis *an Imperatoriis armis, ſuis emotum ſedibus fuerit? Nihil in ſe moræ ad reſtituendum Tridenti Concilium futurum, modò citra Apoſtolicæ poteſtatis detrimentum, jure, non violentiâ, diſceptetur. Mirari verò, atque etiam amplecti illam Germanorum voluntatem, ad neglectum jam ante Concilium aſpirantium; ſed quod unius civitatis Synodo hoc deſiderium affigi patiantur, extra commendationem, ſuſpicioni etiam obnoxium videri. Cogitandum eodem morbo* Danos, *Gothos, Britannoſque teneri, quorum tamen finibus nemo facilè Synodum includat.* Eam rem *exemplis, veterum adverſus hæreſes Conciliorum, jam diu probatam, ſe tamen migrationem illam* Patrum *ad leges moremque Eccleſiæ expendendam prudenti exactoque quatuorvirûm, Bellai, Brugenſis,*

Pontifex contra, diſerta oratione nititur.

sis, Poli, ac Crescentij judicio delaturum, quibus si quid erroris in Concilij transportatione apparuerit, facturum, ut propediem Tridentum revocetur, inter hoc temporis, utrimque acquiescendum. Ne tamen Germanorum saluti defuisse videatur, ex Cæsaris se voluntate legatos submissurum, qui gentis infirmitati opportunis remediis subveniant. Ita infelici consilio, argumentis jam nuper agitatis discussisque inhærens Pontifex, victoriæ emolumentum, ipse cum Cæsare hæreticorum triumphator, cunctatione amisit, cùm sepositis privatis offensionibus Cæsaris postulationi fas fuisset assentiri.

XLIV. Carolus conciliandæ propius religioni dum Cōcilium negatur, Brandeburgico moderante, per utriusque partis Theologos, librum concordiæ obtinet. In quo solū utriusq; speciei communio, & conjugiū sacerdotum exigebatur. *Sur. in comm. Schleid. l. 20. & 21. Bzovius in Annal. Flor Ræm de orig. hær. l. 3.*

Cæsar ubi speratum Tridenti Concilium ancipiti distractione impeditum cerneret, neque solis Tridenti adhuc morantibus standum judicaret, de Sectariis propiùs ad fidem Romanam adducendis, atque aliquibus veluti terminis rerum credendarum includendis cogitare cœpit; ne, ut factum hactenus, vel in diversa, vel ad deteriora progressi difficiliùs ad unam generalis Concilii sententiam regerentur. Scriptum aliquod huic proposito accommodum tribus religionis conciliandæ studiosis Theologis; Julio Pflugio Naumburgæ Episcopo (post nuper eliminatum Ambsdorffium, in sedem restituto) Michaëli Heldingo Moguntini Electoris Vicario, & Joanni Agricolæ Islebio Antinomicæ quondam hæresis repertori, Brandeburgici nunc Principis concionatori, examinandum obtulit. Quos, ut Elector Brandeburgicus, Cæsari pacique apprimè favens, omni negotium illud fide, industriâque tractare, atque ad concordiæ formulas Augustæ Wormatiæque quondam conceptas, tum & librum Ratisbonæ Anno 1541 à Cæsare exhibitum expendere jussisset; res ad eam denique controversiarum paucitatem, ejus Principis potissimùm operâ rediit, ut præter utriusque speciei communionem, & permissum Sacerdotibus conjugium nihil admodum ab orthodoxa fide alienum exponi videretur. Carolus, ubi librum hunc autòritate illâ triumvirali collectum probatumque expendisset, Romano Pontifici dijudicandum obtulit, qui per Cardinalem Sphondratum ei significavit, his legibus obligandos non esse veræ antiquæque religionis assertores, novæ professionis autores admitti posse, ut tantò nimirum veritati salutique propiores ab omni deniq; errore faciliùs traduci possint. Carolus igitur Augustani illum comitii ordinibus ad communem omnium consensum exhibere decrevit, ante tamen Mauritii privatim animum explorandum, atque in sententiam pertrahendum censuit, ne quid fortè publicâ reclamatione turbarum daret. Negotium hoc Electoribus binis Moguntino ac Brandeburgico mandatum est, sed in eo conatu omne studium frustra consumpserant, Mauritio ad suos Theologos subditosque hanc caussam revocante, quibus indulgentiâ Cæsaris pollicitus sit: nihil abs se in religione illorum permutandum, dum generali Concilio ancipites in fide controversiæ absolvantur. Quidquid verò cùm Principes illi, tum ipse post Cæsar Mauritium rationibus, beneficiorumque acceptorum memoriâ urgerent, ægrè ab obfirmati animi homine assensus potuit extorqueri.

XLV. Mauritiũ Carolus ad hunc acceptandum frustra conatur inducere, Melanchthone dissuadente.

Monebat Carolus, *ne à reliquis Principibus facilè consensuris, novâ turbatione, discederet: neque ad subditos, privataque eorum conventicula arbitrium de fidei controver-*

1548 *sia rejiceret, exemplo nullis legibus tolerato. Imperiali jam dudum consuetudine obtineri, ut quod communi Principum ordinumque suffragio decisum fuerit, id vulgus citra disceptationem approbet. Nefas fore, si jam non subditi Principum voluntate, sed Principes subditorum regantur. Si à comitiis ad vulgi arbitrium descendendum sit, & rogandus populus, quid Optimatibus in publica deliberatione de statu rerum suscepta sit constituendum? Quod si quos ex suis Theologos in consilium adhibere voluerit; eos videlicet esse, per quos nuper omni contumelia hostiliter laceratus, antesignano Melanchthone, rebus modò suis consultum cupiat. Dedendum hunc sibi malorum artificem, bellique concitati autorem ad caussam dicendam. Præterea malis in aula consultoribus, qui latus animumque Principis occupent, minùs auscultandum, à quorum potius vafris artibus, quàm ingenio ipsius hæc pertinacia existat.**

Ad quæ Mauritius insigni calliditate juvenis, quinque & viginti primùm annos natus, ea reposuit, quæ ostenderent, illum ex promissione subditis, ad religionis susceptæ integritatem præstandam obligatum, secùs quàm Principes ceteros, pari sacramento non obstrictos. Melanchthonem, ut virum doctum publicæque tranquillitatis amantem probabat, suisque jam manibus, timore fugâque periculi à Cæsare imminentis, subductum asserebat. Ita postquam ab Imperatore digressus esset, haud multò post Rex Ferdinandus subsecutus, Caroli in Melanchthonem odium abs se nonnihil mitigatum esse docuit, de cetero inflexit nonnihil Mauritium ad morem gerendum Cæsari; ut sese communi ordinum in certos religionis articulos consensioni nihil reclamaturum promitteret. Libri deinde exemplar ad suos Theologos Crucigerum Majorem & Pfeffingerum Zwiccaviam examinandum destinavit, qui postea Cellam, Misniæ urbem, Melanchthoni, ex latibulis huc evocato, magis opportunam transgressi, cùm post longam deliberationem, neque moderari ad hanc normam religionis controversias; neque aliam, ut jussi erant, sufficere formam concordiæ statuissent; eam facti rationem Principi Melanchthon attulit, *quòd liber imperatorius ipsis probari non posset; ut qui falsa veris confunderet: neque ipsi facilè suam Cæsari opinionem probaturi sint; ut qui longè ab ipso diversa sentiant.* Ita & deinde in reliquis, quorum gratiâ à Mauritio postulatus Melanchthon, nihil mite consuluit.

XLVI. In comitiis Augustanis liber Interim dictus, à plerisq; acceptatur. Obnixi tamen Saxones aliud *Interim Lipsiense* cudũt, *Melanchthone* Antesignano ſe per Vario.

Sub hæc Maii 15 die, convocatis Imperii ordinibus Cæsar librum proposuit: à medio, quod ad Concilium generale excurreret, & quo valiturus esset, tempore, *Interim* dictum, ac primò quidem Catholicorum, hunc librum recusantium, laudavit constantiam, quâ avitam religionem tuerentur incorruptam. Ceteris Augustanæ Confessionis Proceribus suasit, ut vel Catholicorum sese adjungerent partibus; vel certè ad hujus libri præscriptum fidem exigerent, dum generalis Concilii legibus, quid sequendum fugiendumque decernatur. Hæc postquam monuisset, liber ex integro Proceribus est recitatus. Quo audito triplici ordine, hinc Electores, inde ceteri Principes, atque ab his divisim civitatum legati, ex more, ad deliberationem secessêre. Cùm interea Cæsar Rexque Ferdinandus suis in sedibus subsisterent, acquiescendum Cæsari statuebant ordines, nisi quod in senatu Electorum hæsitaret Mauritius, ac suam se propediem Cæsari voluntatem pleniùs expositurum diceret. Sub consultationem congressi inter

se

 1548.

se ordines. Moguntino Principi sententiæ suæ expositionem coram Imperatore committunt. Qui post actas Cæsari ob patriæ ac publicæ tranquillitatis studium gratias, ostendit benevolâ omnium voluntate librum, ejusque opiniones receptas, ejus verò exemplar ab omnibus postulatum, ne quid ignorantiâ adversùm peccetur. Quocirca Romanis Germanisque illud typis vulgandum Cæsar, velut publicum decretum tradidit, sub hoc titulo: *S. Cæsar. Majestatis Declaratio, quomodo in negotio religionis per Imperium, usque ad definitionem Concilij, vivendum sit.* Non tamen usque adeò probatum ab omnibus est, ut non essent, qui dissentirent; timore magis, quàm voluntate adducti, ne publicè reclamarent. Quocircà cùm & suæ nonnullos puderet inconstantiæ, qui tam levibus rerum credendarum impulsibus, in quamvis sententiam adigerentur, & quorundam pertinacia ministrorum obsisteret, ut qui nollent hactenus errasse videri, Joannes Brandeburgicus, Wolffgangus Bipontinus, Filiique captivi Saxonis, unà cum parente, negarunt, salvâ sibi conscientiâ integrum esse Cæsaris decreto assentiri. Mauritius etiam inquietis suorum exagitatus ingeniis Cæsarem rursùs adiit, ac bonâ subditorum pace, se librum acceptare non posse affirmavit, nisi in partem deliberationis antè venerint, qui in societatem religionis essent pertrahendi. Quæ res, licet non mediocrem Carolo bilem concitaret; indulsit tamen Mauritio, omnem ad suorum conciliationem industriam pollicenti, abitum. Egit verò apud suos Princeps rem non indiligenter, conventu primùm Misenæ Proceribus, Theologisque suis indicto, qui deinde Pegaviam, post Cellam magno contentionis, nullo verò concordiæ emolumento translatus, denique Lipsiæ eum sortitus est exitum, quo objectis nonnullis erroribus, dissimulatis aliis tectisque, sub ancipiti loquendi apparatu, parùm aut nihil ab Augustano Caroli libro dissentire sunt visi, novo in hanc rem excuso typis *Interim*, quod *Lipsiense* est appellatum. Quo quidem facto, tùm ceteri, tùm inprimis Melanchthon Lutheranicæ factionis primipilaris ostendit, quantùm homini lubrico, fluxæque ad omnia opinionis credendum esset, qui nuper sparsâ ad Principem suum instructione, aliâ longè censurâ librum Augustanum perstrinxerat; cùm usitata orthodoxis sacrificia, expiandi confessione scelerum ritum, sanctorum venerationem, nec pauca alia suo calculo damnaret: ac mox, proscriptionis inde terrore incusso, hinc Principis consilio urgente, eâdem mente ac manu, damnata approbaret.

XLVII. Tertium Interim à Lutheranis Saxonicis productum est. Vide pugnantes inter se plures sectæ extstunt.

Quanquam anno insequenti alius ab eo sociisque liber consarcinatus sit, ex Mauritiano *Interim*, & Henrici Parentis vulgata Saxonicarum ordinationum editione, qui sub Catholicorum rituum imagine fœdos Lutheri errores conderet. Quæ res Lutheranismum suis jam sæpius divulsum partibus in plures sectiones distraxit. Hos Flacciani jam tùm à ceteris, huic libro subscribentibus, magnâ æmulatione sejuncti, suis ita nominibus distinguebant; ut alios veteris Ecclesiæ ritibus utentes *Adiaphoristas*, sive *Interimistas* dicerent; alios, qui vim naturalem ad salutem cooperandi Deo, libero arbitrio permitterent, *Synergistas*; alios qui bona virtutum opera etiam in infantibus ad salutem exigerent *Majoristas*: contra, qui hæc nec in adultis quidem requirerent, *Flaccianos* à suis autoribus, vel *Rigidos*:

1548. *dos*: alios propius ad Romanos accedentes *Molles*; aliis nominibus alios nuncuparent. Ita mutuis sese armis aggressi Lutheri asseclæ fœdum insaniæ vertiginisque suæ orbi ac posteritati universæ de se spectaculum præbuêre. Ex horum castris Magdeburgici Centuriatores, Wirtenbergensis ac Lipsiensis Scholæ proceres, nequaquam æquis oculis conspexêre, ut ex septimæ centuriæ præfatione apertum est. Hi & suis autores civibus extitêre, ne Augustano *Interim* subscriberent, quod eodem exemplo Brema, Luneburgum, Hamburgum, Lubeca, tùm Joannes Brandeburgi, Joachimi septemviri frater, ac Wolffgangus Bipontinus, Bavariæ Princeps negare Carolo sunt ausi. Prædicantium (quo nomine suos Evangelii præcones habent) varia in omnes partes fuga extitit. Osiander in Prussia; Musculus Bernæ; Brentius sub Wirtenburgici tutela Halæ delituit: nemo, qui suo fidem sanguine obsignare cuperet, repertus est. Plerique Lutheranorum cùm animadverterent spectare hæc Cæsaris consilia, ad illorum denique religionem penitus abolendam, non obscuris in Cæsarem ac Proceres suos conviciis grassati sunt. Redivivum ab inferis Papatum excitari, optimè instituta, pietatem fidemq; omnem everti queruntur. Vires plerisque, non consilia armaque ad religionem deerant. Calamis interea, pro gladiis, districtis, nec suorum invicem, nec Cæsaris famæ est parcitum. Melanchthonem Flaccius Illyricus, Magistrum discipulus, extremâ cum suis maledicendi rabie ad miserum vitæ tædium adigebat. Melanchthonis studio favebant Major, Pomeranus, Pfeffingerus, Greserus, Camerarius aliique. Flaccium probabant Ambsdorffius, Gallus, Wigandus, Merlinus, ac plures alii, quamvis ex his singuli suis quoque de fide opinionibus scinderentur. Osiander ab universis implacabili odio, cum suis, divulsus, integra in illos conviciorum plaustra ingerebat, ac solus sibi ad Lutheri ingenium sapere videbatur: certè nemo discipulorum, si maledicendi licentiam spectes, moribus Luthero repertus est propior.

Melanchthon, Illyricus & Osiander diversarum sectarum Duces, se mutuò conviciis lacessunt

XLVIII. Carolino Interim liberiores Catholici malè inhiant. Pontifice Cæsarem acerbè ob hanc indulgentiam perstringente.

Agitatum à Cæsare concordiæ studium illos habuit inter Lutheranos tranquillitatis eversæ fructus, nec penè meliorem inter orthodoxæ fidei assertores eventum sortita res esset, nisi summi Pontificis curâ malis subnascentibus tempestivè occursum fuisset. Nam ad illam libri Carolini libertatem non paucis Catholicorum sensus animique pruriebant. Laici nonnulli ad utramque Synaxeos speciem, Sacerdotes ad conjugia aspirabant. Ita sensim & reliquum hæreseos virus, quod ambiguitate ac dissimulatione loquendi texerant, ad opinionem admissuri. Siquidem de concupiscentia hominis, de ejusdem justificatione, de Ecclesiæ summo pastore, ita locuti sunt; ut in illa peccatum constituere, in altera nihil dare operibus, in postrema denique aspectabili nihil in terris capiti tribuere viderentur. Quin & de Sacramentis, de peccato originis, aliisque fidei articulis à pronuntiatis jam nunc Tridentini Concilii decretis abscedebant; ut palàm fieret, quo animo illud Concilium accepturi essent, cui leges dare magis, quam ab eo expectare decrevissent. Quæ cùm intelligeret Pontifex seriâ literarum animadversione reprehendit Cæsarem.* *Mirumque sibi videri, asserebat; id ætatis prudentiæque virum, eò arrogantiæ efferri, ut se non regionum modò, sed & religionum*

con-

1548.

constituat arbitrum. Novam credendi metamorphosin inducat, quâ displicere jure Catholicis, Hæreticis placere vix possit. An non temerarium sit amicorum juxtà atque hostium sese telis objicere? Catholicos non modò cum hostibus, sed novis inter se dissidiis, ad exitium committere? Cæsarem nullâ Apostolici juris dignitate fretum, unius tantùm victoriæ elatum successibus, ad sanctas religionis leges manum adhibere; iis suo ingenio derogare, suâ autoritate adjicere. Quocirca, post damnatum censurâ Pontificiâ librum, tres in Germaniam Episcopos, Veronensem, Fanensem, & Faventinum legavit, qui librum à Cæsare vulgatum de manibus Catholicorum extorquerent, atque aliam credendi vivendique methodum exhiberent. *Monerent Hispanorum Episcopos, Tridenti ad Cæsaris voluntatem subsistentes; ut ne schismatico conciliabulo inhærere pergerent, sed Ecclesiæ sese Romanæ adjungerent, nisi fortè leges ei præscribere potiùs, quàm accipere statuissent. Pari ad Ecclesiæ gremium facilitate provocare atque admittere alios, quâvis hæresios labe infectos jussi sunt, satisfacturos, si errorem suum ad pedes Sacerdotis detestati, cum sceleris horrore fuissent, nullâ ex more, publicâ obnuntiatione postulatâ. Mandatum deinde Monachos, ut à fide ac claustris devios, non in fidelium modò, sed & religiosorum numerum reciperent, esum lacticiniorum ovorumque quadragesimæ diebus indulgerent, utriusque etiam speciei Laicis in Eucharistico Epulo usum privatim concederent, si tamen Ecclesiam in unius speciei præceptione errare, non contenderent. Moniti postremò, ut injustos Ecclesiasticorum bonorum possessores, modò abirent malè occupatis, à fructuum perceptorum restitutione absolverent.* Quibus exequendis, ut expeditior via fieret, *contumaces non censuris modò, sed & civili potestate ad obsequium revocare concessum est.* Tum deinde facta iis libertas, Episcopos ad id munus deligendi sufficiendique. Sed hic Pontificis conatus, quanquam non omnino vanus, eo tamen, quo par erat, emolumento ad fidem non constitit.

Pontifex libello Interim damnato tres in Germaniam Legatos pro Catholicorum cõservatione & Protestantium resipiscentium reductione cum certis privilegiis mittit.

XLIX.

Indignabantur Catholici Germaniæ Principes, ordinesque à Pontifice, Romanisque opportunum Protestantibus sibique Concilii locum negari, & postulari à Protestantibus, ut se Bononiæ sisterent; quod ipsis idem esse videbatur, ac petere, ut se Pontifici in captivitatem, ejusque arbitrium dederent: Cæsaremque per hæc adigi ad ejusmodi remedia, quæ morbum non sanarent, sed mutarent, cùm neque consultum esset medicinam omnem in rebus desperatis negligere, neque promptum consuetis Ecclesiæ, nullique unquam Cæsarum negatis ab Ecclesia Synodorum, in tanta necessitate, mediis subvenire. Quid enim si Cæsar, post tam illustrem de rebellibus victoriam, manum curamque religioni, quod reliquum est servandæ in Germania subtrahat, neque, ut Romani volunt, ejus sese negotiis misceat? an non repentè ab invalescenti ubique hæresi, ipsosque Ecclesiarum per Germaniam Proceres in exitium devolventi, universum ad Protestantium vota potestatemque deflectet imperium? Nunquid per *Interim* frenum injectum plerisque Lutheranorum est, ne quid adversus illa, quæ in Concilio Tridentino decreta jam tum sunt, quicquam hiscere audeant? quid verò sperandum ab iisdem, si in Concilium hoc tempore, quod Tridenti admiserant, via illis patefacta fuisset, ubi jam armis victi, rationibus facilè, autoritate ac suffragiorum jure vincendi erant; præsertim cùm ipsi sententiarum, ut hac occasione maximè

Libello Interim Protestantes à variis erroribus revocati Concilio aptabantur, quod iterius quam par, concessum est.

1548. patuit, diversitate à se invicem divisi, consistere in tanta opinionum confusione neutiquam possent? Hæc aliaque nisi serius Romani expendissent, præbito in Concilium assensu, & legibus quidem deterioribus, quando jam, ut Carolo vires imminutæ, sic Protestantibus rursum auctæ fuerant, multorum in Germania saluti consultum rectiùs fuisset. Sed dæmonis hic ad Ecclesiæ perniciem vigilantis astus fuit; ut privatâ, quâ simultate, quâ arrogantiâ multorum, hoc publicæ religionis bonum subverteret.

L. Coloniensi diœcesi provisum Adolpho in Wedani locum surrogato. Paderbornensi Rembertus præficitur.

Reducta tamen per diversas Ecclesias autoritate Pontificis Cæsarisque orthodoxa religio, aut certè heterodoxorum errores imminuti. Hermannus de Weda à Coloniensis Archidiœcesani munere, ad privatam tenuemque sui comitatus sedem transiit, cùmque ab hausta insania curari non posset, hic velut in ergastulo parva clausus arce vivus moriensque delituit, Adolpho interea successore omnia per diœcesin, ad pristinæ fidei decus, instaurante. Paderborna antiquæ religionis, adversus Wedanum Principem suum constans propugnatrix, eidem exautorato Rembertum Kersenbrochium probatæ virtutis fideique virum surrogavit, qui Lipsiensem Comitatum ex Lutheri sentinâ ad purgatius aliquantò Caroli *Interim* traduxit, sensim ad puriora educendum.

Osnabrugensis Monasteriensis, &c. Episcopus à Waldek ab hæresi resipuit.

Plus laboris in diœcesi Osnabrugensi ad saniorem mentem revocanda, & Interimisticam saltem disciplinam admittendam, fuit. Cùm Episcopus illorum Franciscus Waldecanus, Monasteriensis simul & Mindensis Ecclesiæ væcors caput, fide desertâ in præceps abiisset, jamque superiori anno Pontificiâ Cæsareaque damnatus sententiâ, ni resipisceret, sede eliminandus erat, stetit hactenus patrocinio Remberti & aliorum, memoriâque vendicati olim Monasterii Westphalorum à fece turpissima Anabaptistarum. Nunc tamen ultimis minis Canonicorum Monasteriensium & Osnabrugicorum electionem novam, actis Comitiis, ni pareret, intentantium, territus ad IV Idus Maii Osnabrugensi comitio se stitit, abjurataque hæresi in officio confirmatus est, ac subinde omni cum reliquis industriâ laboravit, ut Templis, Monasteriis, Scholisque, & ademptæ opes redderentur, & cultus rediret pristinus. Quanquam in urbe, aliisque locis, ubi Proceres Senatusque receptæ insisteret hæresi, plerique ad Carolinum *Interim*, qua consilio, qua vi reducti sunt. Sed duratura haud diu inflexione, quod curvæ in terram & deteriora mentes, non secùs atque obliquæ arborum plantæ facilè ab obtortis resiliant, & *proclivius sit sana corrumpi corpora, quàm corrupta sanari*. Quod suo nimium dolore Rembertus etiam Paderbornensium Antistes, multis subditorum sensim hæresios lue afflatis, haud multò ante mortem, deploravit; adeò pestis hæc medicorum quoque vigilantiam in præservando fallit.

LI. Ecclesiastica & civilis disciplina ab Imperatore emendata.

Cùm verò plerumque opinionum depravatio à corruptis moribus, tanquam à menstruatis feminis illustrium speculorum labes oriatur, Carolo Imperatori ad infectæ Germaniæ restitutionem totius animi conatu incumbenti curæ inprimis fuit, ut in utraque tam Ecclesiastica, quàm civili republica lapsi passim mores sanis legibus formarentur, donec œcumenica Synodus Cleri disciplinam instauraret, sine qua nec politica quidem suâ posset integritate frui, ut iccirco u-

trius-

triusque curam non tam voluntate, quàm necessitate conjungeret. Veterum Imperatorum, in legum civilium formatione, exemplo usus, & Samaritani Evangelici pietatem æmulatus, quam Sacerdos vulneratum præteriens, neglexerat. Illius verò instaurandæ leges à viris Ecclesiasticis, hujus à Jurisconsultis, & Majorum institutis accepit. Formula igitur Ecclesiasticæ disciplinæ XXII capitibus XIV Junii prodiit, atque in comitiis recitata est: videlicet de examine, ordinatione, & officio ministrorum Ecclesiæ, quod ex horum neglectu prima duceretur vitiorum origo. Subinde actum de horis Canonicis, Monasteriis, Scholis, Hospitalibus, Sacramentorum administratione, cæremoniis, censuris, disciplina cleri & populi, Synodis, & aliis ejusmodi. In quibus nihil difforme ab Ecclesiasticis regulis productum est. In adstruenda tamen Concilii Basileensis autoritate, & in dispensationibus, exemptionibus, aliisque quibusdam Sedi Apostolicæ reservatis juribus liberius, quàm Romanis placuit, statutum fuit. Ultima verò Junii edictum de pace publica promulgatum est, mandatumque ut tam Episcopi Catholicorum, quàm Protestantes, fide publicâ, ab Imperatore dandâ, in Concilio quamprimùm restituto comparerent. Quo etiam tempore leges Carolinæ de civili disciplina publicatæ sunt. Ubi principio Imperator, postquam de neglectu veterum legum, Magistratuumque incuriâ questus, indignatione justa Dei, famem, bella, pestem, aliasque calamitates mortalibus immitti docuisset, subjicit: *Hæc verò omnia nos unà cum Electoribus, Principibus, & Statibus S. R. Imperij, & absentium nuntiis graviter admodum in animum revocantes his nostris Comitiis, hic deliberando consultandoque, quâ viâ modoque dejerationibus, atque blasphemiis, aliisque perniciosis criminibus, & prohibitis usurarum contractibus, itemque belluationibus, & frequentibus asotiis, immoderatæ vestium luxuriæ, & similibus ataxiis, vitiis, & defectibus obvietur; Transgressores verò illorum facinorum & criminum puniantur: antecessorum nostrorum S. Imperii nostrasque Reformationes & Ordinationes prædictis in comitiis Augustanis conclusas, ac typis evulgatas in manus sumpsimus, revidimus, in compendium contraximus, alicubi correximus, auximus, & mutavimus, deliberato maturoque consilio tandem in hanc sequentem Reformationem & Ordinationem redegimus, atque conclusimus. Quam nos vobis omnibus conjunctim & divisim denuntiamus, acriter ac severe mandantes, ut in omnibus punctis totoque tenore, sub pœna cuilibet articulo annexa, pareatis.* Talia præfatus ad Leges sanciendas progreditur. Ex quibus, ut nonnullas tangam, post deierationes & blasphemias, quinque capitibus, gravissimè ab omni ordinum statuumque genere proscriptas, capite VI res certas personasque in bello immunes privilegiatasque esse statuit; ac sub capitali pœna sancit: *ne Ecclesiæ, aliaque loca sacra, adeoque sacerdotes, senes, infirmi, agricolæ, gravidæ mulieres, puerperæ, ingenuæ & honestæ feminæ, virgines & infantes, vim violentiamque patiantur, aut spolientur.* Capite IX & tribus sequentibus, certâ vestium & ornamentorum specie, quemlibet inter se statum distinguit. Sericũ nec nobilibus quidem, nisi sex ulnarum, quod fimbriæ loco usurpetur, concessum est. Annulus his præterea aureus, vittaque, cum catena aurea filo incincta conceditur, quæ ducentorum ex auro nummûm pretium non excedat. Quibus aulæ principalis Marescallus, Architriclinus, Cancellarius, Magister

Legum civilium diversa capita.

1548.

ſter Curiæ,& Conſiliarius pares,licet ignobiles fuerint,cenſentur. Equitibus auratis,catena ſine filo & quadringentorum aureorum indulgetur , feminis auro margaritisque fimbrias tridigitali latitudine licebit intexere, ſericisque tunicis circumdari. Comitibus Baronibusque tela auro intertexta non prohibetur. Capite XVI omnis feneratius uſurariusque contractus reſcinditur ; ut neque uſuram fas ſit exigere,atque inſuper quartâ ſortis parte uſurarius plectatur. Emptio tamen cenſus cum pacto retrovendendi ea lege permittitur,ut pro centum florenis non paciſcantur ultra quinque ſolvendos , & ſoli venditori liberum ſit redimere. Capite XVIII Monopolia propoliaque in fraudem reip. inter paucos, frumenta ſibi,vina,aliasque merces ſigillatim coëmentes, vendentesque, condicto pretio inſtituta,ſub proſcriptione perſonarum & bonorum confiſcatione graviſſimè interdicuntur,delatorique quarta pars mercium tranſcribitur,nullo per totum imperium principatu,dominio,aut urbe excepta. Capite XIX cavetur,ſub pœna amittendæ ſortis, ne quis ſata in agris,vinique proventus in vitibus , plerumque cum gravi damno ruricolarum,ab illis neceſſitate preſſis,emat; ſed pro expenſa,ſi opus,in illorum ſubſidium pecunia,frumenta vinumque ex conſtituto illius temporis pretio recipiat. Cap. XXXII Judices ſine mora adminiſtrare juſtitiam,cauſasque cum Advocatis & Procuratoribus, citra fraudem cunctationis noxiæ,& ratione,non criminatione mutuâ,expedire jubentur ; atque,ubi ſecus compertum, gravi pœnâ, juxta perſonæ cauſæque conditionem multari. Cap. XXXIII Pharmacopolia & Myropolia quotannis luſtrari,per artis peritos, imperat;ne medicinæ inutiles in detrimentum Reip. væneant, juſtumque rei cuique ſtatuatur pretium. Cap. XXXIV Famoſi libelli,picturæ,facturæque ſevero interdicto vetantur,carcerque autoribus,typographis, venditoribusq;, ac pœna juxta cauſſæ qualitatem , præſcribitur. Et ſicubi Magiſtratus id negligat, Cæſareo is Fiſcali ad mulctam arbitrariam ſubjicitur. His aliisque civilis Politiæ conſtitutionibus per capita 37 imperio Carolus ſaluberrimè conſuluit, quas, poſt annos XVIII, Juſtinus Goblerus Francofurtenſis Juriſc. ac ſubindè alii ſuis commentariis illuſtrarunt,optandumque eſſet,ut quam ad ſanciendum id temporis Imperii ordines fuêre concordes,tam ad exequendum ſeduli conſtantesque reperiantur , ne, quod ille olim Philoſophus ſenſit;aranearum telis leges eſſe ſimiles deprehendamus , quas & ventus facilè diſſipat,& graviora animalia perfringunt, levioribus tantùm muſcis in laqueo hærentibus, uti tenuioris tantùm ſortis hominibus leges pœnæque conſtitutæ videntur. Quocirca lex una ſervandarum ab omnibus legum,quæ pares in crimine,pares quoque in pœna faceret,decernenda reſtat. Quæ certè proximè ad divinam æquitatem accederet, quâ, ſine perſonarum diſcrimine,pœnæ irrogantur.

LII. Muleaſſes Tunetanus Rex per Amidam filium regno ejectus,ac redux excæcatus, à Carolo rurſus opem exſpectat.

His curis Auguſtæ immorantem Cæſarem Muleaſſes Rex Tunetanus Aprili menſe convenit. Novâ ille calamitate non jam ab hoſtibus, ſed proprio afflictus filio,opem rurſus à Cæſare ſupplex expectabat. Homo erat aſtrologiæ ad inſanam ſuperſtitionem uſque deditus,quæ cùm ipſi , ex aſtris gravem prænuntiare calamitatem videretur,Barbaroſſam magnâ claſſe Italiam petentem, fugâ in Siciliam

1548.

ciliam prævertit, eo tempore, quo Imperator ante annos quatuor Genuæ versaretur. Huc dum Muleasses ad Carolum contenderet, tempestate Neapolim rejectus est, ubi ingenti Proregis liberalitate habitus est barbarus, prodigiosi in victu quotidiano luxus, ut quem exquisitissimis unguentis condimentisque cœnantem, observatum est in pavonem unum, centum aureorum nummûm impensas fecisse. Verùm illic morantem inexspectatus ab Africa nuntius docuit, Amidam filium per absentiam Parentis regni sedem Tunetum occupasse. Ita infelix denique Astrologus Muleasses intellexit, suâ se non omnino quidem falsum, sed tamen etiam delusum arte; quòd per ipsam calamitatum fugam calamitatem potissimùm incurrerit. Raptim igitur mille & octingentis viris navalem militiam instruit, atque ut nondum firmatum in regno opprimeret Amidam, properè Guletam, sui arcem Imperii, à Cæsarianis custoditam appellit, & communicatis cum Francisco Tovarre ejus loci Præfecto consiliis Tunetum se confert, postquam Afri aliquot ex urbe progressi cunctantem provocassent, fide sacramento obligatâ. Sed Tovarre, suspicione fraudis anxius, moram nequicquam suasit, monuitque rem esse discriminis plenam semel perfidis salutem temerè credere. Astris hic aliquid, si minùs hominibus rectè consulentibus tribuendum erat, nisi ex hoc lumine plerique cœcutirent. Progreditur non magno cinctus milite, sed ubi propiùs urbem ventum est, Afrorum undique irruentium telis gladiisque regii plus mille trecentis obruti periêre; ipse Rex fugiens, nullâ re magis, quam unguentorum odore proditus, capitur. Huic adducto filius Amida, crudeli impietate, oculi pupillas candenti ferro divisit, quâ fortunâ uterque filiorum Nahaser & Abdalas videre etiam desiit. Verùm, ut nulla impietas diu secura floret, Abdamelech Muleassis Germanus frater Tovarræ potissimùm arte, Amidâ dejecto, regno potitus est, quem brevi fortunâ fatoque functum filius Mahometes vix duodennis secutus, cum Procerum insolentiâ regnum malè administraret forte per Amidam revocatum excidit, simulque Muleassi inter has turbas è carceribus exitum patefecit. Hunc Germania hoc anno cœcum supplicemque apud Cæsarem vidit; ac mirata est, in extremo fortunæ præcipitio stantem barbarum, nihil de egregio corporis morumque cultu, nihil de elata animi magnitudine remittere; sed raram veteris etiamnum majestatis referre imaginem. Nec defuisset oranti Cæsar, nisi intestinæ calamitatis cura sensum peregrinæ imminuisset.

LIII. Cæsar turbis in Germania componendis inhærere cogitur Augustæ, ubi comicè illusum est illi, ac Pontifici.

Nondum enim sat pressi hæretici, sub victoris etiamnum manibus mitescere nequibant. Nihil admodum promissione Concilii movebantur, vim etiam atque arma Cæsaris aspernari, post cladem visi. Neque obscuris hæc palam argumentis prodebant, quorum illud memoriâ dignum, quòd Cæsari unà cum Ferdinando prandenti spectaculi loco ad mensam objectum est. Larvati aliquot histriones velut ad oblectationem in comœdiam progressi sunt. Ex his primus Doctoris habitu insignis gravi mutâque personâ sese spectandum obtulit, qui à tergo Joannis Capnionis, seu Reuchlini, nomine signabatur. Lignorum ille fascem brachiis collegerat, sed, ut erat, ex rectis incurvisque stipitibus, malè cohæren-

1548. hærentem dissolutumque in medium projecit atrium, ac, velut officio functus, post velum recessit. Subiit alter larvâ tectus atque Erasmi Roterodami, cùm habitu, tùm nomine ornatus, qui in eo totus erat, ut dissolutum malè fascem componeret, curvaque rectis conciliaret, quod, ubi consumpto frustra labore, desperaret, indignanti similis regressus est. Monachus subindè Lutheri cultum nomenque professus, ardentes titiones è foco raptos protulit, quibus collectos in struem distortos stipites, admoto igne, succendit, ac post luculentam satis flammam, muneris sui partes executus, abiit. Mox in scenam prodiit larvatus, Imperatorio schemate illustris, non obscurè ipsius Caroli personam referens, qui ligna jam flammis immersa, ut incendium opprimeret, stricto fodicare gladio aggressus, quantò violentiùs mucronem adegit, tantò flammas acriùs concitavit, quocirca irarum plenus furensque post scenam se conjecit. Postremò ingressus atrium Pontificio ornatus cultu, tituloque Leonis X. (sub quo primùm hæc nata hæresis exarsit) qui territus incendio, dum remedium auxiliumque circumspicit, amphoram aquâ plenam affusurus, per fictum errorem vas oleo refertum affudit, &, quem oppressurus videbatur, ignem inflammavit. Non obscura hæc erat Augustis Principibus fabula. Nam Reuchlinum linguas artesque ac veterum præcipuè disciplinas tradidisse Melanchthoni aliisque memorant, verùm errori veritatem, tanquam curva ligna rectis confudisse, hi quidem interpretes sentiebant. Erasmum postea frustratâ operâ rectis distorta conciliare conatum: Lutherum sublatis, velut per incendium disciplinis pristinis, novas sufficere. Unde malè commotus Imperator & Pontifex, ille quidem bello, hic diris, proscriptionibusq; tanquam ferro oleoq; incendium rebellionis magis incitent, quàm opprimant. Offendit tam insolens Dramaticorum audacia non leviter Cæsarem, studioseque in comœdos inquisitum; sed aliorum favore, ac propriâ fugâ tectos. Hos actores imitati Protestantium antesignani, cunctando ludendoque Cæsarem omnia pro pace molientem sustinebant: Pontificii etiam importunâ disceptatione morabantur, ut post victoriam victoriæ fructum concordiam nequicquam indignanti querentique eriperent.

LIV. Cæsar Philippo filio in Germaniam evocato, ejus vice in Hispaniã Maximilianum nepotem ablegat sorori Philippi conjungendum.

Cùm tamen spem concepisset Cæsar, Philippi filii sibi in imperiali dignitate surrogandi, ut junctâ Hispanorum, Belgarum, Germanorumque potentiâ tantò faciliùs, & validæ in Imperio hæresi, inexpugnabilique Francorum æmulationi resisteret; & fortasse viam Europæ totius ad unius imperium revocandæ (quâ conjunctione nihil potentiùs adversùs Turcam reperiri posset) sterneret, quòd Philippum magnos à se, ambitionisque non incapaces animos traxisse non ignoraret: ideo, ut & Ferdinandum fratrem ad hoc obsequium devinciret arctiùs Maximilianum ejus filium jam 22 annos natum, recensque Bohemiæ institutum Regem, in Hispaniam ablegavit, ut majorem natu Cæsaris filiam Mariam indulgente Pontifice, uxorem caperet, regnumque Hispaniarum Proregis titulo administraret. Qui quidem, ut erat florentissimus ætate ac forma juvenis, tùm blando factoque ad humanitatem ingenio, gratiam Hispanorum haud vulgarem occupavit. At Philippus uno minor anno Maximiliano, ubi sorore, regniq;

ad-

administratione illi traditâ, in Germaniam appulisset, haud parem benevolentiam, vel exhibuit, vel expertus est. Is ex Hispania quinquaginta triremium classe Andrea Auria ductore, cum Madruccio Tridentino Cardinale, qui Maximilianum stipaverat, & Albano Duce, Genuam postridie Cal. Decembris Anni MDXLVIII appulit. Ubi exiguum Procerum populique favorem occupavit, postquam cum Albano & Ferdinando Gonzaga Ducibus, arcis urbi imponendæ consilia agitare compertus esset, quæ cum Auria populusque libertatis studio discussisset, octavo post die, liberali donatione tamen ornatus, Mediolanum discessit, ubi incredibili honoris significatione à Gonzaga exceptus, gratulantes admisit Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, Oratoresque Florentinorum, Ferrariensium ac Venetorum. Hinc Mantuam atque inde Tridentum sub anni exitum pervenit, ubique magnificentissimè cultus, à Mauritio etiam Saxoniæ septemviro salutatus, rogatusque ut pro Philippo Hassiæ Landgravio preces operamque ad libertatem obtinendam interponeret, quod prolixè eidem detulit; sed quodam humanitatis, ut Italis Germanisque visum est, neglectæ vitio, dum Hispanorum, ad gravitatem compositorum, mores severius imitatus, viros etiam Principes nudo sibi pateretur adsistere capite. Qua de re à familiaribus monitus, patris humanitate in exemplum proposita; acutius, quàm modestius respondit: *Patrem suum fuisse Principis filium, se verò Imperatoris*; ut si plus referat, qualis natus sis, quàm qualis vivas; cùm flori plus decoris insit, licet ex bulbo; quàm bulbo, licet ex flore prodierit. Certè Germanorum affectata hac majestate, & gratiam infregit, & spem conceptam Imperii ipse perdidit, quamvis Princeps esset dignus Imperio. Tantùm *ad solum etiam Proci ornatum moresque interest, ut sponsæ, suis dotibus superbæ, placeat.*

1548. Philippus in spem imperii evocatus, sua gravitate Germanis displicet.

Imperator constituerat filium natali Belgarum in solo excipere, eisque post se regionibus inaugurare Principem, consilio quo Hispanorum regno minùs profuit, quàm Germanorum imperio, dum penes Austriacos stetit, obfuit; quod illis laboriosam sumptuosamque pro defensione provinciam reliquerit, his munimentum præcipuum adversus vicinorum Regum potentiam detraxerit. Utriusque tamen Austriacæ domus vires connexuit, quamvis impensis majoribus, quàm emolumentis. Hac enim separatione à Germanis, Belgarum campus bellantium factus est, qui solus pænè tot pugnantium cadentiumque sanguine, jam à seculo maduit, quot Europa universa. Huc, à finitis Augustæ comitiis præversurus filium, Augusto mense Carolus descendit. Ante tamen Augustanum, & deinde Ulmensem Senatum innovat, plebique reformationem persuadet.

Belgio Philippus Dux destinatur.

Ceteros pertinaciter Reformationi Interimisticæ reluctantes proscripsit. In quibus diversi Principes urbesque. Constantienses proscripti, Ferdinando sese Regi, quàm Cæsari dedere maluerunt, pluresque alii armorum metu ad obsequium redierunt; sed parùm stabile, quod repentè, cum timore sublato, evanesceret. Unde miseri homines, tanquã rota, quæ axe mota est, aut navis clavo spoliata, in omnem partem volvebantur, exemplo in orthodoxæ fidei professoribus nunquam comperto. Ut Carolinum hoc decretum, si ad nullum Romanæ Eccle-

LV. Cæsar Germanos Protestantes Reformationẽ Interimisticam recusantes proscribit.

1548. Plerique ut Polypi mutatur & oblequuntur.

siæ emolumentum, valuerit certè ad babylonicam Neoevangelicorum confusionem demonstrandam, quibus cùm sola Scriptura clypeus Palladius esset, omniformem illa vultum, ad cujusque arbitrium subitò induebat. Ut cæco cæcior sit oportet, qui ejusmodi dæmonis artificis fraudem nequit dignoscere. Argentinenses diu Carolo obluctati, tandem per Legatos Cæsari Coloniam jam digresso satisfecerunt, ubi tantisper subsistens Cameræ Spirensis tribunal, hæreticis submotis, institutisque ex more veteri judicibus orthodoxis formavit. Hinc verò cum Saxone & Hasso captivis, quos Hispanico custoditos milite secum trahebat, in Belgium Septembri mense descendit, Hasso denique in Mechliniense palatium sub custodia, dimisso, ipse Bruxellas divertit, ubi Eleonoram sororem Francisci Galliarum Regis viduam, ad se transeuntem, Nonis Decembris excepit.

Saxonē & Hassū captivū secū Cæsar in Belgiū traducit.

LVI. Mors celebris Comitis Egmondani. *Pontan: rerum memor. l.4 Haraus in Car.*

Quando ibidem profesto Natalis Christi die Maximilianus Egmondus Buræ Comes, vir bello ac pace magnus ex legatione Anglicana, pro Cæsare obita, reversus, contractâ ægritudine, præsenti animo mortem, non sine Caroli dolore excepit. Quem ferunt, postquam à Medico Andrea Vesalio mortis horam, ac penè momentum, quæ ejus erat peritia, intellexisset, nihil turbatum, insigni convivium apparatu jussisse instrui, omnique gaza & supellectile argenteâ expositâ, amicos vocasse, unaque cum eis assedisse mensæ, ac subinde liberalitate, inter vivos, rarâ, in præsentes partitum esse, nihilque commoto ad lethum instans animo, tanquam ad meliores divitias amicosque transituro, dixisse vale. Indeque in lecto, velut ad quietem compositum, exspectasse mortem. Qua eodem, quod Vesalius signaverat, momento occubuit, sacris ante Christiano more piè ad hunc agonem munitus. Quem felicem jure dixeris Principem, & tali medico, & tali ab hac vita excessu, qui tantò in aulis est rarior, quantò difficilius est cœlesti simul terrenoque Domino ad placitum servire. Unicam reliquit heredem Annam filiam Guilielmo Nassavio Aurantii Principi, rebellium postea in Belgio primipilari, parum auspicatis nuptiis, collocatam.

LVII. Philippus à Belgis obviam missis excipitur An. 1549

Miserat Carolus obviam in Germaniam filio Philippum Croyum Ducem Arschottanum, cum insigni quingentorum cataphractorum equitum comitatu, inter quos erant præcipui Belgarum Proceres. Cùm verò Januario mense Anno seculi 49 Spiram ingressus per Nemetes Lutzelburgum, atque hinc ad Brabantiæ fines pervenisset, universa Cæsaris aula, & quidquid Bruxellis erat nobilitatis, Waveram usque in occursum sese effudit, juxta arcem Vuranam ab Hungariæ Regina Maria, amita, quæ Belgium per absentiam Caroli moderata fuit, duobus à Lovanio millium passibus exceptus est. Unde post nocturnam quietem Calendis Aprilis, in apertam Campi Harenheiani planitiem ductus, Bruxellam Lovanium, Mechliniam, Antverpiam, nobilissimas simul urbes, intuitu unius loci hausit, & cum Amita proceribusque amplissimum tentorium ingressus militari ludicro recreatus est. Stabant in propinquo erectæ munitiones, ex opposito, geminæ. Uni, cum septingentis, quà peditibus, quà equitibus viridi colore ornatis, Pedemontanus imperabat Princeps, unicus Sabaudiæ Ducis heres; alteri cum

Ludicrū militare spectat.

pari

1549.

pari militum numero albi coloris habitu insigni Reussii Comes Præfectus erat. Hi, digestis in aciem cohortibus, commissisque utrimque in prælii simulacrum ordinibus, per horæ facilè spatium, viris armisque, horribili quadam voluptate, collisis, tantò jucundiùs præbuêre Philippo spectaculum; quòd pugnæ sine noxa interesset. Hoc à ludicro epulis refecti Bruxellam illustri comitatu tendunt, ubi ante Lovaniensem portã à sæculari, intra eandẽ ab Ecclesiastico Magistratu gratulatoria oratione honoratus, ad nobilissimum S. Gudilæ templum deducitur, actisque Deo gratiis, Ambrosianus Hymnus concinitur. Hinc ad Montanam plateam digressis tot se triumphales arcus, tot per diversas scenas spectacula, (ut in ejusmodi apparatus, & ingeniosa, & profusa Belgarum natio est) obtulêre, ut novitate & admiratione captus Princeps, aliquot his lustrandis horas incedens dederit, quâ tarditate suum incolis laborem benevolentiamque commendabat. In foro fontem reperit, qui rubente vino aquarum loco scaturiret, non grato minùs vulgi palato, quàm oculis profluvio. Ad aulam cùm venisset, ab utraque in foribus amita, Maria & Eleonora, cum osculo salutatus, inter utramque festinus ad Patrem Imperatorem contendit, acceptusque in amplexus cum tanto est gaudio, quanto credibile est ab optimo parente filium unicum excipi potuisse. Exinde Cæsar, præmonitis de inaugurando filio Belgarum ordinibus, ipse cum utraque sororum, Lovanium urbem Brabantiæ primariam eundem illustrissimo comitatu deduxit. Ubi postquam V Julii Brabantiæ Limburgique ducatum, & Valkenburgii Dalemiique Dominium maximâ solennitate adiisset, ultrò citroque Sacramento fidelitatis, ex more Majorum regendi parendique præstito, ad ceteras ordine Provincias, mutuâ fide obligandas processit, magnis ubique, & honoribus, & muneribus cultus. Quo in officio Antwerpienses nulli urbium secundi 130 millia coronatorum impendisse memorantur.

Bruxellensium Philippo gratulãtium apparatus.

Inauguratio Ducalis.

LVIII.

Synodi Archiepiscopales ad Rhenum pro reformatione habentur, urgentibus Pontificiis.

Inter hæc Episcopi per Germaniam synodis cogendis, reformandisque Ecclesiasticorum moribus, ex Cæsaris postulato, invigilabant, celebresque inprimis Provinciales synodi à tribus ad Rhenum Archiepiscopis, Sebastiano Moguntino, Joanne Trevirensi, & Adolpho Coloniensi sunt institutæ. Quarum tam de fide, quàm moribus Canones in tomis Conciliorum exhibentur, difficiliorque tum Moguntino, tum Coloniensi, ob Sacerdotes, tam ex Buceri disciplina, quam indulto, ut ferebant, Carolino, uxoratos, ad cœlibem vitam revocandos, labor fuit, ut geminâ intra hunc annum, & tertia etiam sequentis anni Synodo Coloniensi, pro Cleri emendatione obnitendum fuerit. Priorem ejus Synodum, datis Bruxella Cæsar IV Non. Julii literis, ratam habuit, suisque in dominiis, quæ Agrippinati suberant, observandam imperavit.

Legati Pontificii irrito labore desudãt.

Accesserunt quoque, sub Maii exitum, tres Pontificii, quorum supra memini, Legati Cæsarem Bruxellis peragratâ, sed absque fructu, Germania; quod plerique, quibus indulgentia Pontificia offerretur, vel Prædicantes essent Apostatæ, qui Ecclesiam Rom. quam uxores mallent relinquere, vel Proceres bonis jam Ecclesiasticis inescati; vel plebei, qui calicem sibi a Christo, ut ferebant, oblatum nollent eripi.

1549

Cæsar Legatis Pontificiis rationes factorum suorum exponit.

Quo nomine cùm Cæsarem convenissent, isque hæc *ratione magis, quàm vi obtinenda sentiret; quod fides persuadenda animis, non imperanda armis esset. Neque si bellum religionis susciperet, parem se facilè Germanis futurum existimaret. Caussam dixit neglectæ fidei, cujus restituendæ nuper spes maxima affulsisset, in obstinatæ mentis Pontificem, Concilium loco idoneo recusantem recidere. Rectius igitur facturos, si emendationis curam Germanorum Episcopis relinquant, à quibus minori fastidio Germani aliquâ peste infecti, remedium accepturi sint. Sibi curæ inprimis fuisse, per indultum vulgo calicem, cleroque uxores, quas eripere nequiret, permissas, ut morbum, si non tolleret, certè leniret, propiоremque errantibus ad resipiscendum viam sterneret. Si qui Catholicorum ad eadem manus extendant, inconcessa arripere, non accipere permissa; minusque peccare ceteris, qui integris penè regionibus, se nequicquam obnitente, ad Lutheri deliria abripiantur. Futurum denique, ut Pontifices ad consulta abs se remedia serò respiciant, quando jam Germaniæ salus erit deplorata. Tenere se in vinculis Principes, non sine acerba Procerum imperij querimonia qui ob pertinacem hæresim dimitti tutò nequeant, nisi rebus ante de religione compositis, ex cujus perturbatione, ceu malorum fonte, imperij tranquillitas potissimum subvertatur.* Hæc aliaque Ferentinum in Italiam redeuntem, ceteris apud Cæsarem subsistentibus, ad Paulum referre jussit, & meliora consilia, ex præsenti rerum discrimine capessere.

LIX. Paulus III. Papa moritur, ex nepotis consiliis turbatus.

Sed vergente ad exitum Anno Paulus quoque Pontifex ad vitæ metam decurrit, inclinatâ quidem ad tumulum ætate, sed tamen violentia quadam in mortem præcipitatâ. Causa ex Aloysio filio erant nepotes, multorum Præsulum scopuli, quando ad hos immoderatam curam, peculiumque convertunt. Desperabat Placentiæ, cum filio, amissæ restitutionem à Cæsare Pontifex, ideoq; se Galli studiis addixerat, quod Parmæ etiam à Cæsareis occupandæ metus urgeret. Hanc igitur Octavio nepote, Caroli genero per astum excluso, pontificioq; milite sub Camilli Ursini ductu immisso, Ecclesiæ, ut fuerat, reddendam præ se ferebat, Octavio in principatum Camertii, unde quondam exierat, reducto; ratus hac mutatione titulum invadendi Carolo subtrahendum. Sed cùm Rex Galliæ pro altero Pauli nepote Horatio, quem sibi, Dianâ filiâ spuriâ in connubium oblatâ, generum adsciverat, Parmam instanter posceret, veritus Octavius ne præhabito fratre ipse ducatu excideret, avo inconsulto, Parmam cum aliqua suorum manu advolavit, illamque se præsidio deluso occupaturum sperat. Verùm Ursinus cavere jussus, ne cui etiam Nepotum arcem crederet, opportunis per urbem custodiis Octavium ab instituto deterruit, arcisque deditionem postulantem rejecit. Hac spe dejectus ad Cæsaris partes accedit, simulque ad fratrem Alexandrum Cardinalem facti consilium perscribit, jubetque denuntiare Pontifici, nisi Parmam redderet, Cæsaris sese opibus ac clientela facilè in pristinam possessionem rediturum. Quas literas ubi Pontifex inter Quirinales Hortos obambulans inspexisset, doloris indignationisque obortę impar, animo linquitur, interceptoque per horas quatuor vocis usu, pro mortuo habetur. Vix denique mente in sensus collecta, se etiamnum intellexit vivere. Insperatum hoc vulnus erat, ab illa, velut per gladium, inflictum manu, quam cum multorum offensione, & ama-

Parmæ amittendæ metu Octavius Papæ adversatur.

Paulus ex perturbatio-

ve-

1549.

verat ſupra meritum, & ſupra ſortem armaverat. Adactum hoc altius, quàm ut leni pharmaco poſſet ſanari ; ſiquidem febris ex defectione contracta manſit, quæ quinto poſt die, qui erat IV Idus Novemb. clariſſimæ memoriæ Principem ad alteram vitam tranſtulit, annos jam unum & octoginta natum, ex quibus Pontificio XV, publicis verò muneribus ad L, ſummâ cum laude, impenderat. Romam miſerè bellis vaſtatam, cadaverisque in ſpeciem deformem nactus, honeſto ædificiorum cultu pænè ad vitam revocarat, Vaticanum ſenatum viris ſuæ ætatis ornârat præſtantiſſimis, eximiæ prudentiæ ac moderationis Princeps, cui tamen immodicus ſtirpis amor detraxit, magno demum morientis dolore utcunq; abſterſus, cum *eo, quem exacuerat gladio, ſeſe ictum ſenſit. Si mei*, inquiebat cum Davide, *non fuiſſent dominati, immaculatus eſſem*. Majeſtatem humanitate ita condiebat, ut illâ par ſummis, hâc vix diſpar imis videretur, literis apprimè cultus, etiam quæ aſtrologicæ vanitatis erant, ſecus quam tanti nominis ferebat dignitas, procul tamen à tam infami, quàm Apoſtatæ profligatiſſimi Ochinus, & Vergerius, atque ex his Schleidanus illi affinxit vitâ, ut opinor ſuo Bezæ ſodomitæ adulteroque, etiam verſibus id temporis celebrato, tantum Principem fingerent ſimilem, cùm in ſummum hoc Eccleſiæ caput, alia, præter calumnias, tela, perditiſſimi homines figere nequeant. Ceterùm quis orthodoxæ in illo religionis promovendæ zelus arſerit, ſi neglecti Concilii rationes ſepares, teſtari poterunt Ordines ab eo ſacri in Eccleſiæ ornamentum ſimul & adjumentum inſtituti. Etenim Clericorum S. Joannis decollati Ordo, tùm deinde Congregatio Fratrum Capuccinorum, denique Societatis Jeſu inſtitutum ejus autoritate receptum valuit, quali quantoque orthodoxæ religionis per Orientem Occidentemque propagatæ, per Europam etiam conſervatæ bono, toto jam orbe exploratum eſt.

Marginalia: ne deliquium animi paſſus febrem lethalem contrahit. — Ejus geſta. — Nepotũ nimius amor deploratus. — Studium. — Confictæ in eũ ab hæreticis calumniæ. — Trium Ordinũ ſacrorũ approbator.

LX.

Ingens erat novi Pontificis exſpectatio, præcipuè cùm inter Gallicam Hiſpanamque factionem media, quam dicunt volantem, & Alexandro Farneſio Duce regebatur, (ex qua momentum electionis ut plurimùm dependet, ut quò ſe illa dederit, huc ſuffragiorum pondus feratur) præter exſpectationem à Gallo ad Cæſareos translata, ſpem Montano Cæſaris inimico, quem tamen ſua æſtimatione magnum plerique deſignabant, ademiſſe viſa eſſet. Et Polus quidem Cardinalis principio virtute ſua, tanquam Magnete tactos animos ad ſe pertrahebat, quando & regio Anglorum genere, & religionis quæſitæ, regionisq; amiſſæ fortè hoc decus merebatur; ſed ubi duo calculi ad apicem honoris defuiſſent, iſque, quâ erat demiſſione, neglectim hunc honorem exciperet, ad majorem beneficii æſtimatorem ſuffragia Patres tranſtulerunt, Joannem Mariam Montanum ſcilicet gente Arretinum, tantò majori admiratione omnium; quòd quem Galli, tanquam à Cæſare averſum, unicè ſpectarent, ut quo potiſſimùm Autore Tridento abierant, & Bononiæ repugnante Imperatore Patres ſubſtiterant, hic, inflexo in favorem, per Coſmum Ducem Florentinum Carolo ejuſdem nutu VI Idus Febr. electus ſit. Qui aſſumpto Julii III nomine, cùm in 50 Jubilæi annum exordia ipſius dignitatis incidiſſent, ejus ſolennitatem priſco more celebrandam ante omnia indixit; ac ſubinde, ad preces Cæſaris, quod ante Pontificatum damnaverat, Triden-

Marginalia: Inexſpectata electio Mõtani, Iulii III dicti, ab ipſis Cæſareanis quibus maximè adverſatus fuerat. — An. 1550.

1549.

denti Concilium ; hoc,velut per creationem mutata mente, omni conatu reſtituendũ duxit. Animadverterat enim ſua ſe ſuſpicione falſum,quâ omnino futurum credidit;ut Carolus Synodo in poteſtate conſtitutâ ; ſuo iſtic arbitratu novi capitis electionem imperaturus eſſet;Tridentinosque iccirco detineri Patres,ut hi in ſuffragia,licet ceteris deficientibus,coirent.Quod ubi eventum comperiſſet procul à Cæſaris abfuiſſe conſiliis,qui Tridentinos Romam à morte Pauli deſtinaſſet , errorem ſuum hoc obſequio correctum volebat. Quin etiam,ut Galliarum Regem Henricum,ſine quo labefactanda Synodus videbatur , quique nihil minùs,quàm conſentientem Imperatori Germaniam cupiebat, eodem inducere t,per Legatum hoc veluti arcanum communicari voluit : convenire omnino Henrici rebus,ut Concilium quantocyus ipſo aſſentiente haberetur; quòd, hoc negato aliàs Carolus , indictis Auguſtæ comitiis,religionis ſtab[illegible]m pacem cum Proteſtantibus initurus,citra juſtam Catholicorum obtrectationem,eſſet : cùm aliud ſibi tranquillitatis ſperatæ medium nullum ſuperfuiſſe,jure obtenturus videretur. Quo facto,longè obſequentiores Proteſtantes metuendos Gallis habiturus eſſet,quàm ſi ad Concilium,quod horrerent,invitos adigeret.Per quod citiùs ad arma rursùm ſeditionesque,quam aſſenſum Romanæ Eccleſiæ impellendi forent.Et hæc adeò appoſitè ad veritatem,quæ eventu probata eſt,diſſeruit,ut Henrico perſuaſerit, qui ex Imperii tempeſtate & jactatione,ſuam quietem, aut belli certè lucrum metiebatur.Aliò tamen ſpectabant conſilia Pontificis,qui florentibus adhuc Caroli in Germania rebus, hæreticorum, ſeu metu, ſeu veritate impulſorum,reſipiſcentiam exſpectabat ;ideoque Carolum hortatus eſt, eos,ut in Comitiis induceret,ad Concilium Tridentinum unà cum aliis Imperii ordinibus à Pontifice petendum ; ut hinc ſibi quandum parendi neceſſitatem imponerent Concilio,ipſis poſtulantibus conceſſo.Ita ſubtilis ingenii perſpicaciâ ſuo diverſos Principes,tanquam horologia pondere moderabatur.

Reſtitutio Concilii per eundem decreta, quod hactenus maximè impediverat.

Palavic. in hiſt. Trid. ad hunc an.

Mira ratio, quâ Regem Galliæ in aſſenſũ Synodi traduxit.

LXI.

Cum in proclivi religionis per Synodũ conciliatio eſſet, repentè novis impedimentis hæret.

Et res ex voto fluere viſa,neque plerique Proteſtantium , qui Lutheranâ nuper fide, & Auguſtanæ Confeſſionis præcipuis de Juſtificatione , Sanctorumque Invocatione,& Miſſæ Sacrificio,decretis ceſſerant;ſuâ ſemel ſtatione deturbati, difficulter in reliquis ceſſuri erant. Cùm & Pontifex utramque facilè Euchariſtiæ ſpeciem, modò integrum ſub qualibet agnoſcerent Chriſtum, ad ſolatium pietatis indulgere cupientibus priſco more poſſet , & profanis Prædicantibus Proteſtantium,qui nullis apud Romanos ſacris inaugurati eſſent,ſuas nihil vetaret uxores concedere. Apoſtatarum autem Sacerdotum libidini fovendæ, tantum Imperii ſtatus,quod à ſciſſa religione & Germaniæ tranquillitate impendebat,periculum,poſthabituri non crederentur. At ſuo rursùm dæmon artificio inſperatas Concilio Caroloque pedicas injecit , quas ſuis ipſe Cæſar manibus imprudens fabricarat,dum,poſt occupatam in Italia Placentiam, Gonzagæ Mediolanenſis conſilio Parmæ inhiaret,Octavioque genero , qui hanc [illegible]ralitate inſigni Julii Pontificis receperat,ex deſperatione , mentem ad C[illegible] protectionem tranſeundi injiceret. Unde correptis utrimque armis Rex C[illegible]um, non tantùm non promovere Synodum;ſed impedire pro viribus [illegible]cus, & Helvetios

Aca-

1550.

Acatholicos ab eadem abstraxit,& Germanos ad obsistendum animosiores reddidit, & ipse Legato misso,œcumenicam hanc Tridenti Synodum se non agnoscere contestatus est.Alter gravissimus Caroli error fuit, quod Mauritio hæretico homini, & jam non obscurè præ ceteris Synodum detrectanti, suum in Germania exercitum,pari ferè hæresi infectum, traderet, humanamque ab eo constanter fidem exspectaret, quem sentiebat negâsse divinam. His igitur se denique pedicis serius sensit implicatum.Augustam tamen ad indicta 6 Cal.Julii comitia,spe magna firmandæ pacis Cæsar processit. Septemvirorum duo Moguntinus ac Trevericus aderant, quibus denique Coloniensis accessit, ex ceteris Principibus,Guilielmus Bavarus & Henricus Brunswici Dominus.His Episcopi ex diversis imperii locis adjuncti septem. Evocaverat, ut diximus, ex Hispania Carolus filium Philippum, quem Successorem in imperio,fratreFerdinando excluso,destinabat;sed ubi invitis Electoribus ea se moliri animadverteret, ab incepto destitit. *Actum igitur de Concilij Tridentini acceptatione, libriq; Augustani inter Acatholicos Principes usu, dum ex mente Concilij religio instauraretur. Sed & judicium Spirense ad integritatem revocari, Ecclesiarum bona suis restitui possessoribus, rebelles ad imperium armis etiam cogi placuit.*

Mauritius in ceteris Principibus durior Concilium *se quidem admissurum*, dixit, *si temporum superiorum decreta,ceu minùs æqua ad novum examen revocentur. Augustanæ confessionis ministri non solum in partem Concilij, sed & judicij de controversiis ferendi recipiantur, neque Pontifex istic supremi judicis officio præsideat, aut jurejurando suos sibi Episcopos devinctos teneat. Verbo,plena istic cuilibet sentiendi dicendique libertas maneat.* Hanc contestationem publicè factam cùm in acta comitiorum referri cuperet,id à Præside Moguntino, illi ut proximis Augustæ decretis repugnans, est denegatum. Sic ea Mauritii exceptio,pro dicto solùm habita,quæ communem reliquorum,Concilio absque contestatione acquiescentium,sententiam non retardaret.Ita Concilii postulatione probata,rogatus à Cæsare Pontifex,restituendi Tridentum Concilii diploma per Europam Cal.Decemb. vulgavit,jussitque interea Protestantes Cæsar Augustani libri decretis insistere. Sed parùm ea re, nisi ad majoris discordiæ ac bellorum subnascentium incrementa promotum est.Ea fuit & Magistratuum ad Cæsaris mandata negligentia,& verbi Ministrorum ad subditos concitandos protervia. In Belgium intactum hactenus illa sese etiam morum corruptio,unà cum hæresi,transfundebat.Cui malo & severissimâ damnatorum librorum proscriptione, & in homines de fide suspectos animadversione tempestivè occurrendum ratus: sacrum inquisitionis tribunal admisit severitate Hispanico proximum. Delatori verò hæreticorum, ubi dignâ probatione niteretur, ingens constitutum pretium:reis omnium bonorum abjudicata possessio, extremumque in vivo rogo destinatum supplicium est, culpæ tamen pœnitentiâ mitigandum;ita quidem,ut vir gladio,femina defossione noxam expiaret.Hujus decreti terrore novarum rerum studiosi homines, aut fugâ subducti sunt,aut à cœpti audacia revocati.

Mauritius ceteris durior non nisi certis legibus suos Theologos Cõcilio adfuturos contẽdit.

In Belgio Carolus ad arcẽdas hæreses Inquisitionis tribunal statuit, legesque severas.

LXII.

Magdeburgensium verò etiam, aliarumque per imperium urbium contuma-

Magde-

1550. burgum cum aliis urbibus obsistens Cæsaris decretis per Mauritium expugnatur.

ciâ provocatus Cæsar, ferro flammâque ad obedientiam reducere statuit, quos nec pacis consiliis, nec proscriptione vulgatâ poterat. Id negotium cum Georgio Megelburgi Domino à Cæsare datum: is per objectos latè agros cædibus incendiisque grassatus, obvium etiam ex urbe hostem magna strage profligarat; sed quod his cladibus, obfirmati in ultimam perniciem animi, ad parendum inflecti non possent, re in deliberationem adductâ decretum in eos à Cæsare bellum est. Cui Mauritius, aliis sectariorum Principibus facilè quatuor accedentibus, cum summo imperio præfectus est. Diu obsidio inter datas acceptasque utrimque clades tenuit. Suburbium alterum, quod novam urbem nuncupabant, à Mauritio non magno tempore negotioque obtentum, prædâ flammâque exhaustum est, alterius deinde suburbii facultates cum civibus ad urbem veterem traductæ à Magdeburgensibus, incendioque consumptæ domus sunt; ne quid inde emolumenti ad hostes perveniret. Auxilium à Joanne Haidecco & Alberto Mansfeldio præstolabantur obsessi; sed illos, collecto ex maritima Saxonia milite, nondum satis validos Mauritius viribus ac pugnandi felicitate occupavit, aliosque gladio hostibus subduxit: alios Cæsareæ militiæ sacramento addixit, Mansfeldio rebellium Duce fugâ servato. Hanc cladem utcunque pensavit militum præsidiariorum fortuna ac virtus: cum improvisâ irruptione equitatum Mauritii in pago Otterslebio aggressi, magnâ strage, multos ferro, multos flammâ in domos congestâ consumpserunt. Ter centum propemodum equitum, inter quos Comes Megelburgicus, in captivitatem abstraxerunt. Sic alternante utrorumque fortunâ, non minori obsidentium, quàm obsessorum pertinaciâ annus extractus est, dum, productâ in alteram hiemem obsidione, se denique ad obsequium Cæsaris submiserunt, iis legibus; ut ad Ecclesiasticas possessiones antiquæ, basilicæq; redirent, atque Imperatori tormenta 16 ac centum aureorum millia mulctæ nomine penderent. Bremæ Argentinæque maturiùs resipiscentis mitior conditio extitit, orthodoxæ verò fidei exercitia in urbem utramque sunt reducta. Ita suorum Acatholici armis expugnati sunt, quanquam simulare obsequium Mauritius quàm præstare; & vinci sine dedecore, quàm vincere cum honore, maluisset.

LXIII. Expeditio à Cæsarianis contra Dragutum feliciter in Africam suscepta.

Novos hoc eodem tempore per Africam motus Dragutus piratarum celeberrimus Princeps concitabat, postquam Hariadeno Barbarossæ in Algerii principatu succederet. Is enim regni sui initia nobili facinore consignaturus, Leptim (Mahamadiam nunc dictam) Numidarum urbem vi ac fraude occupat, quàm opibus viribusque egregiè instructam, tanquam sedem latrociniorum prædarumque per Siciliæ Hispaniæque littora exercendarum constituit. Sed Carolus tantis maturè incommodis occurrendum ratus Joanni Vegæ Siciliæ, & Petro Toletano Neapolis, Proregi, denique Andreæ Auriæ classis suæ Præfecto hanc in rem naves virosque jussit instruere, qui non indiligenter hoc munere perfuncti, adultâ jam æstate Lepti instructam classem circumfudêre, murisque urbis, terrâ marique magnâ tormentorum vi quassatis ac dirutis, tandem militem immittunt. Melitenses equites mari, Hispani Italique terrâ, magnâ æmulatione virtutis per murorum ruinas enixi sunt. Illi celeritate & ardore pugnandi superiores, negle-

ctâ

1550.

Eâ cadentium ſtrage, per ſuorum hoſtiumque permixta corpora interiori urbis pomœrio ſunt potiti. Quo exemplo & Hiſpanis auctus animus, & hoſtibus imminutus. nam & illi vallis occupatis, conglobatos denique in foro Afros aggrediũtur, qui in præſenti diſcrimine extremo virtutis conatu obluctantes non inultam mortem oppetiêre. Clades Janizerorum facilè octingentorum occidione abſoluta eſt, ceteris, ferè ſex hominum millibus in militem diſtributis, ſervitus pro morte fuit. Expiatum urbis templum eſt, Chriſtoque conſecratum. Præſidium ex Hiſpano milite bis mille ducentorum hominum relictum. Ingens verò cum nobiliſſima hac victoria præda in Europam deportata eſt. Dragutus facti pœnitens ad Solimannum ſeſe contulit auxiliorum gratiâ, ſed tanti hoſtis vim minasque jam contemnere Carolus didicerat, poſtquam majori militum numero, quàm robore ſubnixum comperiſſet.

LXIV. Pontifex ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ emẽdationẽ incumbit, Rex Galliæ in hæreticos animadvertit.

Interea Romanus Pontifex Julius ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ emendationem curam omnem converterat, publicato enim diplomate *ſex menſium aberrantibus à fide moram indulſit, quo tempore cuilibet culpam ſuam confeſſo, omnes hæreticis intermi-natas à jure pœnas remittit, atque ad officia quæcunque ac beneficia idoneos pronuntiat.* Eodem provocatus Rex Galliæ exemplo magna in deſertores fidei ſeveritate animadvertit, ut jam totâ Europâ in exitium hæreticorum conſpirante hæc brevi animorum peſtis expugnanda videretur; ſed nondum ita Superis viſum, hanc mortalium inſaniam ad majus etiam rei Chriſtianæ emolumentum perferentibus. Impetratum diploma Pontificium de Concilii inſtitutione Nonis Januarii eſt, Anno ſeculi 51. ad novi Pontificis electionem conſequente. Nec mora, Cæſar illud in Auguſtano conventu lectum ad omnes Imperii ordines, cum mandato in eodẽm Concilio comparendi, deſtinat: cautum omnibus fide publicâ eſt de via, loco, officioque in ſententia dicenda liberè obeundo. Ea res uti Lutheranis prorſus ingrata, ſic defendendi ſui magnam injecit curam. Ad Melanchthonem plerorumque converſi animi, quid agendum ſentiendumque exſpectabant. Quæ enim, quantumque crediturus quiſque eſſet, vix ſatis in vulgus conſtabat, recenti opinionum varietate, mutatâque quot annis religionis obſervatione, confuſum. Mauritius igitur hoc negotium Melanchthoni imperavit. *Scriptum aliquod breve dilucidumque concinnaret, quo rerum credendarum articulos complecteretur, Concilio deinde, ad explorata veritatis cognitionem, exhibendum.* Fecit ille ſedulò atque ita quidem ad ſuorum popularium ingenium, ut nemo improbaret. Flacciani etiam, licet ſuperiorum temporum inconſtantiâ irritati, accederent, quin & Brentianis denique hoc ſcripto acquieſcendum videbatur, tituloque repetitæ confeſſionis Auguſtanæ vulgandum, ne temporum lapſu domeſticis inter ſe diſſenſionibus fœdè divulſi, in iſto orbis Chriſtiani theatro comparerent, ridendi magis, quàm in ſapientum virorum conſilio audiendi.

1551. Cæſar omnes etiam Acatholicos in Concilio Trid. cõparere jubet. Melãchthõ Mauritio jubẽte novam *Cõfeſſionem* procudit & *Repetitã Auguſtanam* appellat.

LXV. Mauritius ut Concilũ evertat, occulte

Mauritium tamen ſuorum, aut concordiæ, aut cauſſæ æquitati diffidentem, alia ad bellum conſilia revocabant, quo ſe facilè incautum Cæſarem Concilium-que oppreſſurum ſperaret, ut qui Cæſaris arma militemque Germanum, ſibi ferè religione addictum, in manibus ferret; quod ut promptiùs fidentiùsque

1551. rebellionem molitur, Gallumque aliis titulis ad societatẽ pertrahit jamtum Cæsari offensum.

possiet,Henricum Galliæ Regem suæ fautorem adjutoremque audaciæ habiturum se credebat. Neque fefellit opinio, cùm eodem pænè Gallus tempore adversus Pontificem Cæsaremque Parmam,suis in Italia præsidiis,occupaverit. Erat jam olim Placentia ac Parma à Maximiliano Cæsare in gratiam Julii II ad Ecclesiæ patrimonium donatione adjuncta : quod munus deinde Leoni X per Carolum est confirmatum. Denique Farnesiis sub Paulo III jure beneficiario obvenerat. Sed, quòd novarum rerum contra Cæsarem studiosus Pater Farnesiorum Aloysius esset, conjuratione sublatus Placentiam rursus Carolo reliquerat,qui ne Parmam eodem titulo eriperet,præsidio à Pontifice maturè submisso, cautum fuit. Octavius verò Farnesius Nepos, cùm Romæ ab avo officii specie detineretur, frustraque tandem Parmam reposceret; primùm Cæsaris,deinde Paulo defuncto,possessionem quam avus negaverat,insperatâ Julii, quantumvis sanguine alieni,voluntate recuperavit. Verùm inconsultò denique Galli sese patrocinio credidit,qua re,hinc Socero Cæsari olim Parmam concedenti; inde Julio Pontifici amissam nuper restituenti parum dignam gratiam rependit. Ergo odia bellumque inter Galliæ Regem ac Pontificem Cæsaremque per Italiam exarsêre,Carolo non injuriâ formidante,ne Rex occasione tutelæ Insubrib⁹ immineret. Veneti ac Cosmus Florentiæ Dux arma de manibus utriusque ante cladem extorquere conati. Id quidem impetrarunt à Cæsare demum, quod,ad vitandum bellum,jam ante concedendum fuerat, ut Placentiam Parmamque in pontificia esse potestate imposterùm vellet,modò ne Farnesii tanquam rebelles periculosi,ad earum possessionem redirent; sed Octavio in Parmæ locum Camertium principatus obveniret. Abnuit Octavius cum Rege.

Farnesius à Cæsare etiam ad Galli protectionem transiit.

LXVI. Rex Galliæ Anglum sibi Turcamque contra Cæsarem addicit, cladẽque huic infert per Dragutum,ob quod factum Gallo Pontifex & ille huic graviа interminatus est,sed denique conciliantur.

Hic etiam, solicitatis nequicquam in belli societatem Venetis ac Genuensibus, Eduardum denique Angliæ Regem ad hanc pertraxit, ac cum Turcarum Principe Solimanno fœdera quondam inita innovavit,qui ad Siciliam, Melitam, aliasque Cæsaris ditiones bello vexandas ter centum ac viginti navium classe Sinanum Bassam destinavit. Rex tamen belli famam bello illato præventurus Polinum Gallorum ArchithalassumDraguto Piratarum Principi suas adjungere triremes voluit,qui fortunâ fraudes adjuvante Tripolim Mauritaniæ urbem allapsus,Francicis ubique signis elatis,pro amico in portum admissus est. Dragutus exutâ mox larvâ cum suis urbem, præsidiariis cæde sublatis, occupat, cives in servitutem abducit,suisque familiaribus ac præsidiis oppidum attribuit. Eodem Polino Duce, ac pænè tempore Franci onerarias Belgarum undecim,merces in Hispaniam pacis fiducia transportantes intercipiunt, atque astu haud vulgari extorquent. Submisso enim,qui significaret à Gallorum triremibus Scotiæ Reginam deportari,simulque aliquod honoris obsequium,tormentis more nautico applaudentium postularet. Ubi à Belgis nil hostile suspicantibus amicè illud profuseque præstitum esset,inermes ferè à Gallorum classe septi coactique deditionem fecêre,ut sua illi humanitate perierint;hi perfidiâ triumpharint. Adeò *multis ad victoriam nihil interest, virtute illam, an scelere consequantur.* Quanquam Galli (ut bellorum causis in adversarios amoliendis studere cuivis moris est) in-

sidias

1551.

ſidias à Maria Belgii Gubernatrice Mareſcallo Sanctandreano primùm inſtructas memorabant, cùm à pace Anglica, honoris gratiâ equeſtria S. Michaëlis inſignia Regi Britannorum deferret. At Pontifex graviſſimè fœdus Gallo-Turcicum deteſtatus, quo barbarus, qui & ſe à Cæſare in Draguto læſum querebatur, non Siculum mare tantùm, ſed & Hungariam Tranſilvaniamque animoſior repetebat, ſub interminatione anathematis, Henricum tam indignæ Chriſtiano Principi ſocietati obnuntiare juſſit. Quâ denuntiatione Rex irritatus, Solimanni provocati culpam in Cæſarem amovere conatus eſt, licet denique per Aramontium Oratorem id Henricum egiſſe, manifeſtè compertum ſit: nec ipſius quidem Regis defenſoribus id crimen detrectantibus. Ceterùm Rex ad illam Pontificis libertatem excandeſcens, Sorbonicis Theologis Galliæque Præſulibus in conſilii ſpeciem advocatis, poſt ejectos ex aula Pontificis, Cæſariſque Legatos (tantùm audaciæ potentia ſufficit) ſtatuit pecuniam ad diplomata beneficiorum tribui ſolitam, aliis impoſterùm uſibus impendendam. Nec deſunt, qui memorent ad augendum Pontifici terrorem (quæ mihi tamen affirmanda non duxi) de ſummo Eccleſiæ Patriarcha proprio in regno conſilia agitaſſe, ne ad peregrini hominis arbitrium ſua cogeretur facta exigere. Sed ut ut à Rege actum, fulmina hæc utrimque abſque ictu ullo jacta fuere, & Pontifex cum Gallo, poſitis minis armiſque in amicitiam anno inſequente rediit; diverſis tamen ſtudiis, quod is pacem, hic bellum cum Cæſare impenſius ſectaretur.

Boſius hiſt. Ieroſ. part. 3 l. 15. & 16.

Hæc inter Philippus Hiſpaniarum Princeps, ſpe ſucceſſionis in imperio deſtitutus; cùm neque Ferdinandus patruus, neque ejus filius Maximilianus, (qui ex Hiſpania, dum hanc animadverteret telam à Cæſare ordiri, properè advolaverat) favori ſibi à Germanis impenſo obnuntiare vellent; nec denique Imperii ordines, Galliarum etiam Rege ſtimulante, tot Regnorum Dominum, peregrino cœlo ingenioque natum admitterent, ſub Maii exitum in Hiſpaniam ſe recepit, quem Auguſtà decedentem à Cæſare Maximilianus nepos comitatus eſt, ut relictam in Hiſpania conjugem, jam altera prole fecundam, ſecum in Germaniam ad Ferdinandum Patrem traduceret.

Philippus Cæſaris fil. ſpe ſucceſſionis in Imp. deſtitutus redit.

LXVII. Ferdinãdi Regis in regno Hungariæ contra Turcam propugnando ſors per Georgium Tranſilvani Tutorẽ periclitatur.

Hunc id temporis ad Hungariæ defenſionem Turcica arma revocabant, quæ in ſubſidium Iſabellæ Reginæ viduæ ejuſque filii Stephani, pòſt Joannis Sigiſmundi dicti, contra Ferdinandum, Solimannus Tranſilvaniæ inferebat. Occaſio ſumpta ex cæde Georgii Monachi, Tutoris à Joanne Waivoda Tranſilvaniæ & Hungariæ Rege moriente relicti: cujus egregia bello ac pace virtus huic illum muneri aptaverat. Is, ex tenui Dalmatarum nobilitate, infimus puer, in aula Joannis, obierat miniſteria, indeque aliquâ literaturâ tinctus, D. Benedicti familiam adiit, ac Monachus iſtic & Sacerdos factus Joanni in Polonia exulanti hæſit, eidemque fidelem ſatis prudentemque in graviſſimis negotiis navavit operam, ut is à Solimanno, cui ſe clientem tributariumque addixerat, Tranſilvaniæ Hungariæque reſtitutus, Georgium quæſturæ regni, & Varadinenſi Epiſcopatui, ac denique moriens tutelæ filii præfecerit, quam aſtutiùs fortiùſque, quàm prudentiùs conſtantiùſque adminiſtravit. Cùm levi rerum momento, nunc Reginæ, nunc

Natal. l. 4. & 5. Flor. Ram. l. 4. c. 7. Iſthuanff. l. 16. & 17.

1551. Solimanni, nunc Ferdinandi etiam partibus adhæresceret, magna ferè semper felicitatis, quo se verteret, inclinatione; tantum in agendo consilii viriumque adferebat. Principio cùm Ferdinandus à morte Joannis Regis Budam, aliaq; quædam loca, ex pacto repeteret, impensas refusurus, Reginæ assentienti Georgius obstitit, Budamque cum Solimanni ope tuitus, in hujus demque manibus (Reginâ cum pupillo in Transilvaniam ablegatâ) relictam cum dolore vidit, suâ ipse perfidiâ delusus. In Transilvania deinde ita rem gessit, ut Reginam simul cum reliquis in servitute possideret. Unde hæc, illius tyrannidis excutiendæ gratiâ, cùm ad Solimannum confugisset, ipse ad Ferdinandum se convertit, qui id temporis Protestantium cum fratre bellis implicitus, licet tenue illi auxilium præstaret, adeò tamen adversùs Turcas felici marte Georgius sæpiùs depugnavit; ut illum Solimannus amicum, quàm hostem mallet. Verùm deniq; Transilvanis non minùs, quàm Reginâ imperium hominis aversantibus, cum ad Ferdinandi se rursus præsidium contulisset, is, jam finito bello Saxonico, Joannem Baptistam Castaldum Marchionem Cassani Italum, illi cum exercitu submisit, Reginamque, non iniquis conditionibus induxit, ut Transilvaniam sibi cederet, Archiepiscopatu Strigoniensi, cum amplissimis reditibus in Georgium collato, quem Cardinalitiâ à Pontifice impetratâ purpurâ auxit. Verùm nec hac contentus sorte inquietus homo, cum Solimanno iterum de Transilvaniâ Ferdinando auferendâ, consilia agitare compertus, per Castaldum in arce Bintio immissis sicariis interfectus est. Ferdinandine imperio, ut vulgo existimatum est, incertum mansit. Imo extra culpam fuisse judicatus est, quando Pontifex execratum idcirco Ferdinandum, postquam suam hic obtendisset innocentiam, neque probatio sceleris manifesta esset, eundem rursum absolvit. Sicarii tamen autoresque necis, brevi tempore, funestum divinitus exitum habuisse observati sunt, quorum interitu magis etiam Ferdinandus purgatus est, creditumque thesauri, quem Georgius sat amplum possidebat, amore Castaldum aliosque hoc facinus perpetrasse. Locus ubi occubuit, Ecclesia recens fuerat, quam Georgius, ad amœnitatem habitationis augendam demolitus, in suum commodum verterat, Abbate loci frustra obnitente, monenteque, non fore, ut hanc Deus ignominiam inultus diu sustineat. Solimannus igitur re cognita Mahometem Bassam cum exercitu in Transilvaniam destinat, licet Ferdinandus vicenûm millium scutatorum tributum ex pacto offerret; quòd novo à Mauritio bello Cæsari illato in Germania distineretur. Unde illa sine præsidio facilè occupata, & Isabellæ ac Joanni Sigismundo, ut clientibus, restituta est, hac cautione additâ; *providerent, ne in hanc ditionem penetraret hæresis, quæ subditorum erga Dominos fidem subverteret.* Sed ignorabant jam tum anguem in herba latitare; siquidem Petrus Petrovitius, cujus operâ potissimùm, in hac per Turcam restitutione, usa fuerat, quique Sigismundi protectorem agebat, libertatis Lutheranæ jam amorem conceperat. Unde Georgium Blandratam, Medici ex Italia specie in aulam receptum, Arianismi tabe corruptum, facilius ad aures animumque admisit. Per quos, aperto sensim ostio, post Solimanni mortem, omnis se hæresum contagio in hanc regionem effudit. *Tantum in Medicis periculum*

Varium Georgii ex Monacho Tutoris ingeniũ nũc Turcæ, nunc Ferdinãdo addictum.

V. de Palav. l. 13. c. 2.

Hoc occiso proditore, Turca prævalet.

Qui hæresin vitandam suasit, quæ tamen sensim prævaluit.

culum est, quando à corporibus ad animorum curam transeunt, quibus venenum sæpè pro remedio exhibetur. Sigismundus primò infectus, à quo capite facilè in membra cetera corruptio derivata est.

LXVIII. Conciliū Tridentinum à Iulio III. Pap. inchoatum est, ut Protestantes ad unitatem Ecclesiæ reducerentur.

Illæ, quas jam diximus bellorum nubes ingentem toti Europæ tempestatem minabantur, quando ipse licet contra Gallum pro defensione Parmæ armatus Pontifex, Tridentini tamen cum Cæsare Concilii reparationem urgebat; ideoq; illud, Gallorum Episcopis in solo apparatu profectionis ad Regis nutum hærentibus, per reliquarum tamen nationum Episcopos ad Cal. Maii anni MDLI inchoatum prima, ut vocant, sessione est, quæ erat illius Concilii XI, decretumque de resumendo Concilio editum; utque majori Patrum numero, & Protestantium accessione continuari posset, ad Cal. Septembris XII sessione prorogatum est. Quando duobus Germaniæ Electoribus sacris, Moguntino & Trevirensi, præsentibus in gratiam Protestantium, aliorumque Præsulum etiamnum absentium, alio prorogationis decreto in XI Octobris diem est delatum, atque interea privatis Theologorum disceptationibus illa, quæ de Eucharistiæ Sacramento controversa erant, magno studio fuêre discussa, in domo Cardinalis Legati, qui erat Marcellus Crescentius Romanus Presbyter, doctrinâ prudentiâque spectatus, cum sociis duobus, Sebastiano Pighino Archiepiscopo Sipontino juris peritiâ illustri, & Aloysio Lipomanno Episcopo Veronensi probitate ac scientiâ clarissimo. Interea Cæsar Protestantium urgebat Principes, eorumque gratiâ suspendi Concilium nuntiat; jamque etiam Wirtenbergenses, Christophoro Principe impellente, Confessionis novæ scriptum, conforme Lipsiensi concinnarant, quo offerendo defendendoque in Synodo niterentur, literasque à Cæsare libertatis securitatisque omnis acceperant: cùm Mauritius, in omnem tergiversandi occasionem intentus, dum res suas adversus Cæsarem Conciliumque, per Galli societatem firmasset, qui hostilitate jam Parmensi in bello collidebantur, significat Imperatori Augusto mense; intelligere se, minùs securitati suorum consultum fore, nisi præter Cæsarem, ipsi etiam Tridentini Patres, fidem debitam immunitatis illis præstent, siquidem in Constantiensi Synodo Joannes Hussus cum suis fidem Sigismundi Cæsaris secutus, flammis absumptus sit, decreto per Synodum edito, quod siqui hæresi infecti deprehenderentur, in eos, licet Cæsar idoneè cavisset, Ecclesiam posse animadvertere. Paria igitur sibi suisque in pari causâ metuenda esse.

Protestantes à Cæsare impulsi variis oppositionibus illud detrectant.

LXIX. Rex Galliarum etiam turbare nititur.

Adfuit etiam Tridenti improvisò, ex parte Regis Galliarum Jacobus Amiotus Abbas Bellosanus, qui Henrici literas Cal. Sept. in consessu Patrum ad *Tridentinum Conventum* inscriptas exhibuit, quæ quod Rex non Concilium, sed conventum appellaret, ægrè tandem admissæ, auditæque. In quibus cùm Henricus contestaretur, *Pontificem cum Cæsare privatis commodis intentum hoc Concilium moliri, seque in Parmensium suscepta defensione ab iisdem impediri, adeoque novis bellis Europam involvi per quæ Galliarum Episcopi adesse tuto nequeant, Concilium hoc œcumenicum nequaquam fore, neque Gallicanam Ecclesiam obstrictum iri. Quin imò testari se, consilia remediaque Majorum in re simili adhibita, sibi etiamnum prompta esse.* Hæc aliaque reci-

tanti

1551. tanti Amioto dies reſponſionis habendæ dictus eſt XI Octobris proximæ ſeſſionis, quem cùm is minimè exſpectaſſet, publicis illa tamen literis, & lecta in Concilio die præfixo, ac vulgata typo fuit; ut & Legati conteſtationem Rex vulgaverat. *Neque enim*, ajebant, *hoc Concilium legitimè quondam inſtitutum reſumptumque, ut ex actis abundè pateat, in privatum cujuſquam emolumentum, ſed totius Eccleſiæ, ac religionis bonum vergere. Parmenſis belli rationes, Pontifici notas: ſe pacis cupidos minimè tangere, nec impedire Galliarum Epiſcopos, quin Synodo adeſſe ex officio queant. Cui ſi defuerint, nihil hinc autoritatis deceſſurum Concilio. Tunicam Chriſti inconſutilem quorundam ſeceßione non diſſcindi. Quod verò Rex exempla Majorum in remediis adhibendis ſe teſtetur ſecuturum; id ſanè licere, modò non ſequatur perturbatorum Eccleſiæ cum æterno ſui nominis dedecore, ſed parentis optimi, gravißimos præſtantißimosque Galliæ viros ad hoc Concilium ſubmittentis. Hortari proinde ſe Epiſcopos, ut officij ſui memores, ſummi Paſtoris vocem ductumque audiant.* Verùm hæc exhortatio fruſtanea apud eos erat, qui Regis ſui potentiâ, adeoque & voluntate circumſcripti tenebantur.

Galli proteſtationem Synodus refutat.

LXX. Protestantibus ſecuritatis publicæ ſyngrapham offert.

Porrò ut Proteſtantibus omni ratione, etiam ab ipſa Synodo cautum eſſet, hæc illis immunitatis ſyngrapha, quam ipſiſmet verbis recitabo, ſubmiſſa eſt. *Sacroſancta generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eisdem S. Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, omnibus & ſingulis, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus perſonis univerſæ Germaniæ, cujuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, qualitatis ſint, quæ ad Oecumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipſum Oecumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quos illis videbitur, tam ſcripto, quàm verbis offerre, proponere, & cum Patribus, ſive iis, qui ab ipſa S. Synodo delecti fuerint, conferre, & absque ullis conviciis & contumeliis diſputare, nec non quando illis placuerit, recedere poßint, & valeant, publicam fidem, & plenam ſecuritatem, quam ſalvum conductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis, & decretis neceſſariis, & opportunis, etiamſi ſpecialiter & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreßis haberi voluit, quantùm ad ipſam S. Synodum ſpectat, concedit. Placuit præterea S. Synodo, ut pro majori libertate ac ſecuritate eorum, certos tam pro commißis, quàm pro committendis per eos delictis, Iudices eis deputari cupiant, illos ſibi benevolos nominent, etiamſi delicta ipſa quantumcunque enormia ac hæreſim ſapientia fuerint.* Hæ literæ in ipſa ſeſſione Concilii XIII, cum prorogatione controverſiæ de utraque ſpecie Euchariſtica, ut huic intereſſe Proteſtantes poſſent, & decretæ, & expeditæ ſunt, majori quam ipſi poſtulaſſent, libertatis oblatæ, perque adjuncta quævis expoſitæ gratia, ut tergiverſandi ſubterfugia omnia interciperent. At tamen nondum ſatisfieri tam ampla cautione effugium quaquaverſum ſpectantibus potuit, quod in eo tot eruditiſſimorum graviſſimorumque hominum conſeſſu, eaque diſcutiendi controverſa quævis ratione, quâ abſolutior fingi non poterat, neceſſariò ſibi viderent eſſe ſuccumbendum. Quare alii captioſam hanc eſſe doloſamque ſecuritatis formulam aſſerebant, in qua diceretur, *quantum ad ipſam S. Synodum ſpectat* libertatem concedi, atque hoc pacto jus ſuum reſervari Pontifici, qui in Proteſtantes queat animadvertere. Ut ſi ex Pontificis arbitrio

Controverſia de utraque ſpecie Euchariſtiæ in Proteſtantium exſpectatorũ gratiam differtur, ſed hi cõgreſſum omni arte declinant.

Sy-

1551.

Synodus totam repræſentans Eccleſiam (à quo corpore ſeparari caput non poterat) hanc facultatem non obtuliſſet. Alii obtendebant fruſtra ſe invitari ad controverſiam de utraque ſpecie, qui quidquid hactenus definitum à Concilio adverſus Confeſſionem Auguſtanam eſſet, probare non poſſent; adeoque jam ſe à Cæſareo decreto, & Auguſtano Interim nuper admiſſo, ſubducebant proſcriptioni obnoxii. Unde hoc argumentum in Concilio potiùs, ubi omnis diſputandi libertas conceſſa eſſet, quàm extra hoc urgendum dicebant. Quare ut alia cunctatione Cæſari ac Synodalibus illuderent, parendique ſpecie confuſionem declinarent, ſtatuunt, primò quidem alios poſt alios ad Synodum ſuos ablegare, ſed profanos Legatos, Oratoresque primùm, qui explorandi gratiâ accedant, expendantque omnia, ac ſuas deinde obmoveant difficultates, ſpemque Theologorum mittendorum, ſi illæ auferantur, faciant, ne non obſecuti Cæſari, ſuisque promiſſis, atque ipſi poſtulationi Concilii à ſe ad ipſum Pontificem præhabitæ, videantur. Quæ ſanè omnia negligi, ſine extremæ deſperationis ſpecie, in iis, qui toties ad Concilium provocaverant, minimè poterant.

LXXI. Ioachimi Electoris Brandeb. Legati veniunt, & honorem Synodo habent. *Palav in hiſt. Trid. l 12. ca 9. Acta Æliana & Schleid. l. 23. in princip.* Sed ficta magis, quàm vera ſubjectione.

Joachimus igitur Elector Brandeburgicus primus hanc cunctantium glaciem rupit, Oratore Chriſtophoro Straſio Juriſc. ad Concilium deſtinato, qui conſtitutæ ſeſſioni XIII undecimo Septembris die, unà cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis (nam & Colonienſis acceſſerat) interfuit, mandatumque attulit, quo obſequium Pontifici jam olim debitum his verbis præſtitit: *Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino D. Iulio III favore divinæ Clementiæ ſummo Pontifici, ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ, Domino noſtro gratioſiſſimo, &c.* Ipſe etiam Orator ita dicendo concluſit. *Neque verò dubitare debet S. Synodus Principem Electorem Illuſtriſſimum omnia quæ S. Synodo placita ſunt, ſanctè, ſyncerè, ut Principem Chriſtianum, & obedientem filium Eccleſiæ Catholicæ decet, obſervaturum, defenſurumque. Et hæc omnia ex authentico ejus mandato S. Synodus percipere poteſt.* Patres verò Tridentini, ut ait, Schleidanus, *magna ſe cum voluptate ſermonem ipſius omnem audiſſe reſpondet, præſertim illud, quod Synodo ſe Princeps omnino ſubmittat, ejusque decreta ſervaturum ſe dicat.* Ut tamen hæc ab adulatione magis quàm veritate profecta doceat, ſubjicit: *à morte Ioannis Alberti, qui Magdeburgenſem Archiepiſcopatum habuit locupletem & amplum, rei ſumma deferebatur ad Electoris Brandeburgici filium Fridericum, quem Collegium poſtulaverat. Res autem erat impedita, neque Romæ poterat confici, & quod Saxonicæ religionis antè fuiſſet Elector magno erat impedimento. Suſpicionis igitur tollendæ cauſa, legatus miſſus fuit, qui prenſando Proceres ad ſummam diligentiam nihil reliqui faciebat.*

Wirtenbergici Legati ſolis Cæſaris Legatis honorē deferunt, explorantque tractandi modum.

Porrò cunctantius timidiusque Wirtenbergici Ducis Chriſtophori Oratores duo Pleningerus, & Heclinus acceſsêre, qui ne quam viderentur Romano Pontifici deferre venerationem, Legatos Cæſaris convenêre, qui miſerat Franciſcum Toletanum, Hugonem Comitem Montfortum, & Guilielmum Pictavium ac priusquam ſuæ poteſtatis exhiberent literas, in privatam Theologorum diſceptationem cum Brandeburgicis, ut omnia primùm conſulta arbitrarentur, ſeſe inferebant, ſeſſionis videlicet XXIV præludiis. In quâ, præteritis quæ de Euchariſtiæ Sacramento reſtabant, in gratiam Proteſtantium, quæſtionibus, de Pœniten-

1551. nitentia atque extrema Unctione disceptandum ad 25 Novembris esse statuerant. Nec abs re fuerit accuratissimam de singulis controversiis disputandi rationem, quam Schleidanus ipse præsens observator, reprehendere non potuit, breviter exponere: ut pateat, quantùm Acatholicorum, qui ad quantumcunque mutilam, dubiamque in sensu Verbi divini sententiam, repentè exclamant, εὕρηκα inveni, diligentia studiumque superetur.

Lib. 22. circa fin.

Cautum erat, ne quid ad publicam Concilii disquisitionem ferendasque sententias produceretur, quin privatis ante Theologorum studiis, ac diligentissimâ investigatione, tam veteris, quàm novæ doctrinæ excussum disceptatumque fuisset. Ad quam, principiò Concilii Theologi in tres classas divisi, quarum singulæ indies Legati Pontificii ædes statis horis adibant, ac de proposita in quam convenerant, quæstione per ordinem, nullo interpellante, differebant, scribis dicta sententiasque singulorum calamo excipientibus. Differendi ea lex & ratio erat, ut primùm ex S. Scriptura pronuntiarent sententiam, tum deinde firmarent ex tradita receptaque per omnem retrò Ecclesiam Apostolorum, extra verbum Dei scriptum doctrina, ac tertiò ex probatis ab Ecclesia Conciliis, denique ex sanctorum Patrum autoritate ac consensu, idque quantâ posset brevitate atque energiâ, præcisis superfluis & contentione vitata, fieretque propriâ interpretatione ac judicio, quod hæreticorum est, sed tali tantaque universalis Ecclesiæ consensione varius inter varios ejusdem S. Scripturæ sensus definiretur. Inter Theologos autem primò Pontificii, deinde Cæsarei, postea Electorum auditi sunt, & singuli promotionis ad gradum ordine, clerici tamen ante religiosos. Neque themata Romanæ solùm, verùm & Lutheranæ Zwinglianæque doctrinæ, hac via, aut stabilita, aut explosa fuêre. Delecti subinde ex omni natione integerrimi doctissimique, qui collatis omnium sententiis, certa ex his conficerent rerum credendarum capita, hisque adversantes errores damnarent. Quæ postremò in publicum Concilii traducta consessum, tertióque, ac supremo examine ponderata, ubi suffragiis Episcoporum probata fuissent, vim decretorum Canonumque obtinebant, sacris indies precibus atque invocatione divini Spiritus Deo commendata, ut si spiritus veritatis, quem Ecclesiæ suæ Christus promisit, alicubi in eadem reperiatur, ab hac illius investigandæ veritatis contentione abesse non queat.

LXXII. Accuratissima expendendi & disserendi controversias in Synodo methodus expenditur.

Huic igitur tam sedulæ, tum in Crescentii Pontificii Legati ædibus, & reliquorum Episcoporum præsentiâ, institutæ disquisitioni aderant Brandeburgici, Wirtenbergicique Principis Oratores, deprehensumque, non sine eorum confusione est, in uno de Pœnitentiæ Sacramento illos articulo gravissimos XV errores admisisse, qui signati confutatique sunt, atque in Concilium deinde producti. Et ut exemplo utamur, qui ex clarâ, definitique sensus Scripturâ, eruere sua se dogmata venditabant; hi in clarissima apertissimaque Christi sententia, qua Apostolis in orbem universum missis absolvendi à peccatis potestatem largitus est (quæ hoc mysterio continetur) non unius corruptelæ rei inventi sunt. Dum enim ad Joannem citatur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,*

LXXIII. [illegible] Legati [illegible] de Sacramento [illegible] 13.

cata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et apud Matthæum: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt & ligata in cœlis, & quæcunque solveritis, soluta.* Unde vox *absolvo* Ecclesiæ solennis mansit. Hæc constat Discipulis in cœnaculo clausis & alibi, non vulgo dicta esse, nec obscuris verbis *remittendi, retinendive* peccata eisdem potestas facta est, quorum utrumque Protestantes negabant: cùm & Christianis omnibus hanc facultatem esse oblatam, eandemque non in remissione, quæ solius Dei sit, sed in annuntiatione remissionis, per Christum factæ, consistere affirmabant. Quin, quod ridiculum prorsus erat, asserebant: remittere hoc modò, ac retinere etiam peccata Christianos posse, quæ cujusmodi essent, non intellexissent, eò quod pœnitentibus, ut peccata singula, magisque erubescenda confiterentur, necessarium esse negarent; cùm à Catholicis exigeretur, ut saltem cognita, qualia solent esse graviora, enuntiarent; quo intelligi posset, retinendumne, an remittendum quod adferrent. De ignoratis, nullam dicebant esse confitendi obligationem. At nolebant Protestantes suo conscientias pœnitentium privari solatio, quo per obligationem, nota quæque ex gravioribus delictis confitendi, destitui arbitrabantur. Unde, & in hoc loco, & alibi Scriptura S. cogebatur hanc sententiam ferre, quam ipsi pravis affectionibus, principiisque doctrinæ corruptis (quale hic erat, *solâ fide in Christi meritis peccata donari*) seducti desiderabant. Comparuère tunc inter Theologos Jacobus Lainius & Alphonsus Salmeron ex recenter instituta Societate Jesu, qui excellenti doctrinâ, & disceptandi acrimoniâ, tum ut novi ordinis homines, multorum, atque inprimis Protestantium, oculis notati sunt. Quorum ad Melanchthonem delata fama, & postmodum intellecta propagatio, in extremis jam morientem exclamare fecit: *Heu! Iesuitæ denique in totum orbem, magnâ clade nostrâ, penetrabunt!* At celeberrimi passim eruditione, ex quovis ordine viri tunc illud Ecclesiæ theatrum occuparunt; ut Protestantes, in quantacunque etiam differendi palam, oppugnandi, propugnandi, definiendique libertate, desperatio manifesta cum honore sua defendendi invaserit, talique in loco, repentè velut allisa ad scopulum confidentia, aut ad torpedinis contactum stupefacta hæserit: ut ex aliis deinde aliisque, frivolè ad Concilium declinandum, quæsitis obtrectationibus compertum est, quibus tum demum, cùm per bellum disjici cernerent, novo fallendi astu cessère, tam maligni, cùm Synodum admitterent, quàm cùm detrectarent; ut hinc ex actis à Palavicino, inde à Schleidano præsente recitatis constabit, licet hic parùm syncerè suorum Protestantium tegat dolum perversitatemque, quæ tamen in eorum nunquam ad veritatem, hac viâ irradiantem, pertingentium, calamitatem versa est. Quam etsi hodiedum infelices tenebrarum incolæ nequeant intueri; suam tamen desperatæ, in tam illustri Synodo, defensioni causam æquam semper quæsituri, nunquam reperturi videntur.

1551. *Matt. 18.*

Vis & ratio investigandæ veritatis Legatos Protestantium in desperationem causæ suæ obtinendæ induxit, unde omne ab eis quæsitum effugium.

LXXIV. Legati in specie à Protestantibus missi, dū

Expendamus, quemadmodum Protei illi Oratores omnem vultum formamque obtrectantium induerint. Wirtenbergici, aliarumque urbium Legati, Mauritianos Legatos operiebantur, quos rebus jam ad rebellandum per fedus occultum cum Galliarum satis firmatis, tandem Mauritius ad fidem obsequiumq; simu-

1551. bellum à Mauritio paratur, variis postulatis Patres in progressu ejusdē impediunt.

simulatè probandum Cæsari; abire passus est; sed cunctationem omnem injicere voluit, ne Theologos cogeretur ante in hac acie ingeniorum & fidei probandæ ostentare, quàm armorum ipse haud procul, ad captivitatem, aut terrorem certè fugientium, explicasset. Et res ex voto cecidit, cùm Oratores Tridentum admissi, variâ istic legum, quibus Theologi Protestantium admittendi essent, ventilatione, tamdiu sine progressu sustinuerint Patres, donec paratis jam in Germania armis, Cæsarem pænè Oenoponti, ubi Concilii promovendi causa Tridento propior hærebat, ignarum proditionis, occupasset.

Jam fama Tridenti percrebuerat, cogitatæ à Mauritio rebellionis, ut iccirco Electores Cæsarem literis convenirent, discedendi providendique rebus suis gratiam orantes. Verùm Cæsar tantùm fidei Mauritio tribuit, quem propediem sibi adfuturum credebat, ut vana hæc commenta negligere eos jusserit, atque insistere cœptis. Mauritius etiam, ut consilium tegeret, Oratores sine morâ proficisci Tridentum jussit, qui VII Januarii anni 52 Tridentum ingressi, existimationem perfidiæ sparsam dissiparunt. Erant hi Wolffius Colerus, & Leonardus Badehornus Jurisc. qui ad Cæsaris Oratores X Jan. admissi, initio commemorant,

Postulata Mauritii & alia securitatis quæsita formula, cū depositione Pontificis.

Principem suum hactenus Theologos suos tutò submittere non potuisse; quod minus idoneè his per securitatis literas cautum fuisset. Has igitur ex formula Basileensis Synodi, prout Bohemis data sit, postulare. Tum deinde cupere, ut designatus consessui proximo, qui erat 25 Ianuarij prorogetur. Ad hæc ut omnium esse queat nationum Concilium (quod Galliæ obluctantis causa inferebant) *Præterea, ne Pontifex supremi in illo Præsulis autoritatem sibi vendicet, sed Concilio submittatur, Episcopisque jurisjurandi obligationem remittat, ac denique liberæ sint omnium in Synodo voces, & minimè præpedita judicia, ne suis quoque jus suffragij in ferenda sententia negetur, quæque decreta hactenus à Tridentinis Patribus sint, cùm adversari S. Literis visa sint, justo rursum examini subjiciantur.* Et hæc sui Electoris postulata, se disertius publico in cœtu exposituros profitentur. Legati Cæsaris quamvis viderent, hæc non ad adstruendum sed destruendum Concilium excogitata esse; cumque Augustano decreto nuper admisso pugnare; tamen, quia ipsi à Cæsare, & Pontificii Legati à Julio commoniti fuerant, ut quidquid salvâ fide possent hominum infirmitati ad salutem indulgerent; quò ad solius Concilii inducerentur experimentum, cujus vim doctrinamque cum dignitate sustinere posse credibile prudentibus non videbatur; ut nec ipsismet quidem visum fuit, cum omni machinatione subterfugerent, reproductis impedimentis, quæ, neglectim data proximè & postulata veniendi fide præterierant. Oratores igitur sese ad Patres hæc memorant relaturos, quod & diligenter præstitum, ac 22 Jan. responsum;

Paucis Cæsareani respōdent, & formulā novam offerunt.

novam cautionis publicæ formulam abs se impetratam, Patresque omnem fidem benevolentiamque Theologis venturis addicere, eorumque gratiâ suspensum iri Concilium. De cetero, nationum omnium præsentiam, neque à se præstari posse, nec sanè aliarum œcumenicarum Synodorum exemplo requiri, reliqua eorum postulata ejusmodi esse, quæ uno momento, propter gravitatem, decidi nequeant; sed in ipsa sint Synodo discutienda, à qua satisfactum æquis omnibus iri sperent. Proinde acquiescant præsentibus non absque labore per se impetratis. Ita accepta securitatis formula discesserunt, quam ubi domi expendissent

sent

ſent, unà cum Wittenbergicis aliarumque civitatum Legatis, (in quibus & Schleidanus Argentinenſium nomine erat) qui in his poſtularis conſilia, ut juſſi ſociabant, animadverſum eſt, in quibuſdam à cautione olim Bohemis præſtita diſſentire: ut *quod decidendi in Concilio facultas Theologis ipſorum concedenda ſit: quod lex divina, praxisque tum Chriſti, tum Apoſtolica, tum Eccleſiæ primitivæ* (verba Baſileenſis Synodi ſunt) *unà cum Conciliis, Doctoribusque fundantibus ſe veraciter in eadem pro veriſſimo & indifferente judice, admittentur: quod ipſis domi, ſacra ſua peragere liceat & ne quid in eorum doctrinæ contemptum aut vituperium fiat*. Pro quibus Tridentina Synodus, *omnem* illis quà verbo, quà ſcripto facultatem *in Synodo declarandi, adſtruendi, & perſuadendi* conceſſit, ſtatuitque, *quod cauſæ controverſæ ſecundùm S. Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & Sanctorum Patrum autoritates in prædicto Concilio Tridentino tractandæ ſint*. Quæ verba nonnihil immutavit, non quod priora ſano ſenſu refugeret; ſed ne præpoſteræ interpretationi hæreticis ſemper uſitatæ, quâ non volunt ex SS. Patribus S. Scripturæ mentem, ſed ex S. Scriptura, juxta proprium (quod illi Spiritus S. vocant) judicium expoſita, Sanctorum Patrum Conciliorumque ſententiam exponi & ſiquidem convenire non videantur, tanquam errori obnoxia rejici; cùm ſolus Deus ſit, qui ſuo verbo fallere, aut falli nequeat. Quod admitti ſanè, ut ratione plauſibili nititur, potuiſſet, ſi unius claræ certæque ac definitæ ſententiæ eſſet Scriptura: ut Proteſtantes, in ſuis articulis Romanæ Eccleſiæ appoſitis, non ridiculè minùs, quàm protervè aſſerunt; cùm tam diverſæ SS. Patrum (quos orthodoxos agnoſcunt) interpretationes; imò, in plerisque, tot Proteſtantium Reformatorum & Anabaptiſtarum pugnantes ſenſus ſententiæque, de eadem S. Scriptura, in manibus oculisque Doctorum hominum verſentur. Ut non probroſa tantùm, verùm & inſana ejuſmodi poſtulata viſa ſint: ac propterea Oratores Cæſarei illâ repugnandi impudentiâ offenſi, reſponderint: *cogitarent, judicem alium præter mutam Scripturam dandum, ubi illa diverſis interpretationibus obnoxia, à ſe definitè nihil loqui ac ſtatuere poſſet. De ſecuritate omni abundè illis in datis literis proviſum eſſe, liberumque ſacri ſui miniſterij privatim uſum, nulliq; contumeliæ obnoxium, indulgeri. Cetera, quæ Synodum, Pontificem, fidemque Romanam concernant, ad Theologos & Concilium rejicienda. Turpe enim indignumq; videri, corrigi, damnariq;, & à ſeipſis quidem Romanos, priusquam ab adverſariis erroris convicti ſint. Porrò licere de iisdem proximè difficultatibus coram Patribus diſſerere*. Cautionis tamen exemplar, ceu corrigendum, Toletanus Oratorum primus recepit.

Reliqui cũ Mauritianis conſpirant, & aliã cautionem ſecuritatis obtẽtam rurſum improbãs. *Vide in Concil. Trid. poſt ſeſſ. 15.* Scripturã S. ridiculè Iudicem Concilii poſtulãt.

Offenſi impudẽtiâ poſtulatorum Cæſareani acrius reſpondẽt.

Poſtremo 24 Januarii, pridie ante indictam ſeſſionem publicam in domo Legati Pontificii congregati Patres, primò quidem in gratiam Brandeburgici Electoris ſtatuerunt Fridericum ejus filium Magdeburgenſem Archiepiſcopatum admitti poſſe. Verùm ea lege, ut per Adminiſtratorem præeſſet, dum legitimam aſſequeretur ætatem; tum in Synodo Tridentinæ uſque ad exitum intereſſet, ejuſque decretis acceptandis fidem addiceret, quàm ille Archiepiſcopatui magis, quàm Deo deferre videbatur; uſque adeò *apud multos divina humanis ſubſerviunt, & terrena, ſæpè religionis merces cœleſti præhabetur*. Subinde Wirtenbergenſes, ut tem-

LXXV. Brandeburgici Electoris filius certa lege ad Magdeburgicum Archiepiſcopatum admittitur.

1551. tempore priores, in cœtum manè evocati, eadem ferè, quæ nuper, de Concilii instituendi ratione, Mauritiani apud Cæsareos urgebant, repetiêre, inprimisque, *ne penes solos Episcopos judicandi potestas resideret, eidemque Actores aut Rei simul essent, ac Iudices: tùm, ne jam à Concilio decreta vim legis, nisi rectius excussa, obtinerent.* Atque in hanc rem suam ipsi Confessionem ex mandato Principis formatamque traditamque obtulêre, tanquam correcturi Synodum Patrum aberrantem. Accepta illa, sed, quo Legati aliorumque Catholicorum sensu, facile æstimatu est. Sannis utique contumeliisque excepturi fuissent Lutherani Romanum Pontificem, licet Petri Cathedræ impositum, si à se suisque privatim Cardinalibus, aut Doctoribus, cusam fidei Confessionem Protestantibus in Schmalkaldico aliquo cœtu obtulissent, tanquam veram unicamque credendi regulam toti orbi præscribendam. Et quæ novitia illorum est, à Luthero primùm nata, cum illa seculis Christianorum omnibus locisque celebrata Ecclesia? Visi tamen diffidere Wirtenbergici præfixæ à se regulæ, *quod solius Scripturæ judicio ferenda esset sententia*; cùm in sua Confessione præter hanc, nusquam aliquid definitè absolutèque loquentem, passim sanctos Patres, ceu fluctuantem Scripturæ sensum circumscripturos induxerint; suomet jam gladio jugulandi. Ut quid enim hi, si claram absolutamque Scriptura conficiat sententiam, loquantur? *Morbum* igitur *suum, remedio adhibito, profitebantur.* Modestè tamen prudenterque à Legato dissimulatum est, responsumque suo Patres tempore, quid sentiant, demonstraturos. Et duabus quæstionibus hisce adversum illos res utique confici poterat. Prima, cùm hæ illorum de fide theses, à S. Scriptura ibidem exhibita, in verbis sententiisque multum discrepent: cur profiteantur se ex sola Scriptura S. proferre sententiam? & si alia præter illam clarior supersit, cur hanc non potiùs, quàm sua verba deprompserint? Hic profectò hæsisset omnibus aqua, cùm inter tot Protestantium Confessiones, nec unus quidem articulus ex sola Scriptura loquente produci, humanis fallibilibusque verbis impermixtus, hactenus potuerit: aut siquis extet, multis defectibus imperfectæ Protestantium sententiæ à proposito deviet. Responsum igitur non poterat exspectari aliud, quàm humano discursu hanc Confessionis mentem, ex Scriptura deduci, ideoque Patres in hunc sensum depromptos. Unde alia nascebatur quæstio: Fallibilemne igitur hunc Patrum, aut suum etiam ex Scriptura discursum, an infallibilem censerent esse? Utrumvis assererent, constricti tenebantur. Si fallibilem dicerent, jam divinus non erat, neque Scripturæ S. conformis, ut ad fundandam Christi fidem sufficeret: si infallibilis, dabatur igitur infallibilis discursus hominum, eorum saltem, qui ex Scriptura suas conclusiones formarent, quod cùm Arriani, Antitrinitarii, Calvinistæ, Anabaptistæ aliique, præter Lutheranos facerent, & præ his omnibus Sancti Patres, atque antiqua Concilia omnibus his, in conclusionibus suis è Scriptura ductis, adversantia; hi non minus, quàm Lutherani infallibiles habendi erant; cùm tamen alii ex his aliorum conclusiones falsitatis arguant. Horum verò, quis erret, fallatve, aut non fallat, cum Scriptura non definiat, palàm est, ab hac sententiâ ultimò in rebus fidei controversis pronuntiari non posse; sed eundum ad Ecclesiam in Concilio

Wirtenbergici Confessionem suæ fidei Synodo offerunt, Scriptura S. & Patrum testimoniis firmatam.

Quæ duplici quæstione infringi tota poterat, & uno dilemmate elidi.

cilio legitimo congregatam, cui Deus Spiritum veritatis promisit. Quâ regulâ nulla inter mortales certior reperta est. Et unica hæc clava plusquam Herculea est, quâ & Protestantium Theologi, & quævis hæresum monstra profligari poterant.

LXXVI. Responsum à Synodo Mauritianis ad nupera postulata datum.

Mauritiani subinde post meridiem auditi, qui cum eadem, quæ supra apud Cæsareos, postulata urgerent; responsum habuère: *Dandam Theologis eorundem in Synodo Tridentina eandem, quæ in Basileensi Bohemis concessa sit, facultatem, disserendi nempe propalam, ac disputandi, cum charitate ac modestia. Ità enim habere verba: neque fas esse, ut veterem probatumque in Ecclesia Conciliorum usum subvertant. Quod postulent decreta jam facta revocari, ut si ab Oecumenico Concilio, (cui plures nationes defuissent) non sint sancita, id adversari propriæ illorum in Augustano comitio sententiæ, quâ disertè postulassent Tridentinæ Synodi œcumenicæ continuationem: continuari autem non posse, quod nunquam fuit. Quæ de Romano Pontifice, juxta Constantiensem & Basileensem Synodum subjiciendo, urgerent; mirum jure Patribus videri, cùm nec Lutherani quidem Constantiense patiantur, ut quo præcipui illorum articuli cum Hußiticis profligati sint, nec à Romana illud Ecclesia sub Martino Pontifice, nisi in articulis fidei, probatum sit. Basileensis verò Synodus à duabus aliis nobilioribus Ferrariensi ac Florentina eliminata fuerit. Et, cùm ipsi Iurisperiti sint, an nesciant, in omni Rep. ac Principatu, supremum denique caput, in rebus propriis, sibi legem judicemque esse debere, quòd alium, præter Deum, non habeat? cur igitur id negent Pontifici, quod suis non queant derogare Principibus? quem denique supremum Judicem sint facturi; si Concilium se supra Pontificem futurum asserat, & Pontifex, (quem caput Ecclesia Rom. agnoscit) se infra constituendum neget? æstiment ipsi; si Proceres se Principi suo: Princeps proceribus anteferat; quomodo judicium hoc finiendum sit, si alius superior defuerit? Adhæc si quæ jurata ab ipsis Pontifici sint, frustra laxari; cùm ad ipsa illa præstanda, quæ fidei propugnandæ integritatem spectant, jure divino teneantur. Æquum ergo videri, ut priscis Conciliorum legitimorum usibus & acceptâ, quam prolixam offerant, securitatis formulâ acquiescant, curentque, ut propediem eorum Theologi adsint, quorum jam iterum gratia Concilii sessio prorogandæ sit: ut agnoscant, quantum Patres concordiæ gratiâ maximis suis à se incommodis impetrari patiantur.* Hæc aliaque Mauritianis data responsa, & formula securitatis oblata est. Quam cùm Wirtenbergici, eis, quibus in Tridentino post sessionem XV extat, verbis accepissent, licet, non sine querimonia, neglectæ satisfactionis, ab urbe domum reversi, Principi suo obtulerunt.

LXXVII Theologi mißi vix ex parte Tridentum appulerāt, cùm Mauritius arma movit.

Alios subinde Wirtenbergicus Legatos, cum Theologis, inter quos Brentius, Tridentum destinavit. Et Mauritius suis, qui Augustæ substiterant, inter quos Melanchthon, præcepit; ut se quàmprimùm, licet nondum acceptis securitatis literis, eodem conferrent, jussique omnes in difficultatibus conciliandi propositis remittere. Jam enim is cum suis & Rege Galliarum, ad inferenda Cæsari arma expeditus stabat, quibus imminens à Synodo continuanda discrimen facilè sibi discussurus videbatur, interea spem Cæsaris, Oenoponti ad progressum Concilii vigilantis, hac obsequii specie sustentaturus. Quando tamen nova rursum instructi à Mauritio belli fama imperium pervagata Tridentinos terruit, cùmque

1551. que ſolum Imperatorem, tam enormis perfidiæ incredulum, non percelleret, Trevirenſem Archiepiſcopum, morbi ſimulatione Tridento, ad defenſionem ſuæ diœceſis, 16 Jan. abſtraxit, qui tamen loco ſuo Ambroſium Pelargum, acrem Dominicanæ familiæ Theologum, promovendæ Synodi gratiâ reliquit: cùmque deinde fama belli increbreſceret, Moguntinus quoque & Colonienſis Electores diſceſsêre XI Mart. Quando pridie advenerant Wirtenbergici Oratores, qui cùm ſemel iterumque difficultatum, aliis nuper expoſitarum Patribus, reſolutionem poſtulaſſent, juſſique illis eſſent, quæ Mauritianis data erant, reſponſis acquieſcere, Confeſſionem ſuam typis vulgaram, non ſine Pontificiorum indignatione, per diverſos ſpargunt, ne egiſſe nihil viderentur, & *hanc in actione publica per ſuos ſe tueri* Theologos *poſſe, ac velle profitentur, viderique proximam illam ad conciliandum viam; niſi fortè malint Pontificij jam lata à Concilio decreta novæ diſquiſitioni ſubjici.* Cui ſententiæ Argentinenſis, ut Schleidanus de ſeipſo memorat, aliarumque urbium Legati acceſsêre. Additque, Toletanum Cæſaris Legatum, in cujus ædes XXII Martii convenerant, amicè reſpondiſſe; *quod eo uſque progrederentur, & tam apertè agerent, lætari ſe plurimum, & gratias agere, relaturumque quamprimum ad Cæſarem, qui id cupidè ſit auditurus, de modo verò inſtituendæ actionis relaturum ad Patres.* Sed quod Creſcentius Pontif. Legatus morbo, qui eidem lethalis fuit, correptus teneretur, & plures Epiſcoporum metu belli dilaberentur, Auguſtâ tertio Aprilis & obſidionis die à Mauritio occupatâ, hæſit res tota, & Concilium prorogatum eſt, ac fugientibus omnibus, cùm ad Alpium fauces occupandas miles adventare diceretur, illo veſtigio quo expoſui ſtetit. Poſtquam ſeſſione XVI ſuſpenſio illius, Pighino Legato Pont. præſidente. decreta eſſet 28 Aprilis. Hiſpanis duodecim nequicquam proteſtatione editâ, reclamantibus. Quocirca hoc Concilium pænè decennio ab Aprili Anni MDLII uſque ad MDLXII Januarium Menſem variis impedimentis retardatum ſubſtitit. Quando demum ſub Pio IV Pontifice & Ferdinando I Imper. Proteſtantibus ejus periculum detrectantibus, menſe Decembri anni MDLIII ſeſſione XXV abſolutum eſt, jure inter nobiliſſimas Eccleſiæ Catholicæ Synodos reponendum.

Audito Mauritii adventu, & fuga Synodalium cõſpectu, Proteſtantium Theologi ſe offerunt Synodo, ad ſuarũ theſium probationem.

LXXVIII.

Maurit.^9 inſtructo exercitu & Gallicis fretus opibus, contra Cæſarem pergit, variasq; urbes reſtituto Lutheraniſmo occupat.

Mauritius variis deluſerat Cæſarem artibus, Magdeburgo Caroli quidem auſpiciis victo, legibusque dedito, ſed clam in ſuam fidem recepto, addictaque ſibi tam illius, quàm propriâ Cæſaris militiâ, tum verò Haſſis Sacramento obligatis, Henrico verò Galliarum Rege per Albertum Brandeburgicum in ſocietatem armorum, eâ lege admiſſo, ut octoginta in menſes ſingulos penderet Germano militi alendo aureorum millia, tum proprio ipſe etiam exercitu Lotharingiam invaderet. præmium ſuæ iſtic, in regione inermi & ad defenſionem imparata, facilè collecturus operæ. Hæc tantâ, & ſuorum fide, & propriâ adornarat induſtriâ, ac denique circumventi Imperatoris, per ſimulationem fidelitatis, deceptione; ut perfidiam in homine boni omnes, præter unum Carolum, vererentur. Cui perſuaſerat, ipſius, & publicæ tranquillitatis ſervandæ commodo, hunc cogi alique militem, tum verò propediem ſe eidem Oenoponti adfuturum, rationesque factorum redditurum affirmabat, quod Imperator jam frequentibus nuntiis

exe-

1552.

exegerat, ſpemque fecerat Landgravii in libertatem (quod Legatis nuper miſſis Principes Proteſtantium oraverant) ipſo præſente reſtituendi. Jamque etiam, quò Caroli exſpectationem ſuſtentaret, Mauritius præmiſerat, qui hoſpitium venturo præpararent, ipſeq; viam lentè ingreſſus ſpeciem ſecuturi prę ſe ferebat, donec jam ad expeditionem militarem prompta ſtarent omnia: tum ſubitò iter relegens, cum Alberto Brandeburgico, duobus Landgravii filiis, Megelburgi & Pomeraniæ Ducibus, liberarumque urbium Legatis, ac Salernitano Principe, recens Toletani Proregis injuriis provocato, octo & triginta peditum, & quatuor equitum millia, Veris principio in Carolum duxit. Noriberga, Nordlinga, Donawerda, vicinaque circum oppida, denique & Auguſta venienti patuit, novumq; è Proteſtantibus Senatum accepit, Romanâ paſſim religione per reductos novi Evangelii Miniſtros profligatâ. Nec veritus fuit, ut Proteſtantes cauſæ ſuæ conciliaret, potiſſimam belli cauſam, religionem ſcripto publico obtendere, quæ ſub titulo quæſitæ etiam libertatis, quem Galli ſolùm uſurpabant, non obſcurè eminebat. Ut, licet Henricus Rex ſeveris in regno Galliarum ſuppliciis Lutheranos opprimeret, ne hæreſi in Germania faviſſe videretur, ſuorum tamen armorum dedecus hoc velamento non ſatis obumbrârit. Sed ex vulgatis omnium literis cauſas audiamus. Mauritius ita loquitur: *Nihil*, inquit, *in humanis rebus antè concordiam habendum eſſe, quam graviſſimis etiam armorum remediis non immeritò procuremus, ſe illam ſuis actionibus, tanquam metam præfixiſſe ultimam, in quâ tandem, & jactata religio, & Germania, res duæ, ſibi longè cariſſimæ, juxta ſecum acquieſcerent. Spes illas pacis jam dudum & ſibi, & Germanis factas, dilatas ſemper: inconſtanti quorundam ingenio, qui novis indies decretis facta atque infecta confundant, ſuamque fidem, ac ſpem alienam in lubrico deſtituant. Pollicitationes tam facilè dari, quàm reſcindi, prout novæ ſeſe ſpes motusq; objecerint. Hoc deniq; agi, ut coacta religio ſerviat, idque Germani credant, quod externi imperaverint. Neque verò horum arrogantiam atque ambitionem latere poſſe, quæ in ipſa Germaniæ luce, tot argumentis proſtet. Per religionis diſſidia, monarchicum in Germanos imperium; per monarchiam, fidei opprimendæ jugulum peti. Cœcos atque etiam excordes meritò habendos, qui illas nuperas nec videant, neque etiam doleant machinationes, quibus expoſitam Auguſtæ religionem adverſarij oppreſſum eant. Viſos paſſim in Eccleſiis verbi divini præcones obmutuiſſe, aut proſcriptione exules, aut metu exanimatos. Promiſſam Concilij ſententiam gladio præoccupari, & vim jam partes agere veritatis. Proinde neminem crimini daturum ſi mentis ac conſcientiæ ſervitutem æquis armis amoliatur. Verùm tamen id ſe Deo magis vindici relinquere, quàm armorum ſuſcipere judicio diſceptandum. Aliam non deeſſe belli cauſam, ad quam ex fide Landgravio ante annos quinque præſtita, teneatur. Se, Ioachimum Brandeburgicum, ac Wolffgangum Palatinum, fidem ſuam, aut arma pro libertate obtuliſſe. His teneri, poſtquam ille, ex pactionis formulâ, Cæſari ſatisfecerit. Iam diu enim, & ſolutam Mulctæ nomine, pecuniam, & tradita belli tormenta, & arces ſolo æquatas, & literas confederationis exhibitas, & Henricum Brunſuicenſem unà cum filio captivitate liberatum, nihil deeſſe præter æquitatem. Hanc neque uxoris, jam doloris vehementiâ oppreſſæ, lacrymas, neque filiorum obteſtationes, neque ſuas ceterorumque Principum interceſſiones ab obſtinato Imperatore obtinuiſſe hactenus, ut extrema iccirco reme-*

Belli ſuſcepti cauſæ à Mauritio exponuntur.

Religionis oppreſſæ injuriam Deo ſe vindicandam relinquere, ait, Haſſiæ tantùm Principis, & Germaniæ ab externis preſſæ quærere libertatem.

1552.

*diorum occupanda fuerint, ne alienæ calamitati, ac ſuæ etiam exiſtimationi defuiſſe iniquè videantur. Non jam obſcurum eſſe, quo immeriti tam diu Principis carcer ſpectet, qui aliis aliisque litibus vafrè intentatis, præter omnia gentium jura ex vinculis cauſſam dicere cogatur: damnatus ante, quàm accuſatus. Hoc nimirùm agi; ut ſuis denique, cum filiis, exutus poſſeſſionibus, alienæ potentiæ atque ambitionis fiat additamentum, quæ in Germanorum Principum oppreſſione monarchicæ fundamenta magnitudinis collocavit. Accedere his tertiam, eamque non minus gravem bellorum cauſſam, violatam ab externo milite Germaniæ tranquillitatem. Adverſum pacta legesque hunc in Germaniæ penetraſſe viſcera, & , tanquam peſtilentem morbum, in omnia acerbè membra graſſari: Nulli, neque ditioni, neque ordini parcitum, ubique & libidinis, & avaritiæ, & crudelitatis vulnera lugeri. Exterorum verò Regum Legatos his fortaſſe malis antidotum daturos, procul à conventibus atque Imperij finibus arceri, ut in tanta malorum deſperatione etiam remedia Germanis prohibeantur. Eo conſilio, quò debilitatæ oppreſſæque poſtremùm Germaniæ, illæ ab externis gentibus leges imponantur, quibus cum Imperio ſervitutem accipiat, deteſtandâ apud poſteros temporum noſtrorum ignaviâ, quâ, præſtantiſſimum Imperij noſtri ornamentum, libertatem, nobis eripi, atque ad gentis unius voluntatem transferri ſegnes atque inulti ſpectaverimus. Quod ne fieret, ſe atque Guilielmum Lantgravij filium, tum communi, tum paternæ calamitatis ſenſu provocatos, arma ſumere, fœdere cum Henrico Gallorum Rege ſociatos. Hortarique omnes patriæ libertatis amantes, ut ad totius Germaniæ cauſſam arma conjungant. Hoſtis ſibi loco futuros, quicunque illa aut adverſariis junxerint, aut ſuis conatibus obſtiterint.** * Subſcripſit his literis Albertus Megelburgicus Dux, religionis præcipuè defendendæ ſtudio inductus, quam privatis ſe vocibus potiſſimùm tueri Mauritius teſtabatur. Publicis tamen ſcriptis religionis nomen parcius uſurpatum eſt; tùm ut uſurpato nuper Imperatori artificio eundem rurſus peterent; tùm ne Galliarum Regem ab hoc excluderent fœdere, cujus opibus ac potentiâ magnoperè nitebantur, tùm denique, ne orthodoxos per Germaniam Principes religionis ſtudio ad ejuſdem defenſionem provocarent, poſt ſubjugatum Imperatorem, eos armatâ perſuaſione in ſuas facilè partes, aut victoriæ præmium traducturi. Albertus quoque Brandeburgi Marchio ejuſdem propemodum ſententiæ literas vulgavit. Adjecit etiam: * *Ad externos & ignobiles ſummam conſiliorum per imperium malè devolvi: ſigillo imperatorio peregrinos homines ad Germaniæ detrimentum abuti. Non jam eſſe, qui linguâ patriâ res ſuas cum fructu, aut compendio in aula tractare poſſit: alienas linguas, manusque neceſſarias, quibus neque fides ſit in expediendis negotiis, neque maturatio. Hæc patientibus, querendi etiam facultatem eripi, niſi cum damno offenſionem cupiant; & præter opes ac libertatem, gratiam quoque profundere. Proteſtantibus & arma, & armorum impenſas incubuiſſe, bellum pro Repub. imperatum Germanorum Principum ære gerendum primò, deinde & luendum pecuniarijs mulctis fuiſſe: quibus nocentes atque innoxij ſtringerentur; ut ſuccifis belli nervis ad repellendam ſervitutem vires Germania amitteret. Eam eſſe militaris per Germaniam vitæ licentiam, ut à publico latrocinio vix bellum, niſi ſolo nomine, differat, cædes, & rapinas, & regionum devaſtationes jam præcipua militiæ officia videri; ut non alia ſit propinquior Germaniæ opprimendæ via, quàm ita defendere. In qua ad peregrinorum hominum mores & licentiam patriæ leges, ad cupidita-*

Quare religionis cauſa quæ præcipua erat, diſſimulata fuerit? & quid Albertus Brandeburgicus prætenderit?

tem

1552.

*tem opes transeant, quanquam illæ ut subitus imber, magis profundantur, quam prosint, cùm malè parta, malè dilabantur, & militiæ onera in alios, in alios ferè præmia distribuantur. Insolenti præterea edicto vetitum, nequis Germaniæ Princeps suam in moneta effigiem vulgaret. Senatores passim in urbibus Cæsaris arbitratu, dignitate motos. Tribunalia judicum atque æquitatis leges ad paucorum voluntatem adstringi, quibus & in viros Principes stabiliendos movendosve potestas maneat. Bellum se igitur, non propriis ductum emolumentis, ut nonnulli malè interpretentur, sed patriæ oppressæ servitute provocatum suscipere. In quo si fortasse nimia illa virorum Ecclesiasticorum potentia, sacris literis adversaria, nonnihil infringatur, sibi vitio dandum non esse: cùm ex hoc fonte pernicies illa Imperij gravissima ducatur; ut mirum non sit, si in suo maximè principio exundet. Sui tamen propositi non esse, ut illa conservandæ nobilitatis collegia subvertantur. Verum illatis purgentur vitiis, ad majus cùm proprium, tum Christianæ Reip. incrementum.** Hæc Albertus.

Quibus suam etiam profusiore scripto Rex Gallus sententiam bellique suscepti rationem addidit.* *Mearum, ait ille, & partium & curarum esse duxi, ut postquam à morte parentis Remp. domi constitutam haberem, beneficia in proximos atque amicos effunderem, aliisque benè merendo, aliis respondendo, promptâ in omnes benevolentiâ, satisfacerem. Quocirca per me Scotia pristinæ dignitati restituta, recuperata Bolonia, cives urbibus, agris coloni redditi. Pax ad Anglos, fœdera ad Helvetios propagata. Solus est Carolus, cui neque pax ulla tam grata, nec tam sancta fœdera, quæ occultis machinationibus non labefactet. Hæc regni, privatisque intentus curis jam dudum dissimulavi verius, quàm ignoravi, dum intelligo patientiam mihi & fraudi esse, & crimini verti, timiditatem hanc atque ignaviam appellari, ut si ad justam ultionem vel animi, vel vires deficerent. Excitant præterea graves æquissimæque Germanorum Principum atque Ordinum querimoniæ. Hi sub religionis quæsitæ pallio, sub rebellionis plectendæ specie ad fœdam sese abduci servitutem deplorant. Vnam esse Austriacorum familiam, quæ insolenti potentiâ neminem timere, timerì ab omnibus cupiat. Durum me, atque inclementem existimarem, nisi horum calamitate tangerer. Origo nobis cum illis eadem est, consuetudo vetus, inviolata hactenus amicitia. Germani sunt, id est fratres nostri. Meâ verò etiam interesse sensi, stare in pristina libertate, Germaniam, ne totius Europæ propugnaculum, vires in servitute amitteret, Galliamque opportuno nudaret præsidio. Nec ignoro Cæsaris in hoc artes versari, ut Germanorum animos à Gallis separet, armis inimicitiisque hos illosque committat; quò denique facilius utrosque sub jugum cogat. Quod una domus toti Europæ jam dudum machinata est, nisi deessent qui recusarent. Iam hoc agitur quoque ut in unius ærarium, cujus immensa est vastitas fundus nullus, Germaniæ universæ opes coeant: suisque deinde viribus expugnetur: testimoniis ad hanc rem opus non esse, cis ultraque Rhenum luculenta hujus cupiditatis extant vestigia. Leodium, Cameracum, Geldriam, Iuliamque, Burgundiones & Treviros, Wirtenbergicos & Hassos, præter alios complures, testes habeo: mille hæc querelis & lacrymis consignata sunt. Qua verò injuria nostri ista nominis est, ab Imperij conventibus Legatos rejicere, quos & amicus Principum, & Cæsaris fœderatus destinaret? an perfidos nos, aut proditores facit? an nec gentium quidem jure consanguineis Regibus frui licet? Quâ verò ipsius autoritate, aut merito nostro Germani à Gallica arceantur militiâ? an illi tot retrò seculis inveteratam consuetudinem abolere licet, salvâ Germanorum libertate, ac communi necessitu-*

Rex Gallarum quas belli attulerit causas.

situdine? An supplicio dignum facinus in Vogelbergio, aliisque nuper heroibus fuit, Gallico stipendio militasse? quàm verò immane ad eorum hominum cædes, percussores conduci pretio, & flagitia mercede æstimari? Nihil ego de corruptis in Germania Iudicum tribunalibus illo præsertim, quod vocant, Cameræ, in quo nihil integrum syncerumque, ad paucorum arbitria jus summum injuriæque revocantur. Quæ lubent, licent, & voluntas cuique aut cupiditas, pro legum regula est. His equidem malis nisi occurrerem, Germanorum mihi & preces & vilem amorem ostenderem: nullâ viciniæ, nullâ æquitatis curâ tangerer. Rationi igitur, amicitiæ, justitiæque flagitanti obsecutus arma sumpsi, tam æqua, quàm hæ omnes causæ faciunt; tam seria, quàm Galliæ vires patientur, quibus me meamque fortunam impendere nequaquam formidabo: ut Germania intelligat, quantùm Galliæ ad libertatem conservandam possit tribuere. Quodsi Flamineo olim gloriosum fuerit, à servitute vindicare Græciam; libentius equidem de asserta in libertatem Germania gloriabor. Tantorum sanè Principum incolumitate gaudebo, quantus Philippus & Fridericus est nobilissima suæ gentis capita. Hos indignâ captivitate tot annis constrictos teneri diutius non feram, aut vincula exuent, aut iisdem unà induar; liberator, aut captivus accedam. Non alia bellorum causa est, quæ incepit servitus Germanorum, libertas absolvet. Quocirca falluntur, qui in ordinem Ecclesiasticum armari me existimant. Hic me non offensum modò, sed amicum etiam accipiet ac patronum, nisi fortè hostem exspectare malit meis favendo hostibus. Hoc agam ut post integram libertatem sua etiam religioni constet integritas, quæ malè per servitutem suadetur. Quæ cùm hujusmodi sint, ut non ad Galliæ emolumentum, sed Germaniæ salutem referantur: æquum erit accedere his meis conatibus Imperij incolas, & amici voluntatem Regis consiliis auxiliisque conjunctis promovere. Quodsiqui usque adeò ab omni pietate atque officio in patriam remoti fuerint, ut moram objicere tam promptis obsequiis, ad illorum commoda impensis, non vereantur, hos tanquam inimicos salutis propriæ atque alienæ ferro flammisque vastabo, & vel invitis libertatis beneficium offeram. Cetera ex Legato meo Ioanne Fraxineo, Bajonensi Episcopo, intelligetis Hæc, in pluribus, hujus regiæ dissertationis præcipua fuêre argumenta. Præfixit in fronte usurpatum olim à Julii Cæsaris percussoribus symbolum, pileum decussatos inter pugiones, libertatis gladio vindicandæ imaginem. Regis caussam militiamque alebant ex Germanis Duces Ringravius, Recrodus, Rifebergus & Schertelinus, gravissimo nuper edicto à Cæsare proscripti, constituto percussori cujusque quatuor millium aureorum præmio, qui vivos intercipere non potuisset.

LXXIX. Multa à Mauritio ad Danubium, à Gallo & Brandeburgico ad Mosam occupantur.

Dum ita calamis typisque in famam fortunasque Cæsaris grassantur, ferreis etiam stylis non segniter pugnatum est. Danubium sibi Mauritius, Albertus & Rex Galliæ Mosellam vi sibi ferroque vendicabant, magnis utrobique successibus; quod ante propemodum arma, quàm armorum metus homines percelleret. Annæus Monmorantius Comes stabuli, & armorum Præfectus, quem Rex titulo subsidii Germanis præstando miserat, Tullum, Virdunum, ac Mussipontum imparatas à milite urbes facilè tenuit. Metim deinde, & civium & artis robore munitissimam, astu subiit. Nam cùm solùm cum gemina cohorte aditum, & pro oblato ære alimenta sibi præberi postulasset, receptus idibus Aprilis porta miles, dimoveri non potuit, civibusque factione inter se, ut dudum fuerant, divisis, aliis-

que

1551.

que in Cæſarem, aliis in Gallum, cujus opibus fovebantur, propenſis, ac Lenoncurtio denique Epiſcopo ſuaſore hujus ſtudiis dedito, urbe totâ admiſſus eſt. Quâ clave traditâ, Lotharingia Henrico univerſa patuit, primùmque libertatis Germanicæ à Gallo promiſſæ, fructum tulit ſervitutem. Nam Rex cum alio ſecutus exercitu, Nanceium Metropolim, deſtitutam præſidio, & terrore prius, quàm armis oppugnatam ſubiit, caputque gentis Carolum novennem, ex Franciſco non ita pridem defuncto relictum, puerum Chriſtiernæ Matri, Caroli Imperatoris nepti, fruſtra lamentanti obnitentique à gremio avulſit, atque in Gallias ad Claudiæ filiæ ſuæ nuptias educandum transmiſit, ne occupatæ Lotharingiæ titulus, à regiis adulatoribus ab avis nequicquam ſuſcitatus, deficeret. Hinc ergo Rex ſine certamine paſſim victor, Tullum, Virdunum aliasque urbium, ac demum Metas ingreſſus, exarmatos ubique cives, ſacramento, quod Cæſari nondum abdixerant, in fidem Gallicam tranſire juſſit. Hac ſorte lætus Ciſrhenanæ Germaniæ, quam à Carolo Magno uſque Galli repetunt, occupandæ adjecit animum, Julio etiam Cæſare autore fretus, qui Galliam à Germania Rheni limitibus aquisque diſtinguendam cenſet. Miſſo igitur Rheingravio locorum gnaro ad expugnandos Treviros, hos collectis viris viribusque ad hæc diſcrimina avertenda, quamvis infirmiore in urbe, promptiores reperit: unde plurimùm ſua intereſſe ratus, ſi, munitiſſimum Germaniæ propugnaculum, urbem Argentoratum occupaſſet, Monmorancium prævium tentare ingreſſum jubet. Cùmque cives ad aliena pericula cautiores, & quinque millium copiis inſtructos, & ad promiſſa minasque inflexibiles comperiſſet, Rex fruſtra conſecutus, deflexa Hagenoam & Weiſſeburgum viâ, haud magno impendio parùm arte viribusque munitas urbes invaſit.

Tam ſtrenuo Mars Gallicus incedebat pede, cùm Saxonicus haud iret ſegnior. Nam Mauritius ad præcludendas ſubſidiario ex Italia Cæſaris militi Alpium fauces (quod ſuperiori bello neglectum) progreſſus, haud levi Cæſarianorum clade Erebergum fortiſſimam ad Lechum flumen arcem obtinuit. Unde jam Cæſarem Proteſtantes ſe Oenoponti tenere incluſum rati, literis 28 Maii Auguſtæ vulgatis Fraxineo Galliarum Epiſcopo RegisqueLegato præſente, decretum vulgarunt: quo fatentur; *tuendæ religionis libertatisq́; Germanorum cauſſa ſe potiſſimùm arma ſumpſiſſe, ideoq́; velle jubereq́;, ut exules ab Eccleſiis Miniſtri, injuriàq́; cum Ludimagiſtris pulſi ſuum in locum amotis ceteris reſtituantur, juxtaq́; Confeſſionem Auguſtanam ab utrisq́; populo ac juventuti tradatur, nec Pontificio idolo locus ſit*, idque Auguſtæ, aliisque locis, quibus Miniſtri exularunt, fieri per Magiſtratus imperant. Quanquam Mauritius ita bellum adminiſtraret, ut pacis curas non excluderet, ad quam à Ferdinando Rege jam Lincii provocatus, ſe inclinante fortunâ, tanquam ad aſylum cœptæ audaciæ recepturus erat, ne parem cum Saxone cognato exitum ſortiretur. in occupando Cæſare ſuam verti felicitatem exiſtimabat, quod illo ſecuro, nihil ſibi ſecurum crederet. Quare ſubitò Oenipontem ad hunc opprimendum ferebatur, tantâ celeritate ac conſiliorum diſſimulatione, ut ſui famam adventus propemodum aſſequeretur. Cæſar in tam præſenti diſcrimi-

Schleid, in Com. lib. 24.

Cæſar vix Oenoponte Mauritiũ fugiens evadit, omni apparatu in manibus ejus relicto.

1552. ne, quamvis adversâ non minùs valetudine, quàm sorte premeretur, nox alta, & & cœlum tempestatibus inquietum sese objicerent: tamen hæc incommoda gravioris periculi timore perfregit. Relictis enim impedimentis omnibus, cum Ferdinando fratre in fugam effusus est, dum per Alpes Tridentinas Villacum subiret: oppidum est, Forojulii & Norici terminos complexum, Dravo incumbens flumini. Huc ille tot gentium victor, non jam de hoste ac victoria, sed vita sollicitus, lubrico ac difficili itinere, cùm nec equo vehi, nec pedibus posset incedere, à suis in lectica portatus est, fugâ tantò indigniore, quòd amicum ac clientem formidare cogeretur, qui ad nullos inimicorum vultus unquam trepidare conspectus fuerat. Mauritius Oenipontem consecutus instructam Imperatori cœnam, desertamque properantium metu reperit, quâ ipse cum omni relicto à Cæsare aulæ bellique apparatu potitus est. Rebus Ferdinandi (cui paucorum adhuc dierum tenebatur induciis) civiumque intactis. Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem jam superioribus diebus Imperator ultro libertati restituit, cùm nec Carolus, nec ipse Fridericus hoc Mauritio beneficium debere vellet; quod hic simulati magis obsequii, quàm syncera humanitatis esse sciret; profectum ab illo, qui ante annos quinque hisce vinculis, suâ dignitate ejectum, potissimùm induerat. Cæsaris igitur profugi vestigia sequi, quàm Victoris benevolentiam experiri maluit, & illius captivus, quam hujus libertus videri. Rex Gallus, ut res Cæsaris inclinatas tantò vehementiùs premeret, pacis cum Julio Pontifice ineundæ consilia cœpit, quam Turonius Cardinalis certis tantùm ad biennium conditionibus extendit, quo bello per Italiam suspenso, Pontifex se inter Cæsaris Gallique partes medium futurum pollicitus est, cui pactioni Cæsar ipse, spe pacis in imperium revocandæ subscripsit. Neque in hoc negotio Pontifex suam diligentiam passus est desiderari.

Captus Fridericus Saxoniæ Princeps dimittitur.

Gallus Pontificē aversum conciliat.

LXXX. Mauritius jam per Ferdinandum, cui plurimùm tribuebat, post tractatas ultrò citròque pacis rationes, ad hanc propiùs accedebat. Fortunam ille Cæsaris virtutemque reverebatur, metuebat suæ. Ex pari illum nuper emersisse periculo ad istam victoriæ felicitatem viderat, affluere sensim ex Germania Italiaque militem, Fridericum ex hoste captivo amicum subitò ac hospitem, amissæ haud dubiè inhiare dignitati. Suos se hoc bello inimicos in libertatem asserere, ac ferrum stringere autoris in jugulum retorquendum. Indictis igitur Passaviam, ex utriusque sententia comitiis, de absolvendis belli controversiis, magno partium studio disceptatum est. Sed Alberti Marchionis Brandeburgici, Regisque Henrici pertinacia, rerum secundarum usu confirmata, pacem esse communem non patiebantur, quam Bajonæ Episcopus Fraxineus, Orator Gallicus ambigua apud Principes oratione improbabat, facesque bello, quod primus suaserat, alendo, scriptis etiam in contumeliam Cæsaris literis subjicere est conatus. Et oratio quidem in Comitiis habita consuetam Gallorum in Germanos benevolentiæ veterisque necessitudinis commemorationem continebat. * Hujus maximè amicitiæ nexu florentes olim utriusque gentis Respublicas extitisse: inde Hungaros, Bohemos, Polonos, Danos Germanorum armis domitos: hinc Turcas & Sara-

Mauritius variis de causis ad pacē inclinatur.

Sed Brādeburgicus & Gallus resistunt, ne decedant occupatis, licet alias causas obtendant.

Saracenos per Aſiam, Africamque Gallorum armis ſubactos; quibus nunc per- 1552.
peram fingatur Rex Galliarum armis conſiliisque miſceri. Inveteratam Saxo-
num cum Francis ſocietatem à prima iſtarum gentium memoria deduci, quod
quidem amicitiæ fedus Philippo Auguſto Francorum Regi, aureis exaratum li-
teris, poſteritati mandare placuerit. Ex illuſtri quoque Luceburgicorum fami-
lia extitiſſe Cæſares Galliæ Regibus conjunctiſſimos, Caroli quarti parentem
pro Philippo Valeſio Francorum Rege adverſus Eduardum Anglorum pug-
nantem etiam occubuiſſe. Neque in Principibus Auſtriacis eam ſemper reper-
tam eſſe Gallis nocendi voluntatem, in his Albertum primum Rudolphi Cæſa-
ris filium Philippo Pulcro Gallorum Principi eâ fide amoreque adhæſiſſe, ut
nec pollicitatione, nec comminatione Pontificiâ ad hujus regni oppugnatio-
nem impelli potuerit. Carolum modò Imperatorem, cùm perverſis ſuorum
conſiliis, tum corruptis affectionibus, ad inimicitias cum Gallis traductum, illi
neque utiles neque neceſſarias, univerſæ verò Europæ, prorſus noxias. Jam mo-
liri, ut poſt fatalia in ſe invicem exercita odia, olim invictæ liberæque Germa-
niæ nationes alieno Domino in fœdam indignamque ſervitutem tranſcriban-
tur. Et ſuis quidem armis, alienis artibus expugnati. In unius Granvelliani Atre-
batenſis Epiſcopi manibus nunc & Imperii ſigillum, & Cameræ judicium, &
comitiorum jus libertatemque verſari, atque hoc poſtremò ſpectari, ut Ferdi-
nando Rege, vel coacto, vel pollicitationibus illecto, Principibus etiam incuſsâ
armorum formidine conterritis, Hiſpaniarum Princeps Philippus Germanis im-
peret. Rem fortiſſimis viris deteſtandam, quæ ad æternum liberrimæ hactenus
gentis, & peregrinis nationibus imperare potiùs, quàm parere aſſuetæ, dedecus
pertineat. Tam indignam ſervitutem Mauritium præclaro facinore conatum
amoliri, arma pro patria, pro ſuæ gentis libertate, pro nominis gloria apprehen-
diſſe. Henricum Regem ſuperiorum annorum offenſione depoſitâ, huc fidem au-
xiliumque imploratum contuliſſe, initis utrimque federibus cautum eſſe: ne
Germanis cum hoſte paciſci, niſi ex Regis voluntate liceat. Præter exſpectatio-
nem verò eveniſſe, quod Mauritius de pace nunc Regem ex longinquo conſu-
lat, coram in re tanti momenti agendum conſultiùs, idque etiam Henrici me-
ruiſſe beneficia. Verùm tamen ſi Reip. ſanentur hac pace vulnera; ſi idoneè, ne
recrudeſcant, caveatur; ſi captivi Principes libertatem habeant; ſi vetuſta cum
imperio Galliæ maneant federa; ſi initis nuper pactionibus non abeatur; obſta-
re Regem Mauritio nolle pacem ambienti: ſuam tamen cauſſam ab hac ſepara-
tam velle; cùm enim Cæſar multa per vim detineat, atque injuriarum occaſio-
nem injuriâ dederit, æquum eſſe, ut primam ſatisfactioni viam faciat, & juri im-
petrando, jus offerat *. Hæc Galliarum Regis Orator. Fruſtra verò poſtulatum à
Cæſareis eſt, ut de iis, quæ Carolus ſibi per injuriam vendicaſſet, diſertè enuntia-
ret: ne, cùm remedium quæreretur, laterent vulnera. Sed morbi quorundam ta-
les ſunt, qui aut verecundiâ teguntur, aut medicinam reſpuunt. Cùm tamen
Ferdinandus Rex & Albertus Bavariæ Dux cæterorumque Principum Legati ur-
gerent Henricum, ut quæ pacis cauſſa à Cæſare ſibi tribui vellet, ea ne celaret.

1551. Ita denique per literas à Legato oblatas respondit; ut præter verba nihil dare videretur.* Principum sese gratiâ ac voluntate in hoc bellum adductum, quod ut, nullo suo emolumento admiserit, ita nec pacis susceptæ consilia turbaturum: , Interea nullam sibi spem esse, æqua à Cæsare impetrandi, adeoque nec petendi, causam. Neque Galliæ Reges illos esse, qui pacem abjectis precibus magis, , quàm armis rogent, hanc ab inimicis orantibus exspectare, non ab imperantibus consuevisse accipere; iis præsertim, quibus nihil de viribus animisque concedant. Neque verò existimare se, postulaturos illud etiam à Rege Principes, ut, quicquam à sua statuat dignitate alienum. Sic illos se vicissim amplecti, ut ipsorum gratiâ de jure suo multa sit concessurus, nec recusare pacis amicitiæq; cum, Imperatore conciliandæ diem conventumque. Intellecturos omnes, quantùm, voluntatis ad reipublicæ utilitatem adferat, quam vana illa sint, quæ de Turcica, societate ab hostibus sui nominis circumferantur. Quod si tamen adversariorum, machinationibus hæc ipsius consilia evertantur, si fraudi exitioque Gallis novæ, illæ animorum conspirationes fuerint, futurum ut pro sperata pace, gravior belli tempestas concitetur, cujus, ne ipse autor videatur, præmonitorem esse.* His responsis, inter spem metumque conciliationis versantibus, sustinere Principum animos, suasque interea res bello partas firmare statuerat. Jam enim plus sibi emolumenti in armis collocatum videbat, postquam illa belli fortuna obtulisset, quæ immaturâ etiamnum pace retineri non poterant. Neque enim Lotharingiæ atque aliquot jam Episcopatuum occupatam possessionem, aut cedentis Imperatoris indulgentiâ, aut Principum Germanorum suffragatione sibi permittendam sperabat. Vim igitur sibi potiùs, quàm pacem exspectandam ratus, bellum finiri noluit. Ut non pauci jam denique Germanorum intelligerent, primum servitutis auctoramentum, ab oblato libertatis patrocinio duci, & raros esse Principes, qui aliis auxilium deferant, quo non magis ipsi adjuventur.

LXXXI. Cæsar causas belli à Gallis allatas, in eos retorquet. *Extat apud Bzovium his verbis.*

Cæsar intellectis illis quæ per Regem ejusque Legatum, tum oratione, tum literis in comitiis acta fuerant, ita respondisse fertur. * Etsi pergrave accidit, ut, cum rebus in Germania firmatis, omnia pacata domi crederem, bellum factiosis, quorundam machinationibus inopinatò exarserit: tamen id multò gravissimum, fuit, quod domesticis malis etiam externa injuria accessit, cùm Gallicum Oratorem, quem jam in consessu vestro non adversus me tantùm; sed contra imperii, majestatem debacchatum esse audiveram; nunc etiam per Epistolam nos acriùs, exagitasse cognovi. Patientiam vestram mirer, an potiùs Germaniæ intestinis, dissensionibus labefactatæ vicem doleam, nescio; quâ amicitiæ specie imponi sibi & illudi turpissimè ferat. Cùm Galliæ Rege pacem feci, factam religiosè coluì. Et quamvis ille multa hactenus licenter, multa superbè fecerit dixeritque, quæ ad injuriam nostram pertinerent, publici boni causa dissimulavi. Tandem, cùm ampla & magnifica omnia ejus Orator, qui in nostro comitatu erat, polliceretur, interceptis in Oceano navibus & oppidis in Subalpina regione captis, sine ulla denuntiatione nos terrâ marique oppugnavit, & hæc tamen ejusmodi, sunt, ut ab infesto hoste exspectari potuerint. Id verò minimè ferri potest, quod cùm

1552.

cùm nos prior illatâ injuriâ lacessiverit, prior de injuria accepta conqueratur, ‘ & cùm violatæ pacis culpam in nos falsò transferat, concordiæ quoq; sarcien- ‘ dæ à nobis viam aperiri debere contendat. Mauritio quidem antea, quamvis ad- ‘ modum durum videretur, ut externi Principis res Germanicis admiscerentur, ‘ hanc conditionem detulimus, ut pacis ineundæ rationes per federatos, quos vo- ‘ cant, Principes proponerentur, eas, si quidem non omnino iniquæ & inciviles ‘ sint, citra controversiam admissuri. Verùm ille, qui turbas amat, nihil certi aut ‘ definiti hactenus respondit. Sed dum dignitati suæ consulere præsefert, per arti- ‘ ficiosas moras hoc agit, ut bello inter nos excitato, me, & vestram dignitatem ‘ simul evertat. Jam quod communicatis cum Turca consiliis obiter perstringit, ‘ quasi abunde purgatum existimet, quâ fronte excusare potest? atqui penes me ‘ habeo Aramontii Gallici Legati commentarios Byzantii scriptos, & ad Regem ‘ per Costam centurionem quendam missos, qui societatis cum Turcis, in Chri- ‘ stiani nominis perniciem initæ, plenam fidem faciunt. Interceptæ sunt & nuper ‘ purpurati Budensis literæ ad federatos hoc tempore Principes aliosque datæ, ‘ ex quibus liquidò apparet superioris anni cladem à Turcica classe acceptam, ‘ in ipsum ut impulsorem conferendam esse, qui &, ut hoc anno idem fiat, non ‘ cessat Turcorum Imperatorem sollicitare. Quæ omnia si cum præclaris illis pro- missis, quibus adeò gloriatur, conferantur; nemini dubium relinquetur, quor- ‘ sum pertineant illius consilia, conatus, & affectata federa; eâ mente nimirum ‘ facta, ut me & Ferdinando fratre, veluti de medio sublatis, Germaniæ remp. in ‘ summum discrimen adducat, & singulis Principibus ac civitatibus oppressis, ‘ vastatoque eorum agro, etiam ope illorum, qui se imprudenter ipsi conjunxe- ‘ rint, quasdam Imperii civitates sub jugum mittat: quas tanquam hujus belli ma- ‘ nubias magno nostro cum dolore, summo certè cum Germanici nominis dede- ‘ core, ab ipso muniri & præsidiis firmari intelligimus. Hæc nisi vos præmoneát, ‘ non ampliùs miror, cur Oratoris Gallici literæ in consessu vestro admissæ & le- ‘ ctæ sint: quas si concordia, qualis esse debet, inter nos vigeret, rejici omnino o- ‘ portuit. Mihi certè quod nihil ad præsentem actionem pertineant, superfluum ‘ videtur quicquam ad eas ampliùs respondere.‘ Dolebat vehementer Carolus trium Episcopatuum, Tulli, Virduni, Metensisque jacturam, quam aliorum per Lotharingiam Belgiumque oppidorum amissione auctam videbat. Hæc in Gallorum manus improviso terrore, nullis militum subsidiis freta, inciderant. Rex tamen quamvis pacem respueret, è Germania in Lotharingiam reduxit militem, hinc Germanorum Principum, Moguntiaci, Palatini, Trevirensis aliorumque inductus precibus, qui ea de re per Legatos Weisseburgi interpellârant: inde armorum ex Belgio suis provinciis incumbentium metu.

Quantũ terrarum hoc bello Gallus imperio & Belgio ac Lotharingiæ subtraxerit, locis ubiq; immunitis receptus.

LXXXII.

Jam enim Martinus Rossemius, exploratæ virtutis miles, traducto in Campaniam exercitu latè omnia populabatur, atque Astenæum, Lotharingiæ ad Mosam, jam receperat oppidum, proxima quæque, nisi averteretur, invasurus. Maria etiam Belgii gubernatrix, comitiis Aquisgrani institutis, invitavit vicinos quosque ad armorum confederationem Principes. Cui Leodiensis, Coloniensis aliiq;

Belgarũ armis, & Principũ Germanorum postulatis Rex

1552. provocatus, militem reducit, & quædã apud Luxelburgios loca occupat.

propinqui haud difficiles accessere; solus Guilielmus Cliviæ Juliæque Dux, non sine Caroli aliorumq; offensione, sese subduxit, ac neutrarum esse partium, quàm Gallo adversari maluit, pristinisque ipsius obsequiis ingratus videri. Henricus igitur, quò suis subveniret, alienis terris illa interpretatione, cessit; ut diceret, se hanc deferre Germanis benevolentiam, gratiamque, & quorum libertatis causâ venisset, his in eam restitutis, iterum decederet. Tripartito itaque exercitu, per Alsatiam ac Lotharingiam, in Belgium deflexit, ac per iter recepto Atenæo, ac Theodonis villa ob firmitatem præteritâ Rodemacram vicinam expugnat, tum post Danvillerium Ivodium apud Luxelburgicos Petro Ernesto Mansfeldio Comite fortissimè propugnante vi obtinet, & Robertum Marcanum, quod castrum Bullionis, quantùm videbatur impenetrabile, regionis caput occupasset, Ducem Bullionium pronuntiat. Rossemius, post excisam Picardiam & Hesdinum interceptum, cùm impar regiis ad tutiora rediisset, Rex exercitum hoc itinere morbis rerumque penuriâ vehementer attritum, denique sub exitum Julii, in hiberna dimisit. Metasque per Ducem Guisium, cum parte copiarum immissum, aliasq; Lotharingiæ urbes arcesque muniri, quantâ potuit sedulitate, jussit; ne citò parta citò dilaberentur, pretiumque præclaræ libertatis, à Christianissimo videlicet Rege in Germaniam reductæ, amitteret. Sed animadvertit tum denique imperium, se brevi in servitute Gallorum fore, si suam ita sæpiùs libertatem propugnaret. Dissimulandum tamen Acatholicis Principibus, qui hoc pacto religionis suæ libertatem vendicârant; ne cum Rege seipsos, qui hoc ostium panderant, in crimen vocarent. Catholicos suæ etiam tarditatis ignaviæque pudebat; qui dum Gallum offendere verentur, & partium medii hostem nullum vellent, nullum postremò habituri erant amicum, neque aliud consilii beneficium, quàm quod Ulyssi Polyphemus detulit, ut ceteris sociorum devoratis, victima ipse ultima accederet. Gallus sanè Trevirim, Spiram, Moguntiamque intentata, quamvis absque successu, non reliquit. Cujus tamen declinatam armorum vim Albertus Dux immanitate, ut videbimus singulari, supplevit. Hæc nimirùm illa est Germanorum Principum, tum inter se, tum à suo capite dissentiendi libertas, quam recondito arcanorum consiliorum sensu Gallia sibi meritò defendendam statuit, brevi in illorum potestate futura, nisi suos Principes in servitute, Germaniæ in libertate contineret, ut cùm hic multi, illic unus imperat, distractas Germanorum vires unita faciliùs potentiâ sustineat; suosque inter hostes quandoque etiã fautores reperiat. Quem suum errorem Germania semper agnovit hactenus, nunquam emendavit; libertatis ad suum etiam periculum jacturamque cupida, eaque gentis simplicitate, quæ honestiùs existimat decipi, quàm decipere, quâ veluti ansâ, à vicinis nonnunquam Gallis circumferuntur, qui licet origine, ut lubenter usurpant, Germani; cum cœlo tamen mutatum ingenium est.

Germania Gallorũ auxiliis perditur, Gallia servatur.

LXXXIIII. Alberti Brandeburgici, proscripti ab imperio Ducis arma, ope

Interea dum pacem quærit Germania, Galliam Henricus firmatâ suis armis Lotharingia instruit, Albertus Brandeburgicus irarum tenax, quas ex proscriptione sui ab Imperio conceperat, Wolffgangum Melchingum Ordinis Teutonici Magistrum, suumque in Prussiâ æmulum, tanquam erumpens ex orco furia, armis

1552.

Gallorũ Germanis, cum excidio ſacrorum illata.

armis Germanorum & Gallico ſtipendio ferox, primùm ferro flammaque perſequitur, ingentique, ni omnia peſſundari malit, pecuniâ multat. Noribergenſibus deinde in fide Cæſaris perſiſtentibus, nec Alberti Galliæque Regis placita acceptantibus, quamvis Mauritius, ſimulatè ſaltem, obniteretur, vicos centum, caſtella, villasque civium facilè ſeptuaginta, ac ter mille ſilvarum jugera incendio ſuſtulit, additurus damno, niſi pacem ducentis aureorum millibus paraſſent, Herbipolenſem & Bambergenſem, quod Romanâ ſtarent fide integri, duriſſima pactione ſubegit. Ille enim, ut extrema Noribergenſibus illata declinaret, oppida ditionis ſuæ ac præfecturas viginti, clientelasque eidem omnes, confectis ea de re literis XIX Maii permiſit; hic quingenta quinquaginta dependit aureorum millia. Ulmâ deinde nequicquam obſidione minisque pertentatâ, Wormatiam in Vangionibus, atque in Nemetibus Spiram ſuæ poteſtatis fecit, duodecim aureorum millibus ab illius Principe extortis, & Catholicorum ubique cultu profligato, Moguntinus Elector merſis Rheno belli tormentis ad tutiora ſe tranſtulit, Trevirorum Archiepiſcopus Ehrenbreitſteinianam arcem juſſus cedere, propriâ ſe tutaque negavit ſtatione abire poſſe, Argentoratenſibus fruſtra etiam ſuo, & Galliarum Regis nomine, extrema interminatus, demùm intelligit pacem eſſe Paſſavii Cæſarem inter Mauritiumque concluſam. Quam implacabili Catholicæ religionis exſcindendæ cupiditate flagrans, ſummâ indignatione in Mauritium conceptâ excepit, pertinaxque Gallicorum armorum federi inhæſit. Tentatâ tamen nequicquam Francofurti, quod Mauritianus miles reliquerat, obſidione, Moguntiam proniori marte ſubegit, navesque illic ac Spiræ, etiam frumento vinoque onuſtas, flammis, ne Cæſar illac conſequi poſſet, conſumit. Tùm vaſtatis, in utraque diœceſi, exciſisque, quâ ſacris, quâ profanis, in Trevericam pari ſeſe immanitate effudit, & quidquid religioſarum illic inprimis domuũ ac Monaſteriorum (quorum inſignis numerus) non ſolùm exhauſit ſpoliis, verùm & incendio deformavit, quo, ſub ipſis Trevirorum mœnibus, tres Abbatiæ Benedictinorum periêre; & ſupra infraque Treviros munimenta duo fortiſſima Saræburgum ac Palatiolum cecidêre. Urbs, ut extremum evaderet excidium, hoſtem deditione admiſit, quam ut poſtremò ſine noxa deſereret, non ſine ingenti pecunia effectum eſt, cùm jam Cæſariani propius inſtarent.

LXXXIV.

Pax religionis inter Proteſtantes & Catholicos, magno horum detrimento Paſſavii inita.

Hæc inter, ut cœperam dicere, Paſſavii, legibus parùm ſecundis, orthodoxæ religioni pax ſancitur. Videlicet: *ut confederati Principes ante XII Auguſti diem ab armis diſcedant, copiasque ſine noxa imperij dimittant, militaturas Ferdinando adverſus Turcam, qui eodem tempore ex pacto Hungariam invaſerat, ne Rex fratri ſubvenire poſſet. Ad eum quoque diem Philippus Landgravius ſolutus cuſtodiâ Hiſpanorum ad Rhenum ſua in arce Rheinfeldia ſiſteretur, cautione tamen ſervandarum conditionum præſtitâ, pro qua, ut Hala Saxonum, ita hic quoque Mauritius cum Electore Brandeburgico fidem obſtrinxit. Illius cum Naſſovio Comite de Cattorum ditione controverſia, Principum Electorum Cæſarisque judicio, per delectos arbitros intra biennium definietur. Ad judicium imperialis Cameræ Auguſtanæ etiam Confeſſionis homines admittentur; ne partis utriusque cauſæ æquis judicibus deſtituantur. Ottoni Henrico Palatino, hactenus preſſo, integrum ſuæ dominium li-*

1552 *bertasque possidendi constet. Intra sextum mensem imperialibus comitiis & pax firmetur, & religionis dissidium æqua lege componatur, interea verò nulli, religionis causa, molestiæ creetur aut asciscatur periculum. Sui deniq; juris imposterum innoxiique sint, qui durante hoc bello fœderatis partibus adhæsêre. Proscripti recipiantur in gratiam, quique Regi Galliarum, dum adversus Cæsarem militat, hærent, eâdem gaudeant, modò intra trimestre ab illo discedant. In quibus & Albertus Brandeburgicus censeatur, modò ante XII Augusti diem copias dimittat.* His legibus vel à Principibus vel à Legatis subscriptum, hostisq; judicatus est, quisquis illas violasset. Quibus *Interim* illo famoso impositus finis est, & Saxonia, cum Vertumnis Ministris suis, pristinam religionis iterum larvam assumpsit, sub qua hactenus latet, nec suis quidem majoribus orthodoxis agnoscenda, quos nisi aberrationis à suscepto per Monachos sacrificosque Christianismo condemnet, seipsam condemnet necesse est, quæ tam dissimilem his suis institutoribus religionem consectatur; quam priscorum non ignari seculorum nullo rationis patrocinio queunt tueri; habituri, ut in vita fidem, sic à morte sedem longè ab iisdem diversam, quæ nisi nunc expendant mutentque consilia, serius vera nimium esse experientur.

LXXXV Carolus Gallum à pace alienum armis frustra aggreditur, Metasq; hiemali tēpore, sine profectu obsidet, Alberto in fidem accepto.

Pace inter Cæsarem federatosque initâ, Villaco ille Oenipontem atque hinc Augustam, magno tam ex Hispanis Italisque confluentibus, quàm Germanis Bohemisque repentè metuendus exercitu (Mauritio tamen cum Ferdinando contra Turcam progresso) Augustam appulit, innovatoque rursum magistratu, libertatem religionis intactam præstitit. Neque hic diu cunctatus dimisso abs se Joanne Friderico Saxonum Duce, ad relictam possessionem, animo, quàm consilio majore, contra Gallum ad Lotharingiam repetendam, vergente jam in autumnum anno, progressus est, Metisque opere & milite Francisco Guisio Duce firmissimis, cum octo peditum & tria equitum millia in urbe censeret, vim extremam admovere XXII Octobris cœpit, ut illius expugnatæ terrore reliqua omnia prona ad obsequium haberet. Quo etiam consilio, juratum ceterà, & suum & Catholicorum hostem, Albertum Brandeburgicum, Lotharingiæ finibus, cum Aumalio Guisii fratre inhærentem, à Gallis ad se traduxit. Is stipendiorum durus inter Gallos exactor, cùm non omnia ex voto obtineret, & Rifebergius, Hassicæ legionis ductor, qui manumissus partes Gallicas, dissimulante Landgravii filio, secutus unà fuerat, arte Francorum abstractus esset, indignatione in hos conceptâ, Cæsaris gratiam occupavit. Quo cognito in abeuntem Aumalius, Gallicas copias vertit, in quas Albertus, licet numero longè impar, & peditatu jam per Gallos corrupto, stipendiaque postulante, destitutus, equitatum tantâ alacritate pugnandi intulit, ut ruptis profligatisque ordinibus, Aumalium tribus vulneribus saucium interceperit, & tanquam victoriæ monumentum Carolo stiterit, majusque hoc facinore defectionis præmium tulerit, pactionibus, in quas Bambergensem nuper iniquissimas adegerat, parùm consultò à Cæsare firmatis. Gallis jactura sui Ducis, quàm Alberti gravior; quòd hujus, tanquam mali dæmonis ferociâ obsessi, Germanos opprimi mallent, quàm suos circumsederi. Neque operæ pretium expugnandæ urbi tulit. Exercitum Caroli ad centum millia peditum,

1552.

equitumque duodecim pervenisse asserunt, machinas bellicas cum exercitu tripartito admotas mœnibus centum quatuordecim, tantâque illis vehementiâ, tonitruque impulsas, ut tridui itinere dissiti strepitum horrificum exciperent. Septem ajunt fossorum millia, cuniculis aliisque operibus adhibita, ut viribus nullibi Cæsar majoribus, nullibi rursum minori profectu egisse credatur. Nam propugnantium non impar virtus, seu defendenda munimenta urbis, seu in hostem extra mœnia eundum; Gigantes utrimque pugnasse crederes, quibus levis suorum clades erat, modo superessent adhuc aut vincendi, aut victores. Neque, tam Carolus, quàm Guisius (quæ utriusque ad pugnandum erat constantia) ab ultimo virtutis experimento deducendi videbantur, nisi hiems in Decembri sævissima, nivibusque impedita adversus Carolum de cœlo bellasset. Cui, jam tertiâ militum parte consumptâ, reliquisque inclementiâ brumæ stupefactis, cedere demum coactus est, anno, ultimâ Decembris die, ante urbem conclusò. Cum quo, velut evoluto jam felicitatis stadio, Caroli fortuna cursum absolvisse visa est, neque ex familiari ipsius symbolo *plus ultra* voluisse; Superis, ante Metas, metam Carolo mortalis gloriæ figentibus. Non paucos ferro ac frigore morbisque dyssentericis afflictos ante urbem discedens reliquit, quos eâ humanitate intra mœnia excepit fovitque Guisius, ut ad amicos se venisse crederent, dignumque prædicarent Principem, qui de Cæsare tot hostium victore triumpharet. Is solennibus Deò gratiis supplicatione persolútis Lutheranos, quâ potuit diligentiâ, exustis publicè per Carnificem libris, totâ urbe persecutus est, ne aliam in his perfidiam nisi quâ contra Cæsarem res Galli promovissent, probasse videretur. Quanquam denique per Galliam, justo Dei judicio, invalescente, quam in Germania fovebant, hæresum peste, quin regnum regiamque sedem ipsam occuparet, parùm abfuerit; nisi dissimili gratiâ, Alexander Farnesius è Belgio suppetias tulisset, Parisiosque ab interitu vindicasset. Tantò illustriori facinore, quantò minori id factum Gallorum merito, & majori Belgarum detrimento, qui hanc sui Principis pietatem, amissis urbibus non paucis, & profligata in iisdem religione, luerunt. Quamvis pœnâ Ecclesiæ Dei non pœnitendâ, quòd minori malo longè maius averterit, & cùm flammam in domo proximi excitatam extingueret, consuluerit etiam propriæ. Quo consilio, si Henricus Rex Galliarum adhæsisset contra hæreticos Carolo, nec Germania, nec Gallia tam turpi incendio conflagrassent.

Guisii in afflictum Cæsaris militem humanitas, & odiũ hæresis, quã sensim Gallia infecta est.

LXXXVI.

Nec Hungariæ feliciùs inter has Germaniæ turbas consultum est, cùm ex discordi illius studio sua plerumque Turcæ emolumenta decerpant, similes canibus, qui dum corvi vulturesque de cadavere certant, optima quæque abripiunt. Segedinum illic præter arcem Christiani secundo marte occuparant, sed dum arcis obsidioni neglectius inhærent, per Alim Præfectum Budensem magnâ clade cæsi sunt, qui in monumentum suæ victoriæ quinque nasorum millia cæsis amputatorum, honestiori spolio, quàm præputiorum olim, cum 40 vexillis captivisque nobilioribus Constantinopolim ad Imperatorem misit; ac subinde victoriæ famâ usus Vesprimium haud magno molimine intercepit, præsidiariis metu potiùs, quam vi deditis. Quibus aut mors, aut captivitas intempestivæ deditionis præmium

Turcarũ in Hũgaria progressus, nostris dissidiis aliti, auxiliis parum repressi.

Isthua. ff l. 17 & 18 Natal. l. 5

1552. mium fuit. Contra fidem quidem, sed quam Turcæ perfidis non judicant deberi: ne honore scelus aut pretio æstimetur. Solimannus hoc successu utendum ratus Mahometem & Achmetem Præfectos, cum numeroso exercitu, submisit, qui Temesvarium fortissimum cum urbe munimentum juxta fines Transilvaniæ ad flumen Temesium, post gravissimam oppugnationem, deditione cepêre. Præfecto quoque ejus Losontio perfidè trucidato, ut Christiani discant adversus Turcam honesto militi, in pugna, aut moriendum, aut vincendum esse. A qua virtute Ferdinandeus passim miles visus descissere, quando territi exemplo Turcicæ crudelitatis, quâ & facilè se dedentes ob levitatem, & difficilè ob resistendi pertinaciam infelices cadebant victimæ, fuga sibi, Lippâ aliisque oppidis desertis, consuluêre, rati fugitivum pugnare iterùm posse. Mox gemino Hungaria subsidio levari cœpit, hinc Mauritii & Germanorum pace factâ, succurrentium; inde singulari Agriensium virtute, qui in urbe, nec situ, nec arte munita, sub fortissimis Præfectis Stephanis Dobone uno, alteroque Nesqueio honestè mori, quàm fugere turpiter maluêre, tantisque hæc animis consensuque incolarum defensio suscepta est, ut feminæ viris permistæ non secùs ac pro catulis pugnaturæ leænæ in hostem sese immiserint, arrogantiamque Mahometis adeò fregerint, ut tot virûm victor feminarum hic denique virtute inferior, X Cal. Novemb. confusione atque indignatione plenus cesserit. *Adeò præsens, ad evadendam mortem, contemptus mortis præsidium sæpè pugnantibus attulit.* Turcis itaque cedentibus, & incumbente jam hieme, Mauritius nullâ re gestâ in Germaniam se recepit, contra suum Imperatorem, quàm alienum hostem fortior, brevi tamen theatrum pugnæ novum reperturus in patria, ut si non pro illa, certè in illa, perfidiæ suæ teste, mortem promeritam reciperet.

LXXXVII. Turcica classis à Salernitano Principe Gallisq; magna clade & probro Christianorum evocata.

Sed maritima quoque classe Neapolitano regno metuendus Turca hoc anno incubuit. Salernitanus ejus regni Princeps, à Petro Toletano, Prorege Caroli, graviter offensus, ab utroque, ut supra memini, defecerat, & cum Henrico Galliarum Rege Protestantium in Germania partibus adfuerat; qui ut graviori Cæsarem feriret ictu, Henrico Neapolim occupari posse persuaserat, modò cum Solimanni classe, juncta se ductore Gallicâ, sociatis rem viribus agerent. Ille rogatus, potentissimam sub Dragutis & Sinanis, imperio classem miserat, quæ tempestivè in mare Tyrrhenum descendit, prosperaque navigatione superato Messanensi freto, Andream Auriam in Proregis subsidium properantem intercepit, ac septem ex quadraginta navibus captis, mersisque duabus, in fugam avertit, animis parem, sed viribus longè imparem. Verùm cùm Salernitanus Gallica 25 triremium classe, quâ aditum proditione speratum facturus credebatur, serius exspectatione Massiliâ solvisset, Turcæ, vicinis mari oppidis captis succensisque, prædâ captivisque onusti in Chium ad hiberna abiêre, & Salernitano nequicquam insequenti urgentique reditum, post exprobratam ignaviam, fidem in sequentem annum addixêre. Exclamat hic indignaturque Gallicæ nationis Scriptor nobilis, & suæ gentis Regumque contra alios amator singularis, Spondanus, hæc facta, *cum evocatione hostium Christianitatis, idque à Christianissimo licet Rege,*

In Annal. Eccl.

sub-

subjicitque dolens. *Ita cœcas hominum mentes in transversum agit ambitio, & à recto virtutis tramite dimovet!* 1552. *an.*1552. *num.*15.

At ego accusandos magis ejusdem gentis Ministros regios, eosque nonnunquam Theologos, & Episcopos rerum cognitione celebres, arbitror; quorum instructione, ab exemplis judaicæ gentis cum Ethnicis fœdera captantibus, ductâ, hæc consilia tanquam licita Reges amplectuntur, qui tamen horum auxiliis nunquam ad propriæ excidium Ecclesiæ sunt usi: quemadmodum nuper vidimus Bajonensem Episcopum, Regis sui, quam religionis observantiorem, Henricum ad Protestantium provocasse fedus, iisque in Germania adversus Cæsarem hæsisse Legatum, donec hic necessitate armorum rebelliumque pressus, deplorandam Catholicis, totique Romanæ Ecclesiæ Passaviensem pacem, libertatemque religionis admitteret. Ut illam Hispano-Batavicam, Germanicamque pacificationem, me, dum hæc primò scriberem, Monasterii Westphalorum præsente contractam dissimulem, quàm Pius ejus temporis Rex Ludovicus, si causis legibusque suis superstes agnovisset, nunquam admissurus, neque illa, unde hæc originem duxêre, fœdera probaturus fuisset, nisi Ministrorum perversa adulatione suasuque inductus: ut politicum axioma suum hi sapientes prosequantur, quo statuunt; *discordiam bellumque alendum in Germania; ut concordia & pax consistat in Gallia.* Quæ dum, quocunque etiam religionis neglectu, perpetrâtur, nescio equidem, quam possint habere excusationem: nisi fortè illam, quam Legatus Gallicus Monasterii, me audiente, ad hanc objectionem joco serio protulit, *fore, ut cùm Rex suus Germaniæ dominetur, facilè in sedem pristinam orthodoxam fidem reducat, atque accepta detrimenta majoribus emolumentis compenset.* Verùm hæc si solo perficerentur Gallorum desiderio, fortè esset, cur possent exspectari: nunc alios facilè metu, alios exspectatione absolvunt. Et ejusmodi politicorum consilia rem hoc tempore Catholicam in Polonia pessumdedêre, sub juniore Rege Sigismundo, quando è nobilitate Canonicus Premislaviensis Stanislaus Orichovius uxore ductâ, ideoque communione fidelium ab Episcopo exclusus, ut hæreticus, ejus rei cognitionem ad Laicos regni Proceres detulit, qui cum Orichovio faverent, Rege frustra obnitente, Augustanæ Confessionis libertas, cum alia hæresum irrumpentium fece hic aditum reperit. Isti Evangelico hospiti similis, qui admissus septem alios se nequiores introduxit.

LXXXVIII. Ministrorum regiorum corruptela quãtum mali afferat, etiam Regibus invitis.

Principiũ politicũ, sed non Christianum, quo Germanorum religio eversa est.

Flor. Ram de orig. hær. l.4.c.8. & seq.

Simili politicorum cõsilio religio in Polonia perit.

Imperator cùm Mussiponto in Lotharingia per Egmõdanum Comitem occupato, in Belgium ad hibernam se quietem contulisset, atque interea Dux Vendomius Picardiæ gubernator hiemis beneficio per congelatas paludes, tormenta pyria Hesdino admovisset, Croioque Reussi Comitis filio deditionem extorsisset, Carolus repositurus cladem exercitum Croio Duce Terovanæ fortissimæ Morinorum ad Lisam flumen urbi expugnandæ adhibet, nec infelici conatu, quem Bignicurtius, Croio ad Patris funus discedente, violentà urbis occupatione, & Gallorum captivitate IV Iduum Junii absolvit. Urbs inter Picardos Flandrosque limitanea, cùm ex vicissitudine fortunæ ac Dominorum, multo utriusq; gentis sanguine stetisset hactenus, à Cæsare funditus eversa est. Collegium Canonico-

Pôt Heuter. l.13. Belc. Thuan.

An 1553. LXXXIX. Datæ acceptæq; inter Gallos Belgasque clades Terova-

1553. na à Cæsare deleta, Hesdinum novum excitatū.

nicorum à Belgis Ipras, Episcopatus à Gallis Boloniam translatus est. Chronographicum excidii duobus his verbis complexi sunt: DeLetI MorInI. Subinde Emmanuel Philibertus Sabaudiæ Ducis filius ad exercitum præfuturus accessit, qui deluso Vendomio dum Monstreulio minatur, isque Hesdinensi huic milite transmisso urbi consulit, Hesdinum subitò deflectit copias, oppidumque primo impetu capit. Sed in arce fortissima vis major adhibenda fuit; hanc tamen, & ignivomis machinis, & cuniculis periclitantem, cùm Franci certis dedere legibus instituunt, pulvis in arce tormentarius fortuito correptus igne, atque ex eodem succensi cuniculi, unà, & magnam arcis partem & Francos cum Horatio Farnesio, magnæ exspectationis juveni, ac Regis genero, in auras evibrarunt. Quare & Cæsar idem, toties captum amissumque, everti jussit, aliud, cum minori amittendi discrimine, sequenti anno inter propinquas paludes excitaturus. Forma illud quadratum, munitione singulari per singulos assurgebat angulos, quos vastæ molis & cespitibus intexto conjunxit aggere, qui innoxius tormentorum ictibus resisteret, lataque circumdatus fossa, haud facilem invasuris præberet aditum: tutum Attrebatensibus propugnaculum, nisi præsidiarii, aut fides deficeret. Aliis deinde Monmorantius senior, qui filium in Terovana captum amiserat, copiis adfuit, conseditque haud procul Ambiano, ubi strictis fugæ specie insidiis septingentos facilè hostium intercepit, hæsitque dum Rex adesset, cogereturque LX facilè peditum & XII equitum exercitus, quò Bapalma & Cameracum frustra tentata sunt, ac denique aucto etiam citra Schaldim Cæsaris exercitu, absque ullo Gallorum emolumento, nisi aliquot consumptorum flammis locorum, ad hiberna tempestivè discessum est; & ad pompam hi prodisse magis, quàm ad pugnā sunt visi, pro more ut ferunt *Gallorum*: quorum *primus ferè belli impetus heroum sit, progressus virorum, feminarum exitus.* Hinc, qui primum Gallorum fregit impetum, pronum stravit ad victoriam aditum. Quos hoc loco credendum est, Cæsaris in castra adventantis nomine territos, qui licet, ut frequens illi vitium erat, podagricus, Gallos tamen solà fortitudinis æstimatione, in pedes conjecit.

Gallicæ militiæ vis, primo impetu cōsumpto, evanescit.

Dum hæc in Belgio Cæsarem inter Henricumque aguntur, eosdem mutuis collisit armis Italia, Senenses in Tuscia hactenus clientes Cæsaris sua administratione usi, ob suspectam Cosmi Florentini Ducis potentiam, præsidium Imperatoris, sub Jacobo Mendoza, admiserant; sed cùm hic, ob natas in urbe plebis Procerumque factiones, & quo pleniori illis potestate imperaret, arcem urbi imponeret, patriciosque, favente vulgo, gravius premeret, hi servitutis metuentes Gallorum clam subsidium implorant; ut si illam non evaderent, saltem pro ingenio ac plerumq; forte oppressorum mutarent.

Natal l. 6. & 7. Thuan l. 12 Leun cl. in supl. annal. Turc.

XC Senenses odio arcis à Cæsaris excitatæ, illis ejectis Gallos admittūt.

Turnonius apud Venetos Cardinalis, probante Rege, suscepit negotium, Italosque Duces Nicolaum Ursinum Comitem Petiliani, Marium Comitem Sanflorum, & Hieronymum Pisanum iis conciliat, qui egregia cum Senensibus simulatione a Mendoza postulant, ut quando Dragutus, & Princeps Salernitanus, Turcica Gallicaque classe imminerent, conscribendi ipsis milites, ad tuendos portus, copia fieret. Nec gravatè id indulsit, donec à Cosmo Florentino Duce moni-

1553.

monitus, hos in suum caput parari, tardius illi quam par fidem habuit, cùmque tandem octingentos ab eo auxilio missos in urbem acciperet, per aversam Senenses portam sex millia federatorum admittunt, qui aliis facilè ejectis arcem demoliuntur, ac sub Thermæo, Franci Regis Legato eandem occupant, Cæsarianis Orbitellum munitissimum Senensium castrũ receptis. Quæ superiori perpetrata anno, hoc Petrum, Neapolitanum Proregem, jussu Cæsaris, ad pellendum Gallum Senis, cum exercitu, evocarunt, cujus tamen Florentiæ mox extincti vices Garsias filius adiit: qui, junctis sibi ex Insubria Gonzagæ copiis, arces oppidaque non pauca Senensium expugnat; sed felicem victoriarum cursum, & Gallica classis in Senensium appulsa portum, & Dragutus illapsus Calabriæ, Neapolique metuendus, pro hujus regni defensione avertit. Unde Garsia in Neapolitanum regnum averso, Senenses omni arte, pueris feminisque etiam ad laborandum versis, sese muniunt, & Thermæus Draguto junctus Corsicam insulã (quæ navigantes Tusciam Gallos tuta statione exciperet) viribus omnibus invadunt. Quibus primo impetu Bastiæ portus, Genuensibus, ad quos insula spectabat, profugis, cessit: dein à Thermæo expugnatum Fanum Florentii, & Glassa urbes, à Turcis quibus Polinus Gallorum nomine aderat, Fanum Bonifacii, præcipuum Corsicæ propugnaculum, quo obtento, cùm immineret autumnus, Dragutus Constantinopolim reversus, Thermæo ante Calvium (quod unicum restabat) autumnum frustra consumente, quem Auria cum classe superveniens, totâ brevi insula, præterquam Fano Bonifacii dejecit. Quo tamen, post variam belli fortunam Gallis, ad invadendum, quàm defendendum promptioribus, abeundum denique fuit. Dragutum nonnulli Genuensium abductum pecuniâ præmaturè sentiunt; at Constantinopolim ob seditiosos regni motus, avocatum à Solimanno verisimilius. Hic enim postquam Ottomannica crudelitate Roxolanam servilem concubinam, non libertate solùm, sed & thalamo uxorio, quod istic in serva insolens, donasset, Mustapham ex Circassa concubina filium natu maximum, omnibus, præterquam Christianis, gratissimum, de regni ambitione per Roxolanam æmulam accusatum sustulit. Quem, cùm minimus natu ex Roxolana Giangir à Patre accersitus, velut per jocum salutare jussus esset, is dolore & commiseratione percitus exprobrata Patri tyrannide, & in pectus adacto pugione, cadaveri fratris incumbens, exspiravit: neque tamen hoc exemplo Pater motus, etiam Mahometem ex Mustapha nepotem, adulatione uxoriâ dementatus sustulit. Selimo deinde cum Bajazete fratre colliso, quòd huic licet natu minori Roxolana sceptrum, illi Solimannus destinaret. Intellectâ Mustaphæ nece, seditiosis exercitus in Solimannum tumultibus exarsit, vix ut componi autoritate Imperatoris sui quamvis maximâ, potuerit: adeò miserabilis illa regiorum liberorum sors, & feminarum in hac aula potens libido sensum vulgi penetrabat.

XCI. Galli Turcarũ classe Corsicã Genuensibus eripiunt, brevi tamen ab his recuperatam.

Turcica classis rebellione Turcarũ Constantinopolim revocata.

Turpis in Solimanno mulierũ amor, & filiorum odium.

Chytra. in Sax. l. 19 Schleidan l. 25. Heuterus in Carol. l. 13. Frib rerum Ger. tom. 3.

Nec jucundior in Germania rerum facies Alberto Brandeburgico ejus seculi gentisque Tyranno, novis furiis concitato fuit. Cæsar in Belgium proficiscens Trevericam illi Diœcesin (vindicaturus ultroneam illius nupero anno in urbem ad-

XCII. Albertus Brandeburgicus iterato Germaniam inprimisque Episcopos bello impetit.

1553.

admiſſionem) pro hibernis indulſit, dum ſtipendia promiſſa exſolverit, quæ eidem quoque ante alios dependit. Verùm is, cùm præter hæc pactam à Noribergenſibus, Herbipolenſibus, ac Bambergenſibus pecuniam exigeret; quàm Cæſar hoſti pendendam negârat, amico rurſum indulſerat; Illi ad pacis leges, & jus imperiale Cameræque Spirenſis judicium provocarunt. Cui quòd Cæſar ab Alberto interpellatus ſtandum diceret, is conflatâ repentè militiâ, ad prædatorios ſemper Duces promptiſſimâ, contemptisque quos Cæſar conſtituerat Bavariæ & Wirtenbergiæ arbitris Principibus, ac ſpretâ etiam, quam Epiſcopi offerebant, pecuniâ, in illorum ſeſe ditiones effundit, Bambergamque ac Schweinfurtum occupat, cetera per Franconiam longè latèque vaſtitate, ingenti pecuniarum vi coacta, & cæſis etiam, quas Rex Ferdinandus ſubmiſerat, copiis. Unde imperii Principes quotquot ipſius vim formidabant, federatum ex mandato Cæſaris militem colligunt, quibus Mauritium Saxonem, & poſt hunc Henricum Brunſuicenſem præficiunt. Et ille quidem collectas copias Noribergenſibus Franconibusque ſubſidio deſtinat. Hic Mansfeldico, alioque fretus milite, Philippum magnum filium eidem præfecit, ut inferioris Saxoniæ partes, Alberto inprimis faventes, contineret.

Mauriti⁹ & Henricus Brūſuic. illi opponūtur.

XCIII. Cùmque Franconiæ inhæreret Albertus, in Franciſcum Waldecanum Monaſterienſem aliorumque locorum Epiſcopum (ſuæ quondam, cum Landgravio Haſſiæ captivitatis autorem, & ſub Catholici Epiſcopi titulo cum imperioſâ concubinâ, quæ domi foriſque omnia regeret, parùm ſanctè verſante) exercitum duxit, magnisque tres illius Epiſcopatus, Monaſterienſem, Oſnabrugenſem & Mindenſem cladibus, atque ingenti ære multavit: donec infelix profugusque & ubique ingratus ſuis Antiſtes Wolbecæ, patrio in ſolo idibus Julii extinctus eſt, ad ſalutarem, ut credibile, pœnitentiam hac calamitate revocatus. Poſthæc, cum Brunſuicenſis miles in Franconiam ſociis opitulatum iſſet; Albertus contrà inferiori ſeſe infundit Saxoniæ, Halberſtadium, occupatis portis, redimere excidium magno ære cogit, auctusque Erici Gotingæ Principis, aliarumque iſtic urbium, ut Brunſuici, Hamburgi, Bremæ Mindæque copiis, ingentia paſſim damna intulit. Donec Mauritius, Henricuſque conjunctis in agro Hildeſienſi copiis ſeſe eidem oppoſuêre, ut in Saxoniam ulteriorem cogitanti viam præcluderent. Jam enim Viſurgim trajecerat, nihil hoſtem veritus, quem contractis nondum federatorum viribus facilius primo calore frangendum ſperabat.

Monaſterienſis Epiſcopus primum bello a Brunſuicēſi, mox morte opprimitur.

XCIV. Quanquam & Albertus impetu, quàm ratione felicior, moram pugnandi non ferret, tantò Mauritio infeſtior, quanto majori antea familiaritate conſueverat, ut *non rarò amicitia læſa fit furor*. Et plerumque apud hunc Ducem conſilia erant parum ſobria, ut qui prandium multo vino diluere ſolitus, ultimum ferè diem temulentus exigebat. Ita, cùm in præſentia ſuos milites liberali hauſtu ad pugnam excitaſſet, contra Mauritium progreſſus, eum, ſiquid animi ſupereſſet, prodire in aciem cum ſuis juſſit: quâ denuntiatione Mauritius ejusque miles irritatus, quãvis propediem Philippi Landgravii aliorumque copiis augendus, hominis arrogantiam non tulit; ſed Julii die IX. evocatum diſtributumque per ordines exercitum

Mauriti⁹ cum Alberto pugna congreſſus, magna hūc clade vincit, ſed occumbit.

citum furibundo objecit Principi. Non in pugnam utriusque partis copiæ, sed lanienam eductæ videbantur, ita collisis ad primum concursum ordinibus permisti, in se invicem plumbo ferroque desæviebant, postquam majoribus in utramque partem tormentis detonuissent. Victoria primùm anceps ad Mauritium denique inflecti cœpit, quam, dum ardentiùs instando fugientibus, prosequitur, secundùm ilia glande trajectus, sua post biduum morte conclusit, ultimumque in vitâ solatium hominis fuit, morientem vicisse. Peditum hostilium vexilla quatuor & quinquaginta, equitum quatuordecim (quanquam alii his addant) oblata etiamnum spiranti ferunt: qui datis ad Herbipolensem literis languidâ adhuc commonuit manu; providerent, ne de cassibus elaberetur impunè fera. Ita post XXXII vitæ annum, Fribergi Misniæ oppido, juxta Henricum Patrem, filiolumque Albertum sepultus, Augusto fratri successori, nequicquam obnitente Joanne Friderico, Electoratû reliquit. Cæsari, ut non ingrata victoria, ita nec septemviri mors fuit, quòd hostem an amicum perdidisset in ambiguo esset. Recens exortæ ab hoc capite rebellionis memoria, atque etiamnum agitata cum Francis hostibus novæ secessionis consilia, omni Cæsarem dolore mortis liberabant. Alberto rursùm, & casus adversarii, & proprium effugium pro solatio fuit, quale etiam Prædonis solet esse, cùm sub patibulo elapsus est. Sed non deseruit fugientem, quantumvis pede claudo, pœna. Henricus Brunsvicensis, Carolo & Philippo filiis in hac pugna (neque enim Mauritianis incruenta hæc fuerat) orbatus, imperio federatorum præfectus est. Quod illius nondum Draconis caput attritum viderent, quod vindictæ cupiditate inflammatum, atrocia etiamnum minaretur, Catholicis præsertim, quorum Dux Henricus, solâ fidei constantiâ, & Alberti, & vicinorum in se Principum, urbiumque, ac propriæ etiam nobilitatis furorem concitabat. Quæ & præcipua causa fuit, cur Augustus post Mauritium Saxoniæ Elector cum Alberto pacisci, quàm cum Henrico militare adversus illum maluerit. Et Albertus futurum sperabat, ut Protestantibus à fœdere Catholicorum avulsis, hi denique ad faciliorem sibi ruinam paterent. Unde & Noribergensis acerbis literis criminatus est, quod perfidiosis Bambergæ Herbipolisque, contra se, Episcopis adhærescerent, quos ipse eversione ultima perditum cupiebat.

Cæsar, & victoria, & morte Mauritii, de nova proditione suspecti, delectatus est.

Sed hi vicissim inauditæ crudelitatis exempla, in ditionis suæ oppida Alstorfum Laufumque edita, immanissimo Prædoni exprobrabant, quibus postquam, præter incolas, homines ex agris cum liberis pecoribusque profugos inclusisset, hos igne diversis locis, ac præcipuè ad portas ne qui evaderent, ingesto, miserabili omnes incendio consumpserit, spectaculoque tali delectatus sit, quod nec in extrema barbarie sit compertum. Et sciebat Henricus nihil in se suosque mitius designaturum, nisi vim furenti opponeret. Hærebat Albertus Brunsuici urbe sibi religionis studio amica, & Henrico aversa. Unde collectis jam è fuga reliquiis novisque, ex ære raptim parto collectis, tanquam ex silva Leo novis rursùm prædis inhiabat: verùm ut primum in apertum se campum extulit, suos illi Henricus idibus Septembris objecit, numeroque ac virtute superatum ad caveam suam Brunsvicensem rejecit. At indomitus hominis animus, tam ad ferendam, quam

XCV. Crudelitatis Albertinæ immane exemplum.

Ab Henrico rursum prælio victus, fugit.

1553.

inferendam cladem promptus, emolliri calamitate nulla ad pacem, quam cum Cæsare plerique suadebant, potuit. Quare cùm ab Henrico obsidendum se in urbe intelligeret, collecto, qui supererat milite, amicorumque imploratâ ope, qui Catholicorum odio magis, quàm illius amore jungebantur, ad Turingiam se rursùm vertit, benevolèque Vinariæ à Joanne Friderico Saxone V Octobris exceptus est; tanquam primum Ecclesiæ Lutheranæ fulmen, quo suam religionem cum totius Germaniæ incendio illustrarunt: ut Friderico dignus visus sit, cui suũ favorem impenderet. *Adeo diversis mortales votis circumferimur, ut quem coronâ alius, rotâ dignum alius existimet.* Quare Henricus Brunsvico, quam obsederat urbem, relictô, ne succrescentibus Draco alis, rursum invalesceret, consecutus viâ eadem, Saxonem, foti hostis conscientiâ, profugisse comperit, Gothæq; arci salutem credidisse, ac vix à devastatione militem continuit, Augusto tamen intercedente, aliquo se passus est ære deliniri, injuriarumque memoriam habere maluit, quàm vindictam. Dispar longè Alberti ingenium, qui cùm Franconiam subiisset, ac Bambergam hostili obsidione liberasset, excurrit deinde Hofium, suæ ditionis oppidum, à federatis per Ferdinandi Regis Ducem Comitem Plavium occupatum; ubi, cùm securum extraque oppidum vagantem comperisset militem, atque intra mœnia repelleret, ipse simul consecutus, subiit, ad quem cùm oppidani, sui Ducis præsentiâ læti, concurrissent, ipse immisso plerosque milite trucidavit. Ut in amico se denique Principe reperisse animadverterent hostem, omni tigride atrociorem, quæ in proprios sævire catulos nunquam est comperta.

A Friderico Saxone amicè, sed non impunè fovetur.

Alberti crudelitas in proprios subditos.

XCVI.

Henricus denique victum totâ Germania in Galliam proscriptum imperiali judicio propellit.

Interea Henricus ad castra sociorum Lichtefelsum Bambergiæ ditionis obsidentia 7 Novemb. accessit, quo obtento Colembachium, Hofium, Biruthumque occupata, ac muris nudata sunt. Et Colembachio quidem ipsæ incolæ succenso, in Blasseburgum fortissimum regionis munimentum se receperunt; sed hostis, mitior in urbem incolis, flammas restinxit, ac Blasseburgum obsedit. Unde Henricus aliquot copiis auctior Schweinfurtum aggressus est, sexta Decembris die, quando jam ipsis Calendis solenni cæremonia Albertus Cameræ imperialis judicum sententiâ proscriptus est, fortunisque omnibus spoliatus, tanquam quietis publicæ & Imperii perturbator fuit. A quâ dum ad Cæsarem frustra appellat, negantem æquitati se repugnare posse, Cameræque etiam Judices, ut corruptos, Noribergicosque, ut corruptores nequicquam calumniatus esset; ultimaque sequenti anno Kitzingi ad Mœnum clade multatus, & iteratis proscriptionis à Cæsare literis fulminatus, in Galliam exul, tanquam fera spelæis suis interclusa se recepit. Ubi is, qui Germaniæ sibi, inter Protestantes, regnum haud multò ante jactabundus desponderat, tanquam in caveam receptus Leo (neque enim desertori suo Galli fidebant) ad novum aliquod in arena Martia spectaculum servabatur, quod utique homo ferox animo, varius ingenio, robustusque corpore, atque ætate florens editurus fuisset, nisi præmaturo fato post biennium inops destitutusque, atque, ut credibile, scelerum conscientiâ ceu toxico inter viscera suscepto excruciatus, annos 34 natus exspirasset, insignis cum Mauritio documenti spe-

In Gallia parum acceptus non multo post in flore ætatis moritur.

1553.

specimen. *Perfidiam rarò diu inultam floruisse*. Relictam illius in Germania hereditatis sortem ex agnatis Georgius Fridericus Brandeburgicus Cæsaris benevolentiâ adiit, tanquam sola morte flagitia Albertus expiasset.

XCVII. Carolus Sabaudiæ Dux, plerisq. a Gallo possessionibus exutus moritur, Phil berto filio glorioso successore relicto.

Res Caroli Ducis Sabaudi viri simplicis parumque bellicosi in Pedemontana regione per Gallorum magis magisque invalescentium frequentem irruptionem valde accisæ erant, quando is denique Cal. Septembris, vitam Deo, Emmanueli Philiberto filio bellicoso prudentique juveni in castris Belgicis Cæsari, rarâ laude ac felicitate, militanti regionem suam reliquit, qui demum conciliata pace, ac Galliæ Rege, cum eo affinitatem Margaritâ sorore ducta contraxit, majorumque possessionibus restitutus est. Tam pronum Superis est, ex hoste amicum, ex infelice fortunatum reddere. Neque in uno id solùm homine, sed regno Anglorum integro factum hæc ætas admirata est.

Natal l. 6 & 7. Thuan. l. 12. & 13. Sander. de schis. lib. 2.

XCVIII. Anglorũ gentis in religionis mutatione inconstantia. Maria Catholicam fidẽ rursum persuadet.

Ut polypum ex locorum quibus adhæret, naturâ colorem mutare asserunt, sic Anglorum gens antiquitate orthodoxæ religionis, aliisque pietatis nominibus olim commendata, intra quinque & viginti annorum circulum, ex diverso regentûm, quibus stultissimo obsequio adhæsit, ingenio, quater fidem religionemque, ceu mutatoriam convertit vestem, ex Catholica sub Henrico uxorio schismatica, sub Eduardo puero Zwingliana, sub Maria rursum Catholica, sub Elizabetha Calvinistica effecta est, eundemque cum regentium affectu, incredibili levitate colorem induit, semper tamen professa, ipsam Verbi Dei veritatem se consectari Quæ in re ter minimum mendaci, quis etiamnũ sentiat credi posse? Hoc igitur tempore, cum Eduardo defuncto 6 Julii Maria ex legitimo thalamo soror juxta Patris testamentum succederet Westmonasterii Cal. Octobris coronata, post Dudleium Northumbriæ Ducem, perfidè obnixum, plexumque, se prudens femina caput Ecclesiæ negavit, pristinæque in Anglia reducendæ fidei curam sumpsit. Adeò feliciter, ut Romano rursum Pontifici tandem regnum obedientiâ juratâ addixerit.

XCIX. Regina Philippo Caroli filio desponsatur.

Cùm verò Reginæ maritus quæreretur, nemo vel illi, vel multis è regno, magis Philippo Hispaniarum Principe, modo legibus se adstringi certis pateretur, idoneus visus est: quod consilium, cum magnopere Carolo Imperatori probaretur, ut quo non minùs firmari illic fides, quàm validissima, & Belgas inter Hispanosque media gens, Austriacæ per hoc familiæ adversus potentiam Gallicam sociari posset. Unde nequid turbarum Henricus Rex Galliarum daret, & tum Philippus in Anglia stabiliri, tum res Germaniæ adhuc motu Protestantium inquietæ, nec plena satis pace firmatæ, componi magis possent, Cæsar pacis aut induciarum avidus, bellis remedium quærebat, & Cardinalis quidem Polus à Regina Anglorum postulatus, a Julio verò Pontifice pacis gratiâ, ad Henricum Cæsaremque destinatus est. Nec principio uterque aversari visus, sed quæ causæ ad hanc impellebant Cæsarem, eædem Henricum retardabant. Unde cùm inducias saltem ille optaret, hic abnueret, pacemque, nisi ingenti suo commodo, recusaret, nihil impetratum est. Procerum verò Anglicorum, iisdem nuptiis obluctantium, arma in Reginam versa, Londinensi populo hanc protegente, infelicem

1554.

cum multorum captivitate ac morte habuerunt exitum, quando ipse Northumbriæ Dux rebellionis autor, cum Joanna Suffolcia quam Reginam, quod Regii esset sanguinis, proclamârat, suoque desponderat filio, anno 1554 die Febr. XII capitis supplicio ambitionem intercepti luerunt.

C.

Rebelles Regina Maria armis & suppliciis domat, & sororē Elisabetham includit carceri.

Hac ille tamen gloria mortem ornavit, quod hæresim, quam vivus coluerat, moriens abjurârit, periturus forsan, nî sic periisset. Joanna verò 17 annorum virgo, hæreticorum disciplinis instructa, quibus curæ est, ut linguam, quàm mentem cultiorem gerant, græcis latinisque erudita literis, suo in errore obstinata obiit, Patremque Ducem ac plures alios secum in exitium abstraxit, qui bello parùm glorioso contra feminam pro femina regnatura suscepto, ipsi feminæ ignominiosè succubuerunt. Soror quoque Reginæ Elisabetha conjurationis ejusdem accusata, honesto carceri tradita est, in quo simulato Catholicæ religionis cultu, ne graviùs offenderet, usque ad sororis post quinquennium mortem, duravit, hinc ad solium & hæresis restitutionem transitura, atque in Theatro hoc Anglicano humanæ instabilitatis novas orbi datura tragœdias. Reliquorum suffragia Hispani nuptiis accesserunt; siquidem habito Aprili mense ordinum Angliæ cōventu, cùm duo fuissent per Reginam proposita. Primum de matrimonio cum Philippo celebrando, quod se non tam amore nuptiarum, quibus hactenus lubens caruerit, quàm patriæ, cui heredes desideret, ambire testata est: alterum erat, ut ad pristinam universalis Ecclesiæ dignitatem, obedientiâ Romano Pontifici præstitâ reduceretur postliminio Anglia. Et huic quidem à Proceribus Ecclesiasticorum præcipuè bonorum possessoribus id temporis reclamatum est, visumque Reginæ in opportunius id tempus, & Cardinalis Poli præsentiam differendum. Priùs tamen arctis legibus admissum est, ut Carolum Imper. nonnulli admissurum vix crederent, alii etiam recusaturum sperarent.

CI.

Duris legibus Philipp⁹ Mariam conjugē accipit, quas tamen Cæsar admittit. *Sander. sup. Belc. l. 26 Florim. l. 6. Thua. l. 13*

Etenim decretum, ut *nullus Anglorum in regno, nisi Anglus natus ad munus publicum dignitatemve admitti posset. 2. Ne Regina ex Anglia, nisi ipsa rogante abduceretur, neve filij ex illius matrimonio suscipiendi, nisi probantibus ex necessitate ac legitima causa Anglis, è regno discederent. 3. Nihil in publicis privatisque juribus, privilegiis ac consuetudinibus regni immutetur. 4. Nihil hujus connubij ratione fœderi inter Anglos Gallosve facto derogetur. 5. Si Regina prior sine liberis vita decedat, nullum Philippo jus in regnum maneat; sed intactum Anglis relinquatur. Sin Philippum mors præripiat, Mariæ superstiti dotis nomine quotannis* [illegible] *nummum millia numerentur.* Hæ conditiones, quamvis difficiles, à Cæsare tamen ac Philippo admissæ fuerunt, quod sperarent conciliatis nuptiis facilè Anglos ad mitiora inflectendos, ut & deinde compertum est.

Post umbratiles nuptias, Philipp⁹ adest veras que celebrat, & quamvis placere

Lamoralis igitur Egmondii Comes è Belgio Philippi nomine profectus illius in desponsatione Mariæ vices obiit, ac de more Principum armatus concubuit, donec Philippus Princeps 80 triremium, & 40 onerariarum navium classe Hamptonium Angliæ portum 19 Junii teneret. Unde quinto post die Wintoniam, post cimelia muliebria, centum ducatorum millibus æstimata, per Legatum præmissa, ipse ad Reginam est consecutus. Ubi cum diplomate Cæsar publicè eidem Regis Neapolitani titulum consignasset, ne inferioris ad Reginam dignitatis accede-

cederet 25 Julii, ipso S. Jacobi Hispaniarum Patroni die, per Episcopum loci solennibus Anglorum cæremoniis sunt copulati. Absolutoque sacrificio proclamatum à Legatis triplici lingua, Anglica, Francica, ac Latina connubium, & conjugibus panis nauticus cum vino Hippocratio præbitus, ex quo omnes ordine Proceres hausere. Placuit Anglis Philippus, quod plerosque à se Hispanorum in Belgium ablegasset, publicumque ministerium ab Anglicis Reginæ ministris admitteret; sed quod tecto Hispanicorum Regum more Principes exciperet dimitteretque, hoc indignantibus ad hunc fastum animis, ut Germanorum nuper, ita & nunc Anglorum gratiam detrivit. Cùm æquum eis videretur, ut qui aliis nationibus, pro familiari consuetudine, linguam, mores quoque aptare conaretur, quod sine invidia ac labore posset. Nec sanè Ordines, à Regina se exorare passi sunt, ut regiâ Philippum Anglorum coronâ insignirent, ne cum suo unius capite regni fortuna rursum nutaret. Sed nec Deus, nec regni felicitas hæc sivit impetrari. 1554. Anglis studeret, displicet.

CII. Reginaldi Poli operâ fides postliminium in Angliam reducta.

Reginaldus Polus postulatus à Regina, & missus à Pontifice Legatus, Dilingæ in Germania hærebat, detentus à Cæsare, ne quid turbarum præsens nuptiis daret, tum religionis studio, ante has firmatas periculoso, tum rivali amore, cùm ipse nondum Sacerdos, & regii sanguinis Princeps, à quibusdam his ante alios nuptiis, tanquam indigena, propositus fuisset. Sed cui deinde, post reconciliatam ipsius opera Anglicanam cum Romana Ecclesiam, meliori sorte quam sterilis Reginæ thalamo Cantuariensis Archiepiscopatus delatus est, impio machinatore divortii Henrici & Catharinæ Cranmero, ab illa sede ad carceres, atque hinc ad ignes, sine pœnitentiâ scelerum abstracto; ne infelix tanti regni, fideique divinæ proditor, temporalibus flammis suam vivus pœnam absolveret.

Pont. Heut. l. 13 Belc. l. 26

CIII. Galli in bello prævertunt Belgas, qui mutuis in agricolas cladibus tantùm sæviunt.

Alternatam in Belgio inter Cæsarem ac Henricum belli fortunam, superiori anno, meminimus, & par ferè hujus ac subsequentis anni fors, nunc in Gallos, nunc in Belgas rursùm inclinata. Prævertit diligentiâ ac vigore Henricus Cæsarem, & Anglicis intentum rebus, & morbo fractū. Cujus etiam negligētiam spes & Resp. Philippo jam nixa, cui Anglia non leve robur adderet, fovebat. Henricus igitur copioso milite auroq; tempestivè instructus, more Gallorum, qui in celeritate plerumque sortem aucupantur, Mariæburgum, à Maria, sorore Cæsaris gubernatrice Belgii, munitissimo excitatum, opera aggreditur, ac XVI Cal. Julii Martignio Rissarti Domino loci Præfecto largitione corrupto obtinet. Gallis tam cupidè oppidum subeuntibus, quàm proditorem aversantibus, quem fames & egestas, hoc empta auro, inter Gallos denique consumpsit. Hinc Orchimontem Villarium, Boviniam, Dionantum, ac Mariæmontium, Deliciis Reginæ conditum, invadunt, exscinduntque, ac miserabili passim, qua Cæsareis iter esse posset, vastitate omnia complent: donec Valencenas inter ac Quesnoum hærentes Cæsareus denique sub Sabaudo Duce avertit exercitus, non sine clade in Francicum equitatum illatâ. Rex igitur relegens iter, ut in Hannonia, sic in Atrebatibus incendio cuncta vastat, figitque demum ad Rentiacam arcem castra, quam dum oppugnat, Belgarum exercitus, unà cum ipso adest Cæsare, ubi cum instru-

1554. ctâ utrimque acie pro colle obtinendo certatur, Cæsarei tam insidiis Gallorum sub colle positis, quàm potiori illorum ad collis propugnationem milite, in Swartzenburgica Nassavicaq; Legione haud contemnendam cladem accipiunt. Die tamen inclinata, milites utrimque in castra recipiuntur, & Nassavicæ legionis vexillis Rex honoratur, campo tamen relicto, in Franciam revertit, exautoratisque Augusti mensis fine Helvetiis, ceteros in præsidia dimisit. Tùm verò Sabaudus transmisso Somona flumine, qui à Picardia Atrebates separat, ut parem Gallis vastitatem rependeret, capit inceditque Dampterram, Durium, Machium, Mentenaum, FanumRiquerii, aliaque in comitatu Fani D. Pauli loca destruit, ac denique Hesdinum, adversus Monstreuliorum ac Dorlanorum, eis quibus supra dixi munimentis erigit, ac dimissis Decembri mense Germanorum legionibus, reliquis hibernam quietem concedit. Exiguo utriusque bellantium partis emolumento, quod in subditorum excidio ac vastitate potissimùm collocabant, ut si felicitas cujusque in alterius infelicitate (quod Dæmonis potiùs, quàm hominis regnum est) consisteret.

CIV. Gallis, dum in Senis firmare regnum volunt, Cosmus Florentiæ Dux obsistit.

In Italia quoque & Subalpina regione, vario marte certatum est, pro Senarũ præcipuè ditione Herculisq; portu è manibus Gallorum illic sedem meditantium extorquenda. Petrum illis Strozzam Florentinæ nobilitatis virum, juratum Mediceis hostem, qui Patrem ejus occiderant, eo consilio Henricus præfecerat, ne Gallici Senenses Ducis tæderet, Florentiæq; Duci Cosmo, tantò acriùs resisterent; sed ea res Cosmum acrioribus ad hoc bellum stimulis concitavit, ut vires impensasq; omnes in hoc bellum converterit. Lectoq; à Cæsare copiarum Duce Medicino Marchione Mariniano, qui Mediceæ se familiæ ut nomine, sic sanguine affinem venditabat, cùm Joannes Luna ex Insubribus, Madrutius è Neapolitanis copias junxisset, Moncarolum & Moncatinum Senensibus eripuit, ac subinde ipsi admovit Senarum urbi militem. Quod Strozza auctus ex Massilia 6 peditum millibus nec impar hosti minimè ferendum ratus, primò quidem munitione Chamoliæ jam occupata eos dejicere conatus est. Quo consilio, non sine suorum jactura frustratus, ad hostem avocandum, Marcianum, Olivetum, Foianum aliaq; quædam loca invadit; ut Marinianus paucis in præsidio relictis hunc illius successum intervertere, apertoq; eum eo marte decernere statuerit, eo demùm eventu, ut gemino afflictum prælio, ad Chianam vallem postridie Cal. Augusti, ad Martianum deinde, tertio Nonarum, cum jactura 6 millium, ceciderit, ipse læsus Lucignanum cum paucis evaserit. Unde ad captam obsidionem Marinianus redux arctissimè illam cinxit, fame citiùs, quàm ferro expugnandam arbitratus; quod Monlucius, præclarus in urbe Gallorum Dux, priùs experiri ultima, quàm se urbemq; dedere constituisset, ideoq; imbellem turbam, ne alimenta fortium consumeret, urbe expulit. Quæ, cùm neq; à Mariniano reciperetur, miserabili ante fossas urbis spectaculo consumpta est. Adversus vim ita Monlucius providerat, ut ubi prostratis ab hoste muris pateret aditus, ingentibus hic rursùm in urbe fossis vallisq; præcluderetur. Sperabatur ex Gallia subsidium,

Senarum imperiũ, Gallis ejectis, rursum à Cæsareis occupatum.

An. 1555 cùm jam exacta hieme in alterum annum obsidio duceretur, quod cùm suaderet Gui-

1555.

Guisius, æmulus ipsius Monmorantius, ejusque fautrix Diana Pictaviensis, quæ omnia apud Regem poterat, subsidiis Pedemontanis Strozzæ promptis, ac metu instantis Turcæ disjiciendum facilè persuaserunt. Sed hac exspectatione falsi, cùm jam urbs ad obscœnos cibos, & desperationem recidisset, X Cal. Maii Mariniano Cæsaris Legato cessit, ea exceptione, ne Cæsar arcem in urbe citra ejus consensum excitaret, milite tamen pro arbitratu muniret, senatumque constitueret. Unde duo Hispanorum millia, excedentibus Francis, in urbem accepta sunt. Marinianus cum reliquis ad portum Herculis, quo se receperat Strozza progressus, cùm hic titulo subsidii adducendi cautè se subduxisset, tertiâ invasione locus cum præsidiariis in potestatem venit. Unde residua Cæsareis oppida patuêre, totius verò Provinciæ administratio Cardinali Francisco Mendozæ commissa est, Marinianus à Cosmo Duce, cujus impensis hoc inprimis bellum stetit, egregiè muneratus est. Dux quoque ad æternam optati successus memoriam Equitum ordinem S. Stephani Pontificis, ac Martyris urbis Florentinæ Patroni instituit, quod Marciana clades in 4 Nonas Augusti sacrum ejus diem incidisset. Hic à Pio IV non multò post approbatus, pro insigni rubram Crucem gerit aureâ prætextâ ornatam, vivuntque ex præscripto regulæ D. Benedicti; quamvis à matrimonio non excludantur. Templum illis domiciliumque Pisis cum amplissimis vectigalibus Cosmus attribuit, qui cum successoribus Florentinis Ducibus magnus Ordinis Magister est constitutus, majoribus deinde incrementis privilegiisque honorati.

Ordo militaris equitum Florentinorum.

CV. Apud Insubres Ferdinando Gonzaga à Cæsare evocato, res parū Hispanis secundæ.

Secùs aliquantò res Cæsaris apud Insubres processêre. Ferdinandus enim Gonzaga Prorex ad Cæsarem purgandi sui causâ, diluendisque æmulorum calumniis (quod frequens aulicorum Procerum certamen est) profectus, Brisacco Gallorum in Pedemonte Præfecto Bugiellæ & Fani D. Jacobi Casalis, aliorumque locorum expugnandorum animum injecit. Et quamvis Gonzaga se purgarit Cæsari, nec sine honore magno & muneratione officii naviter fidèque præstiti recesserit; tamen, quia à morte Aloysii Farnesii, metu insidiarum perpetuo, versis in omnem partem oculis, tanquam ad sicarios immissos trepidaret, Ferdinandus Toletanus Albæ Dux in ejus locum suffectus est. Is coacto exercitu, Vulpianum à Francis obsessum liberavit; sed dimisso inconsultè rursum milite, obsidionem repetentibus temere permisit, qui tamen, hoc diruto, Taurini possessione acquievêre, unitâ deinde vi futuri fortiores. Nec præter Molcalvum ab iisdem occupatum quicquam memorabile actum: nisi quod Hispanæ Gallicæque gentis æmulatione, quaterni inter se pro gloria congressi sint: ex Hispanis Marchio Piscarius Malespina, Franciscus Caraffa, & Alabus, ex Gallis Nemursius cum Piscario pari marte pugnarit, Moncasius Caraffam hastâ transverberârit. Vasæus & Bolerius ab æmulis cæsi sint, relictâ penes Hispanos victoriâ.

Privato certamine victores Hispani.

Panvin. in vita Pont. Paulo. in Trid. l. 13. & 14.

Quo tempore Cal. Aprilis Romæ Julius III Pontifex mortalia reliquit, cœpto regimine quàm absoluto illustrior, ut ferè in apice constitutos aliquâ rapi vertigine pronum est. Difficilis res est oblatis non frui divitiis, & se suosque inter honores impensiùs non amare. Velle tum imprimis vivere est visus cùm definen-

1555 dum esset, horto ad raram amœnitatem instructo. Podagræ tamen acerbos cruciatus, quos abstinentiâ nimiâ, victusque ratione mutatâ avertere conatus est, moriendo sustulit; locumque fecit Marcello Cervino laudatissimo Cardinali, à Cæsare, quamvis in Concilio Tridentino sibi quondam contrario, tamen probato; quod virtutis apud illum esset quàm injuriarum æstimatio potior, cùm illum & morum integritas & doctrina plurimùm commendarent. Electus Mantuano Cardinali significabat: dolere se ob neglectam Ecclesiæ reformationem, & haud immeritò Cæsarem Germanosque morum reformationem in Ecclesia urfisse, atque è re etiam Romanorum Pontificum id fuisse futurum (qui se inprimis peti existimassent) si vanis sumptuosisque sublatis, autoritati tanti muneris necessaria solùm perstitissent. Unde illi inprimis admoturus manum, hæresique per Germaniam sanandæ videbatur; ideoque Imperatoris Regisq; Galliæ Oratores seriò monuit, de pace concilianda providerent; quàm si per Legatos abundè non posset, suâ se præsentiâ suasurum asseruit. Qua synceri animi destinatione, cum aliis exspectationem, aliis timorem ingereret, mors pridie Cal. Maii, 22 electionis die, tam præclaras cogitationes rescidit, alteriq; Neapolitano Joanni Petro Caraffæ ipso Ascensionis Dominicæ die, X ante Cal. Junii locum fecit. Qui quod Adriano ac Marcello suæ ætatis Pontificibus ominosum vidisset, non mutare, ex prisca consuetudine, nomen (quo abjecto, sanguinis gentisq; suæ curam deponere viderentur) Pauli IV appellatione delectatus est: quanquam aliud esse gentis suæ nomen, quàm curam deserere, vel ipso teste constiterit, licet ad severitatem virtutis ex asse formatus esset; cùm faciliùs sit morbi alicujus vitium agnoscere, quàm curare. Adrianus, Marcellusq;, etiam non mutato nomine, consanguineorum in tali dignitate affluentium, curam seriò abjurasse visi sint: ut longè aliud experiamur esse, verbo profiteri, & actione prosequi. Ceterùm probitatem zelumq; Caraffæ, Archiepiscopi etiamnum Theatini, abundè declarat, ordo Clericorum regularium ad propriæ vitæ normam ab eodem institutorum, qui Theatinorum nomen ab illo ducunt. Affectum verò familiæ prodit, occultum cum Henrico Galliarum Rege conflatum fedus, ad regnum Neapolitanum Cæsari Philippoq; eripiendum Regi, ad suæ familiæ quam ab Hispanis premi sentiebat, elevationem. Unde bellum, ut mox constabit, Italiæ, inprimisq; Romanis ditionibus, funestum extitit, parùmq; suo autori gloriosum.

CVI. Pontifici Iulio Marcellus, huic Paulus è Caraffis parum Cæsari favens succedit.

In Germania superato exactoq; per Henricum Brunsvicensem federatorum Ducem Alberto, in fautores ejusdem Meckelenburgum, Lunæburgicum, Anhaldinum, Mansfeldium, Rotenburgium, Hennenbergium, atq; Oldenburgium, arma vertit, & vastatione pecuniaque multatos docuit, rebellionis pœnas in sua deniq; incentorum capita recidere. Quare hoc veluti Martii sideris evolutione transacta, pax denique interventu Principum post octennalem Germaniæ tempestatem serenior affulsit. Quanquam Henricus tam strenuus fidei Catholicæ propugnator, coactus videre sit, Julium filium ex Canonico Coloniensi ad hæresin degenerasse: ex quo tota deniq; regio labem traxit. Ferdinandus Rex illâ Germaniæ quiescentis malaciâ, suadente ex Belgio Cæsare, ad stabiliendam magis

CVII. Brandeburgici fautores in Germania vastâtur. Schleid. l.25. & 26. Goldast in Const. Imp.

gis

1555

gis pacem juxta Passaviense decretum, Comitia Ulmæ primum, sed irrito conatu, deinde Augustæ mandato Cæsaris ad ordines misso indixit, quæ à Nonis Februarii anni 55 cœpta, ob Principum cunctationem, in VII Calendas Octobris producta fuere.

Passaviensis pax Augustæ tractata.

In his Ferdinandus Cæsaris, cujus ipse obibat partes, studium, tam pro concilianda religione, quam firmanda per Germaniam pace ostendebat, hortabaturque Principes, *ad idoneam viam rationemque obtinendæ demum tranquillitatis proferendam. Religionis dissidiis, ex quibus omnia pendeant, componendis, quatuor Passavij modos excogitatos fuisse, ut videlicet, aut œcumenico id fieret concilio, aut nationali, aut colloquio Doctorum ad hoc instituto, aut imperij denique comitiis. Generalem Tridenti Synodum, bis cœptam, totiesque sine absolutione controversiarum disjectam, rursum urgendam videri, cum nationali cetera minimè nationes acquieturæ sint, quòd communia fidei capita communi orbis judicio probanda sint. Oecumenica igitur illud Synodo experiundum rursus videri: ne fortissima Germanorum natio hactenus & secum, & cum exteris, in accepta à Majoribus religione constans, omni barbarie turpius dissideat, cùm nunc repente velut quodam dementata philtro, in diversas non ab avis solùm atavisque, sed & suæ gentis pugnantes inter se sectas discesserit. Vnde studia divisa, pax turbata, Turcæ undique vicinique hostes provocati, proxima quæque Germaniæ munimenta occupent, ipsam denique seditionibus fractam exhaustamque facilè in miseram servitutem abstracturi. Non posse nisi à discordiarum Magistro, tantam divisionem repugnantiamque oriri. Nullam hucusque intentatam à Cæsare viam esse relictam; sed irrita cecidisse omnia, per instituta quandoque colloquia nonnihil ad concordiam promotum fuisse, quibus si iterum, absque partium affectu, per idoneos homines experiri lubeat, hic se minimè defuturum.*

De pace quoque Passaviensis Comitij legibus non satis consultum videri, ut infelici interea multorum rebellione compertum sit; tum quod seditiosos ejusmodi statuant ante citandos audiendosque in judicio, quàm manifesto licet crimine, proscribendos: tum quod finitimè vim passis, ut constitutum, non subveniant: unde tempus spatiumque rebelles nacti, gravia superioribus annis damna imperio dederint, quibus fas sit legibus sanctioribus mederi. De judicio igitur rectius formando, ut & de tributis, de moneta, aliisque ad politiam spectantibus omnium consilio atque ope providendum.

CIX.

Postulaverat Ferdinandus à Julio Pontifice Româ legatum, qui adesset, provideretque coram, ne quid adversus orthodoxæ fidei regulas Apostolicæque sedis dignitatem statueretur, cui rei Truccesius etiam Augustanæ sedis Episcopus & Cardinalis advigilat. Miserat igitur ad hanc rem Julius Cardinalem Moronum, quem vix Augustam tenentem Pontificis mors Romam ad electionem novam, quâ primum Marcellus deinde Paulus IV prodiit, cum Truccesio revocavit, in quorum tantisper locum Aloysius Lippomanus Veronensis Antistes in Poloniam abiturus subiit, oblatoque libello ostendit, quæstiones fidei ad tribunal Ecclesiæ Apostolicæque sedis spectare. Sed frustra surdis hæc cantilena, cùm quantumvis Ferdinandus id cuperet, Protestantes hunc recusarent judicem, quē ipsi reum defectionis à fide arguerent: deinde valido adeò obsisterent numero, ut Catholico Regi providendum, ne tanquam exundante per tempestatem flumine

Palav in Trid. conc. l. 13 Sur in comm.

Pontifex legatum ad comitia destinat, ne quid injuriosum religioni constituatur.

 Ger-

1555. Germanorum reliqui eodem impetu abriperentur. Habebat Rex secum Petrum Canisium Societatis Jesu ex nobili Agrippinatûm Universitate Theologum, cujus opera Christianæ vitæ institutiones Catechismo propositæ, ab Austriacis superiori anno admissæ fuerant.

CX. Austriaci populi communionem sub utraque urgent, & usurpant.

Quanquam illi præfervide ungerent communionem sacram sub utraque specie, ut si talis etiam pro Laicis in cœna ultima (ubi soli aderant Sacerdotes) instituta fuisset, quos tantùm in Apostolicis Actis *fractione panis communicantes*, vetus Ecclesia observavit, &, cùm nihil incommodi existeret, est imitata. Negabat hanc Romana Ecclesia, quòd errorem hoc desiderio obtegi crederet, quasi Christus non totus, nec vivus sub utraque specie præberetur, ut quid enim utramque speciem quæras, si sub alterutra Christus integer capiatur? videbatur igitur hoc postulatum esse, quo obtento, ad ulteriorem, alienamque à fide libertatem adspirarent. Et sanè Protestantes in his comitiis petere ausi sunt, ut liber Caroli *Interim* toto imperio admitteretur: tùm verò qui *Augustanæ Confessioni* hærere mallent, eis hæc religio libera atque inconcussa staret. Hos illis animos Christianorum Principum diffidia, & prompta etiam ab iisdem si poscerent, auxilia subministrabant, ut majorem hujus ævi fides, quam à fidelibus cladem non acceperit, seu otiosè spectantibus, seu temerè etiam patrocinantibus. Prior Novantium postulatio, quâ stantibus adhuc Catholicis insidiabantur, ut Ecclesiæ, ejusq; Conciliis repugnans, divinoq; cultui injuriosa, scripto etiam typis vulgato, est confutata.

Augustæ religionis libertas per pacem concessa. *Ex actis Imp.*

In posteriori, quam omnino Protestantes deserere non statuerant, ne bellis rursùm civilibus Germania jactaretur, inflecti se Ferdinandus passus est, ut majori quod immineret Ecclesiæ malo, minùs præhaberet, erroresque toleraret, quos evertere non posset. Quocirca post longam disceptationem, parùm decoris priscæ Romanæque fidei legibus 7 Cal. Octobris anni 55 pax vulgata est, cujus hæc summatim capita.

CXI. Articuli pacis.

1 *Cæsar, Rex, Electores, Principes atq; imperij status jurata fide addicunt, Augustanæ Confeßionis hominibus, nullam illis, neq; in rebus suæ religionis, poßeßionibusq; violentiam, molestiamq; adhibendam esse.* 2 *Nec minus antiquæ religionis, seu Ecclesiasticis, seu Laicis, inviolata stabunt, quæcunq; illorum fidem, poßeßionem ac jurisdictionem censusq; spectant, neq; vi aut fraude impedientur. Et siquid controversum incidat, viâ juris decidetur.* 3 *His tamen pacis privilegiis secludantur, quotquot alterutrius religionis non fuerint.* 4 *Quod siqui Ecclesiasticorum à veteri religione decedant, his, dissentientibus licet partibus, Cæsar ac Rex ex plenitudine potestatis decrevit, simul bonis censibusq; ejus, à qua abeunt, Ecclesiæ cedendum esse, quamvis salvâ existimatione & honore id sint facturi.* 5 *Hactenus ante Passaviensem transactionem occupata Ecclesiasticorum & Gymnasiorum Monasteriorumq; bona Augustanæ Confeßionis homines, citra intentandæ litis discrimen tutò poßideant, modò illa ad immediatos imperij status non spectent.* 6 *Ecclesiastica jurisdictio, non exerceatur adversus Augustanam Confeßionem, in rebus ad religionem spectantibus, in ceteris huc non spectantibus suum Ecclesiæ Antistitibus, quod hactenus competiit, jus esto.* 7 *Antiquæ religioni addictis fas sit, census reditusq;, ac decimas, sub cujuscunq; seculari potestate constitutas, exigere, salvis tamen iis, quæ hinc parochiis, scholis, hospitalibusq; ejus loci olim destinata sunt.* 8 *Siquæ inde existant controversiæ, vel per utriusq; partis arbitros, vel*

dele-

 1555.

delectum ab utriſq; judicem, poſſeſſore interea non impedito, ſemeſtri decidantur. 9 *Neutra partium alterius religionis, vi aut fraude, homines ad ſe pertrahat, nec quiſquã contra ſuperiores eorum patrocinium cujusquam ſuſcipiat, niſi priſco illud jure uſuq; firmatum ſit.* 10 *Siqui alterutrius religionis alio migrare cupiant, id bonis commodè venditis citra impedimentum liceat, idemq; mancipijs fas ſit, modò conſuetum redemptionis pretium exſolvant.* 11 *Hac pace, citra perturbationem cujusquam ſtandum erit, dum amica religionis concordia ſequetur; illa tamen non conſecutâ, pacificatio conſiſtet.* 12 *Comprehendetur his pactis quoq; libera imperij proxime Cæſari ſubjecta nobilitas.* 13 *Imperiales verò urbes, quæ utramq; religionem admisêre, in iiſdem, citra moleſtiam partium, coactionemq; hanc liberè exercebunt, priſtiniſq; juribus fruentur.* 14 *Quæcunq; ex ſuperiorum comitiorum decretis huic paci adverſantur, nulla erunt.* 15 *His firmiter ſervandis, nulloque prætextu, aut ex plenitudine poteſtatis per ſe alioſve etiam poſteros infringendis, S. ſua Cæſarea Majeſtas, ac Regia ſeſe obligant.* 16 *Id viciſſim Principes, Legati ſuorum Dominorum nomine, omneſq; imperij ordines ſancta fide pollicentur.* 17 *Quodſiqui pactis, dolo aut violentiâ adverſentur; utraque partium promittit, non tantùm nullum invaſori præbituram auxilium; ſed etiam parti invaſæ ſubventuram.* 18 *Denique mandatur Cameræ Imperialis Iudicibus, ut huic ſe pacificationi conforment, partiq; imploranti æquitatem, citra religionis diſcrimen, auxilia juris impertiantur: neque quicquam adverſus hæc decreta ſtatuere audeant.* Hi pacis firmatæ articuli, quæ Paſſavienſis, à loco unde originem primùm cœpta, traxit, à plerisque nuncupatur. Ferdinandus Rex illacrymans eis ſubſcripſiſſe fertur; Carolus verò Imperator nunquam ſubſignavit. Otho Truccesius Auguſtanus Epiſcopus & Cardinalis, quod in magnum Catholicæ religionis detrimentum cederet, illi vulgatâ proteſtatione 23 Martii ſtatim contradixit.

CXII. Diſplicent Catholicis, & Pontifici graviter reprehendenti.

Graviſſimam illa quoque Romani Pontificis indignationem concitavit. Ille enim, ut erat ſeverioris ingenii, ſuæque autoritatis rigidus vendicator, prætérquam quod averſum ab Auſtriacis affectum induiſſet, ſuum ſibi jus malignè occupatum interverſumque, quod in bona Eccleſiaſtica obtineret, queſtus eſt. Neque ad mitigandum ejus animum Cæſareus Orator quicquam valuit; cùm & neceſſitatem obtenderet, & vires ſectariorum, quæ conſilio magis ac humanitate, quam armis ad æquitatem inflecti poſſint. Nonnulla eiſdem concedenda fuiſſe, ne, quod proclive, raperent univerſa. Documento nuper fuiſſe Carolum ſubitapæne tempeſtate belli, poſt victoriam licet de hæreticis, oppreſſum. Cujus orationi ita occurrit Pontifex, ut fugæ illius ignominiam vindice inflictam Numine, ad temerariam Caroli in tractando religionis negotio referret audaciam. *Iam Germaniam*, inquiebat, *magna ſui parte in officio Eccleſiæ debito futuram, ſi conſtrictam inter manus perfidiam, non tam indulgenter tractaſſet, minusque humanæ fidei credidiſſet ineſſe Principibus urbibusque, qui divinam prodidiſſent. Si pietate magis, quàm regnãdi ambitione arma circumtuliſſet, & victoriam ad orthodoxam potius religionem, quàm avitum imperium firmandum uſurpaſſet. Reſcindenda tam iniquarum pactionum decreta eſſe, quibus improbiſſimis Romanæ Apoſtolicæq; ſedis hoſtibus, non ad frenandam, ſed propagandam licentiam, rapiendique Eccleſiæ bona audaciam, quies, impunitasque concedatur. Quod niſi fiat, Apoſtolicumque jus ac ſedes contemptus habeatur, non defuturas in Europæ* opti-

1555. *optimorum Principum vires, non è cœlo ſpreti Numinis ſubſidia, quibus ſibi adjunctis hanc injuriam ultum eat. Ceterum omnis ſe jurisjurandi religione, quæ in illicitis nulla ſit, Cæſarem Regemque decernere abſolutum. Iubere, velle, ne quid deinde ex hac obligatione Sectæ iis præſtetur.* Hæc ille pro Romanæ ſedis conſuetudine, quando ſecularium autoritate de rebus Eccleſiaſticis decernitur. Verùm Auſtriacos hinc Turca, inde Proteſtantes, præter ipſum Regem Galliarum, armis premebant; ut ſanitas aliqua ex illa videretur parte occupanda, quæ ipſa imperii viſcera premebat, ſine qua totius corporis vires nulli futuri eſſent. Angliæ quoque Regina de religione ſollicita miſſis ad Paulum de ſui regni ſubjectione Legatis, tam apud Pontificem, quàm Galliarum Regem intercedebat, de pace inter præcipuos Europæ Reges procuranda; quòd res Catholicæ Eccleſiæ, ad ſuam incolumitatem, hanc exigere viderentur, quâ priùs impetratâ longè æquiores à Proteſtantibus pacis rationes poterant impetrari.

CXIII. Pontifex Paulus à pace aversus, bellum molitur.

At neſcio, quas inſidiarum larvas, ex occultis literarum notis, tanquam in umbris ſpectra, ſibi Pontifex imaginatus, & Cardinales addictos Cæſari incluſit cuſtodiæ, & cum Henrico Rege Galliarum occultum fœdus conflavit, quo præter Mediolanenſem Ducatum, regnum eidem Neopolitanum addixit, tamen cum amplificatione ſacræ jurisdictionis pro ſede Apoſtolica, & Principatibus quibusdam Caraffenſium familiæ acceſſuris. Quare conflandis ſub Guiſii Imperio Rex copiis intentus, Pontifex verò Duce Ferrariæ Venetisque ad conſpirationem armorum pertrahendis advigilabat: quanquam à tam periculoſis conſiliis ſua hos prudentia ſubtraxit, ille minùs cautus in caſſes deductus ſit.

Heut in Carol. l. 13.

CXIV. In Belgio Marte Gallis adverſo, Chieva, Carolomontum & Philippi-villa excitantur.

Belli à Gallis contra Cæſarem Etruſci finem, occupatis ſenis, Inſubrici verò Vulpiano diruto, illic victis hic victoribus Gallis, principio hujus ſeculi 55 memoravimus; nunc ab Auſtro in Septentrionem progreſſi, Belgica ejuſdem adjungemus. Magis hic utrimq; muniendis finibus operam pars utraque dabat, Mariæburgo & Maſeriæ providit adverſus Martinum Roſſemium propiùs imminentem Henricus, quem cùm deinde Sabaudus acceſſit, nova bellandi arte uſi Cæſarei, munimenta aliquot erigunt, inprimisq; Chiveiam arcem, quadrato vallo, cum propugnaculis ampliſſimis quatuor inſtruunt, tum recens excitare oppidum, idque permunitum aggreſſi, à Cæſare illud Carolomontum dixêre, ubi Roſſemius Porroiæ Dominus, fortiſſimus multisq; expeditionibus celebratus miles, peſte ſublatus, Guilielmo Naſſavii Aurantii Principi locum à Sabaudo primùm fecit: tertium deniq;, poſt Fagnolium Caſtellum occupatum dirutumq; excitarunt ingenti rurſum opere oppidum, quod Philippi-Villa à Cæſaris filio nuncupatum eſt. Quibus Hannoniæ Namurciq; terminis adverſus hoſtem cōſuluêre. Et hæc Gallorum exercitu ſpectante, fruſtraq; obnitente abſoluta fuere: qui deinde, non minùs felici ſucceſſu, Heſdinum nuper conditum, oppugnans, annum conſumpſit.

Clades navalis, qua Belgæ ſe hoſtemque opprimunt.

In mari tamen clades Belgarum haud contemnenda à Francis accepta eſt, at funeſto utriusq; partis exitu. Nam onerariæ Belgarum 24 quæ ex Hiſpania ducebantur, fortiori vi armatarum navium 20 ex Francia occupatæ, cùm poſt atrocem pugnam harpagonibus injectis tenerentur, deſperatis jam

1555.

rebus igne in pulverem tormentarium injecto, se Francosq;, magno numero, Neptuno immolarunt. Prætoriæ ab utraq; parte cum Ducibus absumptæ. Nonnullæ harpagonibus fractis in Hollandiam evasêre, quinq; ambustæ à Francis superstitibus Diepam perductæ, quod illorum fuit in calamitate solatium. Tam hominibus insana pereundi voluptas est, ne soli pereant; maluntq; vitam, quàm opes hosti concedere, ut si illa harum causâ mortalibus concessa esset.

CXV. Caroli abdicatio.

Pontius Heuter. de Carolo l. 14 Strada de bell. Belg dec. 1 l. 1. Ro var. Pöt. & alii.

Sub hujus anni finem Imperator Carolus, quod jam dudùm animo presserat consilium, gloriosaque priùs impetratâ per Europam pace statuerat depromere, hac postremò desperatâ, viribusq; ætate succumbentibus, latere diutiùs palam noluit. Hoc verò erat, depositis imperii regniq; amplissimi honoribus, etiamnum in vita de morte secutura disponere, idque solitario quopiam, & à tumultibus orbis remoto Hispaniarum angulo. Quod jam ante octennium Augustæ, post celebrem illam Protestantium debellationem, in testamento à se condito prodiderat. Tùm Francisco Borgiæ à se ad religionem discedenti, collaudato ejus consilio, tanquam animi latens decretũ, sub fide silentii communicârat. Quocirca èvocatum ex Anglia Philippum Septembri mense, die Octobris 25 Bruxellis in pleno procerum consessu, velleris aurei, à Philippo Bono instituti equestris Ordinis Principem (quæ domus Burgundicæ prærogativa est) creavit. Aderant præter Principem Germaniæ, Hispaniæ, Belgii proceres, legatosque pænè innumerabiles, Rex Bohemiæ Maximilianus, Dux Sabaudiæ Emmanuel, sorores Eleonora Galliarum Regis, & Maria Hungariæ, viduæ. Quibus & Maria Bohemiæ Regina, & Christierna Dani Regis filia Lotharingi Ducis vidua, accessêre. Medius horum Carolus ac Philippus. Cæsar igitur post aurei velleris principatum, solenni ritu filio collatum, per Philibertum Bruxellium sibi ab arcanis consiliis delectum, in hanc sententiam, disertà oratione præsentes affatus est, ut *à sua per Maximilianum avum inauguratione, omnia se pro Belgarum salute ac defensione, quos, ut populares, intimo semper amoris sensu complexus sit, molitum impensè fateretur. Verùm nunc denique fractum viribus, ætateque ac morbis gravem, sustinere molem hanc pro dignitate vix posse, ideoque quod majori illorum commodo futurum sentiat, Philippum eis filium nuper in fidem Belgarum receptum Principem, annis modò consilioque firmatum, Hispanicoque jam ante probatum regimine, & Angliæ regno, non levi utriusq;, gentis emolumento, potitum, relinquere. Quod igitur felix faustumque sibi ac reip. Superi esse velint, faxintq;, Belgicarum se provinciarum, Burgundiæq;, imperio renuntiare, in præsentia omnium, ac Philippo filio unico, legitimoque successori, absolutam supremæ dignitatis ac jurisdictionis potestatem consignare, rogareque, ut hanc suam voluntatem ratam firmamq;, benevolo assensu complectantur, atque iccirco omnes ac singulos jurisjurandi sibi quondam præstiti fide absolvere, quá solum deinde filium, iteratò etiam Sacramento prosequantur. Suam porrò hactenus operam, quam per se, perque Mariam sororem gubernatricem, impenderit, animo studioque, quàm potuit optimo, æqui bonique consulant: siqua in re defuerit, cujus veniam oret, necessitatis potius, quàm voluntatis fuisse sentiant. Dolere se vehementer, quod speratam ab armis quietem, omni à se quæsitam conatu, obtinere ante discessum non licuerit, Deum ejusce pertinacis belli autorem nosse, ac sua etiam in potestate habiturum, ut ad æquam denique cum filio pacem*

Philiberti consiliarii Cæsaris abdicationem proponentis oratio.

infle-

1555. *inflectat. Se verò magnoperè delectari egregiâ semper Belgarum, quam expertus sit, fide, obsequendi, autoritatemq; sui Principis tuendi promptitudine: quâ neque consilio, neque opibus unquam defuerint. Quin pecuniarum, etiam sæpe indebita, largitione, exhausti ærarij vires suppleverint Et hæc universa, quantâ par est gratitudine erga optimos subditos recolere, quanquam in defensionem reip. Belgicæ, præter aurum Hispanicum Italicumque, impensa fuerint. Petere igitur postremùm, ut quod sibi obsequium, quamque fidem præstiterint hactenus, pari in filium promptitudine transferant. Duo verò imprimis omni cura studioq; se discedentem charißimis sibi Belgis cupere velleq; esse commendatißima, Religionem ac Iustitiam, reipublicæ omnis fulcra, hujus ac futuræ felicitatis fundamenta præcipua, quibus nutantibus pacem incolumitatemque cujusvis regni labefactari necesse sit. Et illius quidem manifestißima ante oculos versari exempla, sive orientis, seu occidentis regna contemplemur; nec remota à Belgis abesse discrimina, vicinis ad utrumque latus, hinc Germanis, inde Anglis tristißimâ calamitate eversæ Majorū religionis etiamnum jactatis, postquam ab avita, perque continuam successionem, ab Apostolica Romanaque sede deducta religione, hæreticorum omnium more divulsi, inani Scripturæ divinæ prætensione suis cupiditatibus obsecuti sunt. Standum iccirco pie obsequenterq;, in accepta semel per Majores, & cum Romana semper sede conjuncta religione. Ex cujus observatione suus deinde justitiæ amor vigorque, Belgis, linguâ quidem diversos, sed animorum conspiratione junctos, adversus quemcunque hostem abundè firmaturus sit.* Hæc cùm Bruxellius capita luculentiùs exposuisset, ac postremò Philippum Belgis, iteratò, tam ipsorum commodi, quàm autoritatis illius conservandæ gratiâ commendasset, hæsit aliquantulùm tacita attonitaque concio, rei, quæ paucis nota erat, novitatem admirata, plerisque, importuno tēpore, quo cum pugnacissimo Galliarum Rege Belgæ colliderentur, eripi sibi tanti nominis virtutisque Imperatorem dolentibus. Tùm verò erectus in pedes, dextraque ob imbecillitatem scipione, sinistrâ humeris Aurantii Principis Gui-

Quædam Strada. Dec. 1. l. 1 neglecta addit. lielmi nisus, orationem Gallico sermone cœpit, quàm ex Ponto Heutero præsente ejusdem auditore, iccirco prolixiùs aliquantò, quàm pro more, recitabo, ut vanissimas quorundam scriptorum nebulas & obtrectandi libidinem, quibus rarissimum illud, in tantâ excelsitate demissionis in Carolo exemplum, cùm satis assequi, suis affectionibus indulgentiores, nequeant; corruptis obscurare suspicionibus non verentur.

CXVI. Attonitam concionem Cæsar ipse affatur. Certè qui in supremo illo, tam heroicæ virtutis actu & causarum expositione, Carolo fidem non habuerit, illi multò ego minùs, aliena ab illius virtute differenti, fidem habendam esse censuero. In hanc itaque sententiam peroravit. *Administrationis harum Provinciarum, in filium à me transferendæ causas à Philiberto accepistis. Quibus pro meo in vos affectu quædam à me duxi adjicienda. Meminisse vestrûm plures queunt, jam annum fluxisse quadragesimum, à quinto proxime lapsi Ianuarij die, quando hoc loco à Cæsare Maximiliano avo paterno, quindecimum ætatis ingressus annum vobis moderandis initiatus sum, moxq; insequenti anno Ferdinando Catholico avo materno vitâ functo, Hispanis præesse jussus, ut Matris imbecillitatem ex morte Regis contractam fulcirem, cùmq; biennio post, & ipse Maximilianus Cæsar mortalitate hac functus, vacuum fecisset imperium, summorum Europæ procerum competitor præ ceteris acceptus sum, ut præ-*

te

ma Protestantibus junxissent, atque inermem hactenus audaciam ferro etiam exasperassent? Quid si metu ac virium suarum desperatione ad externa se convertissent auxilia, Regumque Cæsari invidentium implorassent opem, aut, quod exemplis nuper didicimus, ab immanissimo Christianorum hoste Solimanno juvari maluissent, quàm succumbere? an non illa clades esset, nullis satis remedijs sananda? Quis verò ceteros proceres, liberasque imperij civitates (quæ aliorum Principum urbiumque jura inviolata cupiunt, ne sua aliquando violentur) Cæsari operam auxiliumque addicturas fuisse asserat? Videlicet illa mentem Imperatoris ad diversa consilia impellebant, armaque, quamvis hactenus felicia, dissuadebant. 1530.

Inter hæc Sacramentarij cùm à Lutheranorum societate, post tentatam frustra reconciliationem exclusos se animadverterent, Confessionem ex Zwinglij officina prodeuntem per quatuor Imperialium civitatum, Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ, Lindaviæque Oratores Cæsari exhibent. Quæ Confessio majori acerbitate confutata, eo præsertim loco, ubi detortis inani interpretatione Christi verbis, de Eucharistico epulo disertissimè constituentibus illudit; in senatu Principum lecta, contemptimque, quod extremæ impietatis esset, repudiata fuit. Sed ut est humanis sensibus aptior, ijs præsertim in animis, qui semel religionis orbitâ exerrarunt, neque ad tam arduas rerum credendarum sententias submittere intellectum, omnia penetrare cupientem, possunt, plus momenti viriumque ea habuit Confessio (ut temporum hominumque lapsu, ac mutatione animadversum est) quàm primâ sui imagine audientium cogitationi subjiceret. Confutationis exemplar frustra à Cæsare postulatum est, licet, de injurijs ac contumelijs scripto sibi irrogatis quererentur. Mens tamen ipsi adversus hæreticorum omnium artes immota constitit, severoque admodum decreto vetuit Sacramentarios atque Iconoclastas tolerari; aut in traditis Majorum de religione legibus quicquam, ex novi hujus instituti sensu, immutari. Adempta verò Ecclesiasticis viris bona jussit restitui, illosque solùm in imperij tutelam recipi, qui huic Cæsaris voluntati assentirentur. Subscripserunt decreto alij per seipsos, alij per procuratores suos. Cæsar, Ferdinandus Rex, Electorum quinque, Principum Ecclesiasticorum triginta, Sæcularium tres & viginti, Abbatum uno dempto totidem, Comitum & Baronum duo & triginta, civitatum Imperialium novem & triginta, Ulmâ, Auguftâ, Francofurto, & Hallâ officium declinantibus: fedus deinde inter omnes initum, quo mutuis auxilijs ad Catholicæ religionis contra Turcam Sectariosque defensionem sese obstrinxerunt. Acatholici verò nullam se adversus Turcam opem suppeditaturos professi sunt, nisi pax libertasque Evangelicæ, ut ferebant, religioni concederetur: quam se tantâ fiduciâ tueri profitebantur, ut palam esset Romanos suæ caussæ defensionique diffisos oblatam à se Confessionem refellere, suamque, ut par est, religionem tueri non posse. Cùm neque responsionem abs se Confessioni oppositam, publica in luce promere, neque abs se reddendam audeant præstolari. Hoc subterfugium non esse, nisi de caussa, justaque propugnatione desperantium. Quo argumento tanquam

LXXVIII. Sacramẽtarij cum majori opprobrio confutati, rejectiq.

Severo, decreto multorũ consensu subscripto, Sacramentarij damnãtur.

An. Chr.

quam vehementi quodam ariete multorum adhuc in fide stantium robur animi debilitarunt; ut ruina deinde plurimorum compertum est.

LXXVIII Lutherani instructi ad pugnā prodibant adversus Catholicos, non solum minus ad certamen paratos, sed etiam ab eodem justa ex causa prohibitos.

Et certè exercitatiores illi multò sua in causa quàm Romani hanc in pugnam producebant; ut periculosum non minus esset in arenam progredi, quàm eandem declinare. Illi fortissima quæque veterum hæreticorum tela ex S. literis in Catholicos deprompta congesserant, jam certi, quam in partem hæc ipsa librarent, soloque Scripturæ sacræ, tanquam arcis securissimæ contenti præsidio, ex hac in adversarios sæpè ignaros, quâ parte impetendi essent, improvisò proruebant: hi per Scripturæ divinæ interpretes, Patrum scripta, conciliorumque decreta, tanquam patentissimo effusi campo, vagi oberrabant, ac denique quidquid ex his protulissent, velut plumbeum retundi spiculum ab adversarijs, horum autoritatem detrectantibus, sentiebant. Jam verò etiamsi Romanis pro antiqua fundatissimaque veritate decertantibus, sat doctrinæ viriumque ad hanc pro dignitate propugnandam, modò, in vastiori studio, tempus indulgeretur, suppeteret: tamen Pontificio mandato vetabantur, in disputationem progredi; quòd nefas esse sentiret receptissimam fidei ab Apostolico ad nos ævo traductæ veritatem ceu dubiam in disceptationem abstrahere. Poteratque ad firmandam hujus decreti æquitatem Lutheri ipsiusmet hoc anno vulgatum contra Anabaptistas testimonium proferri, illâ Scripturæ fretos sententiâ, cùm adultos tantùm baptizandos statuerent: *Qui crediderit* (quod adultorum solùm esse sentiebant) *& baptizatus fuerit, salvus erit.* Hos igitur cùm profligatos Lutherus vellet, tanquam publicæ pacis turbatores, neque sufficiens ad illos ex solis Scripturis refellendos argumentum suppeteret: *negat cum ejusmodi hominum genere vel disputandum, vel agendum multis, qui articulum in Scripturis fundatum, & consensione orbis Christiani probatum impugnant; sed tanquam impios, & in Deum blasphemos simpliciter damnandos. Nam hujusmodi dogmata, quæ publico universalis Ecclesiæ consensu recepta sunt, jam pridem satis examinata fuisse, & rationibus, S. Scripturæ testimonijs, professione totius orbis Christiani, insignitis miraculis, multorum Martyrum sanguine, omnium Ecclesiæ Doctorum autoritate, & libris, ad eum modum confirmata & stabilita; ut ea in disputationem postliminio revocari non deceat.* Hoc igitur in se suosque telum Lutherus retorsit: ut justo appareat silentio abundè Lutheranos à Catholicis, tot præsidijs contra omnem insultum fretis, confutatos fuisse.

Ulemb. in Luth. c. 23. ex tom. 5. Jen. edit. p. 147. in Psal. 71.

LXXIX Aliâ premi ratione modoque Lutherani & Confessio eorum illorum cōfusione repudiari potuisset, nisi Deo aliter visum.

Ceterùm ad plausum Catholicorum, & Adversariorum confusionem, salvâ Pontificis voluntate, Imperator oblatum Confessionis Augustanæ libellum, visum prælectumque, ut factum, publicè, repudiare quamprimum poterat; quòd suam, ut professi erant, adversus Catholicos sententiam, non verbis Scripturæ sacris, sed proprijs errorique obnoxijs discursibus exprompsissent. Se enim verò disertam claramque non aliundè, nisi ex verbo Dei expectasse Confessionem; quam cùm non dederint, hâc porrò vanitate facessant, suâque erubescant novandi temeritate atque arrogantiâ. Quod si excepissent, suis se potius, quàm Scripturæ verbis locutos; quia non uno hæc loco, nec consequenter hos articulos, neque apertis omnia verbis, sed deducendâ per discursum sententiâ contineat;

et iccircò clariore hâc , magisque compendiosâ opus dissertatione fuerit. In promptu erat responsio , id jam olim à sanctis Patribus concilijsque longè securius præstitum; quos cùm ipsi suis verbis utentes, non vereantur errori obnoxios dicere ; id longè potiori de novitijs his Scripturæ S. interpretibus sentiendum. Ideoque nihil in hac Confessione offerri prudentis pijque hominis acceptatione dignum. Verbum ipsos Dei promisisse non hominum , illud itaque clare definitaque dandum sententiâ, aut cedendum. At fortasse replicaturi erant: se hanc Confessionem ex solo verbo Dei scripto, non verò ut Romani, ex traditionibus etiam non scriptis, ideoque incertis produxisse. Ut proindè illa multò securior præ his debeat existimari, qui varias res tam in fidei articulis, quàm cæremonijs extra Scripturam Pontificis sui autoritate credenda observandaque imperent ; quibus tutâ ipsi nequeant conscientiâ acquiescere. Hæc igitur in sua Confessione ad tranquillandas mentes omissa; ut tantò propiùs S Scripturæ adhærescant, à qua vel latum unguem deflectere periculosum sentiant. Verùm & hîc parata injici obluctantibus vincula poterant. Hoc ipso suum errorem prodere , manifestumque esse, quòd Scripturam non sequantur , quæ disertissimis, & inter postrema quidem Apostolorum scripta verbis mandet : *Tenete traditiones, sive per scripturam sive per sermonem acceptas.* Quo nihil clarius pronuntiari hac in causa queat: non posse iccircò traditiones non scriptas in Ecclesia Dei negligi , nisi etiam scriptæ ab eis rejiciantur, utrasque ab ejusdem Ecclesiæ infallibili spiritu veritatis directæ autoritate pendere, quæ non minus certa verbi traditi , quàm scripti custos, & fuerit hactenus, & usque ad sæculorum finem sit futura , *quam qui in fide non audierit , meritò ethnicus atque infidelis sit habendus.* Quare si quam venerationem S. Scripturæ habeant , in hac tam diserta receptaque ejus sententia jure esse acquiescendum , novitiâ hâc Confessione procul amandatâ. 1530. 2.Thes.2

Hæsisset hic certè conatus omnis Protestantium cum ingenti rubore ad hanc petram veritatis allisus. Neque enim quicquam par in tam clara absolutaque sententia ex verbo Dei scripto produci poterat, quo non scriptæ traditiones, aut Ecclesiæ in petra veritatis fundatæ autoritas elideretur : multòque minùs hanc, quam præ se ferebant Evangelij Apostolici prædicationem ex solis Scripturæ verbis exprompturi erant , aut probaturi suas tantùm ex Scriptura ductas conclusiones infallibili veritate subniti, idque Lutheranos potiùs, quàm, non dicam Catholicos , sed Zwinglianos, aut Anabaptistas, ex S. Scripturis opposita concludentes præstare , quorum mutua ex ijsdem principijs ducta concertatio vanitatem omnium manifestò experimento demonstrabat , ludibrioque rectè sentientium exponebat; quòd certum nobis esse principium veritatis non possit, ex quo non minus falsum , quàm verum deducitur. Hinc verò non aliud patebat effugium , quàm ut sibi tantùm rectæ intelligentiæ spiritum concessum esse profiterentur, atque ad tenerrimum illum suæ conscientiæ sensum , quem lædi nollent, cum risu sapientûm hominum provocarent, qui illud Christi ignorare non poterant : *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos* , quos superioribus annis Matth, 7. 15.

An. Chr tales Lutherus in vita moribus scriptisque dederat; ut qui hos à Deo esse sentiret, cum alijs, quàm veræ religionis, pietatisque ac pacis hostibus sentire non posset.

Vide Meditatæ meæ concordiæ partem 4. cū provocatione Academiarum ad publicæ autoritatis responsionē, qualis nulla hactenus à me visa est; nec dari rationabilis potest.

Validissimæ hujus machinæ vim, quam expertus didici talem esse, cui nemo Sectariorum queat resistere, ut superiùs quoque insinuatum, præterire hoc loco nolui; cùm in qualibet controversia validius nihil sit, quàm argumentis adversarium proprijs, veluti hastâ eidem ereptâ confodere; quod hâc arte spoliatum suis armis, ceu David Goliathum facilè opprimat. Promptiùs itaque ad Protestantes refellendos nihil erat, quàm ad Scripturam S. provocantes, hinc jubere definitam, impermixtamque humanis commentis & fallacibus interpretationibus, sententiam depromere, cui alia è diverso Scriptura, Catholicique à primis seculis interpretes non contradiceret: id verò non præstantes, ceu compertæ vanitatis homines, contemptim rejicere. Ita & huic, & susceptis postea sine ullo ad veritatem cognitam emolumento disceptationibus aditus uno præcisus ictu fuisset. Verùm Deo nondum placuit, hâc mente suppeditatâ, in primo hanc seditionem religionis ortu supprimere: cum ipsius conniventiâ *oporteat hæreses esse, ut hi, qui probati sunt, perfecti fiant*, aliorumque oppugnatione aliorum virtus, quæ sine adversario friget, firmata tanquam adversis ventis arbor, proficiat: tum ut multorum Europæorum impietas hoc denique erroris barathro mersa, digno mactetur supplicio, & separatis in Ecclesia paleis granisque, scoriâque & auro, horum esset usus integrior. Undè quod Clero Religiosisque familijs, atque Ecclesiæ Catholicæ alibi demptum est, accessit alibi tanquam maritimo in æstu, qui non auffert aquas, sed transfert. Undè quæ Saxonum, aliorumque Septentrionalium, crassiori aurâ atque indole fruentium, infelicitas fuit, hæc ad Meridiem Occidentemque vergentium felicitas est; quòd alieno, ex solutiore vita ducto præcipitio cautiores, Christianæ disciplinæ institutum sanctiore cultu prosequantur, aliorumque periculo discant sapere.

LXXX *Federi contra Turcam, & electioni Ferdinandi in Regem Rom. A-catholici, nisi facta religionis libertate, nolunt accedere.*

His igitur, ut dixi, Augustæ constitutis, haud multò pòst Augustana mulier, præter hominem serpentem bipedem peperit, & silvestrem aprum, captumque animal quadrupes humanam faciem præ se ferebat, ut si natura cum religione degeneraret. Et sanè exulceratis utrimque animis discessum est. Luthero interea tragicis scriptis in adversarios furiosiùs, quàm unquam antea ex Coburgensi arce detonante. Cæsar verò Ferdinandi fratris in Romanorum Regem eligendi gratiâ, (ut haberet, quem se absente cum autoritate atque imperio in Germaniam sufficeret) Principes Ordinesque Germaniæ Coloniam evocat. Sed Elector Saxo, ceterique Protestantium, non modò venire detrectant; verùm ut ab electione ceteros imperij Principes deterrerent, per literas vehementissimè contendunt, & leges pristinas, & libertatem eligendi violari, si vivis etiamnum Imperatoribus, ad unius familiæ voluntatem atque usum imperium transferatur. Sed & Agrippinam ad Cæsarem 24. Decemb. Smalcaldiâ confederati Principes has literas transmittunt.

Percrebuit mulorum sermone rumor; de Ferdinando à Tua Majestate ad spem regni Ro-

*mani admisso. Quâ verò illud juris autoritate fiat, nondum satis intelligimus. Adhuc integræ tibi cum vita Cæsar vires constant: nec leges Carolinæ sinunt, ante fata Imperatoris, Regem succedere: nec in eam necessitatem res imperii conjecta sunt, quæ plures in Germania Reges postulent. Quo minus probandum erit, si ad vulgatam Ferdinandi ambitionem ipse Cæsar, tam immaturo desiderio, fautor accesserit, si Moguntinus ex officii sui ratione Coloniam Principum Ordinumque coitionem hac mente imperet. Hujus consilii cum & nostra intersit, qui ejusdem imperii, velut corporis membra, integritatem maximè cupimus, tacere non possumus, ubi tam luculenta pristinæ libertati vulnera infligi sentimus. Memineris, ò Cæsar, quàm sanctâ te fide, juratis etiam verbis, legi Carolinæ tuendæ obstrinxeris; ut neque tibi, neque alteri concessione tuâ facultatem ullam reliquam feceris ab hac lege deflectendi. Quid verò si te vivo, vidente, atque etiam probante Germanus frater ambitiosè Romanam coronam occupet? annon manifesta juri ac libertati nostræ violentia adhibetur? vetant jura, ne quis ambitionis deprehensus, ne sine consensione Principum, ne superstite etiamnum Cæsare in regnum admittatur. Hæc ignorare non potes cum Sacramento defendenda susceperis. Vide quid agas (ignosce liberiori orationi, quam veritas & Reip. communis amor extorquet.) si duos uno tempore imperii cervicibus dominos imponis, tuam autoritatem, nostram libertatem, Reipub. leges opprimis. Veterum tibi temporum memoria redeat, & quantorum semina malorum jacias diligenter ac mature considera, ne ad sera denique remedia intempestive respicias.** 1531. 1531

Hæc ad Cæsarem confederati. Saxo etiam aliique Apostatæ Principes ad septemvirale Collegium ejusdem argumenti literas dedere, ut àproposito jam inclinatos deflecterent.

Protestãtes suis partibus firmandis intenti, vicinorũ Regum opem, adversus Austriacos sibi adjungunt

Indicto deinde Smalcaldiam conventu imploratoque vicinorum per Austrum Septentrionemque auxilio, occultis apertisque federibus adversus potentiam Austtiacam, suis conatibus nimium iniquam, conjurant. Nec difficile fuit Gallum inveteratâ æmulatione cùm Austriacis Germanorum Cæsaribus certantem, ad opem, non armorum quidem, sed stipendiorum inflectere. Quin& Anglorum Rex Hinricus, indignis Annæ Bolenæ meretriculæ amoribus irretitus, divortio Materteram Cæsaris exclusurus, cum obstanti apud Pontificem Carolo, non mediociter esset offensus, facilè hæreticorum caussæ favere cœpit. Danus verò Rex, Megelburgique ac Pomeraniæ Principes, honestâ postulati auxilii excusatone, hanc rebellionis fovendæ invidiam declinarunt. Porrò Septemviri, diversorum cohortationibus impulsi, Cæsarem orant; ne Germaniam deserat, sed in ista majorum suorum imperiique sede, præsens pifererum arbiter rectorque acquiescat.

Belcarius lib 20. n. 36. Surus in Com. ad hunc annum Cochlæus & Vlemb. in Luthe.

Verum cùm ad hanc sententiam inflecti non posset, gravissimisque rationibus, ob imminentem Turcarum vim, atrocesque de religione contentiones doceret, alterum post se Reipub. caput summopere necessarium. Et talem quidem virum, de cujus fide vigilantiaque, neque ipse, neque imperium dubitare possit: qui iis etiam præter Caroli rerum peritiamutatur viribus, quibus & barbarorum resistere immanitati, & seditionis Germanorum consiliis possit occur-

LXXXI *Ferdinãdi fratris electionẽ, invitis licet Protestantibus atque etiam Bavaro Carolus tandem persuadet, qui Colonia electus, Aquis coronatur.*

gere facilè perſuaſit, nullum hac in dignitate Ferdinando præferendum, qui ad Auſtriacorum vires, Bohemiæ Hungariæque regnorum, licet afflictam non nihil, potentiam, adjungeret. Quanquam Guilielmus Bavarorum Dux magnis, cùm laudatiſſimæ familiæ, tum egregiarum virtutum ornamentis tanto non impar decori, ſe ſuoſque familiares negligi, perpetuâque, quatuor ejuſdem ſanguinis Cæſarum, adoptione imperium, veluti hereditarium occupari, palam quereretur. Ceteri verò Principum quod ſuperiorum annorum experientiâ didiciſſent, per Senatum Imperii, abſent Cæſaree, minus validè rectèque magnam rerum adminiſtrandarum molem ſuſtineri, Ferdinandum, collatis ſuffragiis Romanorum Regem Coloniæ Agrippinæ pronuntiarunt, Solenni-
LXXXII que majorum ritu undecimo Januarii die Aquiſgrani inaugurarunt.

Lutherani Principes & urbes ſmalcaldico federe conjurati Francofurti conveniunt, & Ferdinandi electioni obnuntiant.

Martio deinde menſe Smalcaldiæ de federe Acatholicorum ad ſui ſuſceptæque religionis defenſionem ineundo deliberari cœptum eſt. Vbi Lutheri liber, de cujuſvis, etiam improbi Magiſtratus tolerando imperio conſcriptus, à Iuriſperitis excuſſus, traditùmque ex legibus politicis nonnunquam licere obſiſtere; quod cùm ignoraſſe ſe Lutherus apertè profiteretur; facilè, & ipſe & præcipui Sectariorum aſſenſum nominaque conjuratæ adverſus Cæſarem amicitiæ dederunt. Lubeca verò & Luneburgum fruſtra ad familiare pactum invitata ſunt. Baſilea etiam, Helvetiorumque ZWinglianiſmo depravatæ urbes, licet ſexennali federe Haſſorum Principi (non obſcurè faventi) devincti eſſent: tamen admitti recuſarunt, tanquam ejuſdem religionis participes. Supererat controverſia de Romanorum Rege Ferdinando, quem pro ſuo Cæſar imperio datis ad Saxonem literis, eo titulo locoque obſervari juſſerat. Cujus rei gratiâ Francofurtum ſynedrio Proteſtantes colliguntur: ubi, quamvis civitatum legati Ferdinandi Regis electioni refragrari nollent; Principes tamen viri renuntiarunt Cæſari, ſalvis imperii legibus, electionem, multis partibus vitioſam probare ſe nequaquam poſſe. Ita ad bellum in Germania inteſtinum omnia ſpectare cœperunt, poſtquam jam, religionis defendendæ cauſſa, civitates quatuor & viginti principes viri Septem Proteſtantium nomine animos, armaque ſociarent.
LXXXIII Franciſcus etiam, Galliarum Rex Auſtriacæ offenſus potentiæ centum aureorum nummum millibus apud Bavaros depoſitis alimenta bellorum ſubjiceret, qui licet religonis diſſidia improbaret, armorum tamen, Anglo ſibi juncto, fovere non deſitit; rebellionis non cauſſæ ſtudioſus.

Lutherus publico ſcripto Cæſari ad bellum vocaturo docet parendum non eſſe furioſa declamatione.

Triumphabat inter hæc extremâ maledicendi petulantiâ Lutherus, duobus planè turbulentis tractatibus (quod Schleidanus manu tangit) in lucem emiſſis. Altero complectebatur admonitionem ad Germanos: quo *Cæſari bellum imperaturo minimè obſequendum eſſe contendit; ne rebellionis contra Deum rei, corporis ſimul animæque periculum incurrant. Neque enim vel Turcam tam inſanum eſſe aſſerit, qui contra Alcoranum ſuum pugnet; cùm tamen contra Evangelium proprium Diabolici Papiſtæ furioſe inſaniant: ut comparatione tam Sancti Turcæ, hi meritò Dæmonibus accenſeantur.* Altera caſtigationem Decreti Auguſtani amarulentam omnino comprehendit, atque illa ferè in ceteris verba adhibet.* *Dico ego Martinus*

tinus Lutherus indignus Evangelista Domini nostri Iesu Christi, quod hoc dogma: Sola fides sine operibus justificat, coram Deo, firmum atque incussum tolerare debeat Romanus Imperator, Turcicus imperator, Tartaricus imperator, Persarum imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, falsi fratres, totus mundus simul cum suis Dæmonibus, atque insuper sustinebunt ignem tartareum capitibus suis imminentem. Hoc esto meum, Doctoris Lutheri, à Spiritu Sancto dictamen verumque & sanctum Evangelium. Ad scripti hujus calcem adjungit. *Ego in Dei nomine atque invocatione super aspidem & basilicum ambulabo, & conculcabo Leonem & Draconem. Ea res inchoata est in vita mea, post mortem perficietur. Vaticinatus est de me S. Ioannes Huß, qui cum in vinculis esset Bohemicis scripsit, in hanc sententiam; assabunt nunc anserem* Huss, enim anserem linguâ Bohemicâ significat. *Sed post annos centum cygnum audient cantantem, quem ferent, quamvis inviti.* Hunc se Lutherus esse gloriabatur. Monitus porrò ab amico, tam effreni maledicentiâ temperaret, respondit, alio scripto, inter cetera. * *Nihil curo, quod queratur extare in meo libro mera maledicta, atque Diabolos, hæc debet esse gloria mea, meusque honor. Hoc execrationum tonitru, atque fulgur erit æris mihi campani instar, quo ad sepulturam ipsorum insonabo.* Tanto zelotâ ad gravissima quæque Reipub. ac salutis negotia autore ac duce utebantur, utiqui soli viderentur sibi in rebus divinis sapere, omnium rectè sentientium judiciis fedissimo errore desiperent; cùm homini usque adeò suarum affectionum impotenti morem gererent. Et cum de S. Scripturæ intelligentia potissimum certamen susceptum esset, unius Apostatæ mallent, quam receptissimæ tot seculis Ecclesiæ universalis interpretationi acquiescere. Incredibili quidem omnibus sanæ mentis hominibus; sed tamen usitata hæreticis perversitate. Vt nihil unquam toto orbe insanius hæreticorum illa sapientiâ repertum fuerit, quâ primus semper autor plus sapuisse creditur, quàm Ecclesia universa. Animadvertit hanc suam aliorumque vertiginem, Lutheranæ sectæ impensæ jam pridem deditus, Georgius Wicelius Saxo: qui, ut erat sectariorum Ecclesiæ præfectus, ubi Sanctorum Patrum scripta ac primæ veterisque Ecclesiæ monumenta magno studio lustraret; ut hinc religionis recens natæ præsidia ac firmamenta, pro causæ, quam susceperat, defensione, accerseret; suâ se expectatione frustrari, ac inani verborum jactatione à Lutheranis veteris Ecclesiæ instaurationem intellexit ostentari, reipsâ, ab omni illos vetustate & antiquorum disciplina remotam novitatem pefidiose moliri; ut; institutâ hanc in rem ex veterum præsentiumque disciplinis comparatione, longè diversis opinionibus Lutherum modò insistere, libello Justo Jonæ oblato, docuerit. Quod hominis studium, cùm Lutherus magnoperè aversaretur, accusatum per calumniam Wicelium Witenbergæ vinculis intercepit; sed cùm erroris illum de Trinitate, nuper per Servetum Hispanum exorti, Campanumque Wicelii familiarem promoti, insimulasset; neque alia suppeterent admissi sceleris argumenta, libertatem vitamque eripere innocenti non potuit.

Hic denique Wicelius, ubi ad mentem partesque Catholicorum rediisset, egregi-

1531

* Arrogantia marticulà, de sola fide justificante, & fendendo.

Apologia sive Motiva conversionis typo edita.

LXXXIV Wicelius Lutheri discipulus ad veterem

rem Apostolicorum Patrum doctrinam Lutherum non posset insistere, variis illius novitatibus, & inconstantia hominis offensus ab eo decessit causis scripto vulgatis, quas hic breviter subjicimus

An. Chr. egregiam facti sui rationem simulque frivolas adversariorum artes scriptis apologeticis complexus est. Quorum summa quædam capita hic obiter strictimque delibanda censuimus; ut quibus jam tum initiis recens condita religio steterit, latiusque propagata sit, ex callentissimo earum rerum homine utcunque
, constet.* Principio, inquit, comperi religionem hanc nostram schismati,
, quam Romana illa sit, propiorem esse: cùm, uti centenæ aliæ post Christum na-
, tæ hæreses, manifestum autorem à communi via abeuntem habeat: nil verò
, simile de Romana fide, nisi variis ac fluctuantibus adversariorum sententiis,
' doceatur. Autoris ipsius ingenium moresque arbitratus sum: nihil in illo
, pium, nihil sanctum constansque: nihil non seditiosum, audax, lubricum,
, sanguinariumque experiebar. Ad suum unius cerebrum omnium ipse opinio-
, nes tam pertinaciter revocat; ut quidem verbo sacras literas, reipsâ normam
, fidei seipsum constituat· Interea quæ nuper, ut certissimas fidei regulas, præ-
, fixit omnibus sub extremo salutis discrimine, mox eâdem facilitate refigit, uno-
, que ore ac calamo affirmat, negat; adstruit destruit: ut hæc me cogitatio, etiam-
, num à Lutheri partibus stantem, non mediocriter perturbarit: Quid si ipse Dux
, noster nondum ea assecutus sit, quæ credenda jam nunc ad salutem asserit?
, Quid si iterum demutet, & diversa ab his asserat, quod post notam illam à
, Romanis secessionem, annis ab eo superioribus factum: cum, quæ hactenus
, tradidisset publico scripto irrita esse voluit. Certe qui primis illi annis ad-
, hæserunt, ac morte occupati sunt, cùm in multis à Romanis nondum dices-
, serat ipsius etiam Lutheri judicio veræ expertes fidei, æternum utique pe-
, rierunt. An non fieri poterit, ut rursus quippiam ejusmodi designet: hac
, præsertim tempestate, quando inter illa rerum discrimina, jam ab annis qua-
, tuor plurimum mitescere compertus est? Ita nimirum, post tot annorum
, periodos cum Luthero exactas ad huc infidelis fuero, Quæ vero ista hominis
, inconstantia? an non idem est genius (quem ipse statim exordio se à Deo certissi-
, mum possidere jurabat) qui hoc opus ut auspicantem sic absolventem mode-
, ratur? Jam quantâ in omnes rabie debacchetur, quàm implacabili furore ex-
, æstuet: quis videt, auditque, & in Christi schola ac disciplina Lutherum ver-
, sari affirmare poterit? Ad Evangelium sacrosque libros provocat: quid in scur-
, rili hominis lingua, quid ebria ac voluptuaria ejus vita cum Evangelio con-
, spirat? Quid asseclæ Lutheri omnes, sive plebeiæ concionis moderatores, ac
, religionis duces; sive vulgus ipsum, his creditum Pastoribus, Evangelicæ sim-
, plicitatis habet? Specioso fateor argumento depravati Christianorum in Ec-
, clesia mores ad emendationem per Lutherum primò postulati sunt, abusus
, nonnulli ex sacris reprehensi literis, ad Evangelii leges revocata exerrantium
, libertas; sed pro hac emendatione, extrema morum pernicies; pro corre-
, ctis abusibus, insana religionis animorumque confusio: pro errore uno, sub
, Evangelii pallio, infamis & sentiendi, & faciendi licentia in omnem latè
, Rempub. propagata est. Illa in Deum pietas, templorum frequentia, precum
, usus, quemadmodum eviluêre! ubi jejunia toties in sacris prædicata literis?
ubi

irritatum Pontificem invitare, quam demùm necessitas ipsa persuasit. 1556.

Nam violatarum induciarum pœnas, non in Italia solùm, sed & Gallia Deus magnâ clade gentis exegit. Postquam enim istic Caspar Colignius armorum Præfectus Duacum pridie Epiphaniæ fraude armisque infelici aggressione tentasset, Lensio etiam occupato exustoque, magnam prædam abegisset, Philippus Rex tantâ inter juratas inducias armorum insolentiâ irritatus, Mariâ etiam Anglorum in societatem belli adductâ, ingenti conflato utriusque gentis exercitu, Sabaudo Duce, ipsa penetravit Galliæ viscera, & Sanquintinum arcta obsidione pressit, quod cum Duce Annæo Monmorancio Stabuli Comite, & primo Regiorum armorum ministro, Franci introducto milite, à periculo vindicare conantur, commissæ sensim utræque inter se copiæ, prælio Francis exitiali X Augusti conflixêre, cùm à Sabaudi hinc, illinc ab Egmondani Comitis equitatu abeuntes intercepti, post dimidiæ horæ pugnam dissoluti, fugientes in præeuntem jam cum tormentis impedimentisque peditatum illisi, hos etiam turbatis ordinibus aut occidioni, aut hosti se dedere coëgerunt. Apparatus omnis in manibus Belgarum Anglorumque, cum ipso Monmorancio præcipuisque belli Ducibus, vel cæsis, vel interceptis, relictus est. Cæsorum tria, Interceptorum quatuor ferè censentur millia Gallis non diffitentibus, licet hi attenuare cladem, extollere Hispani conentur. Certè hoc uno prælio Gallorum res spesque attritæ haud leviter fuere. Nam Philippo Rege in castra, cum majore præsidio adventante, urbs, quamvis aliquod subsidium accepisset, 26 Augusti dedita est, formidatumque, ne ad ipsos Parisios Philippus, successibus tantis audacior, duceret. Unde Henricus extrema virium colligens nobilitatem tota Gallia, sub pœna amittendi honoris conscribit, Parisiensibus quotquot arma ferre possent, induit, suasque in cohortes legionesque dispertitur, Guisium ex Italia properatò revocat, arma Scotorum in Anglorum gentem concitat, Helvetios Germanosque, quanto potest numero, conscribit. Ut mirum videri queat, tantillâ, ut Galli jactant, clade, tantùm trepidationis incussum toti Galliæ fuisse. Hama deinde à Rege Philippo, à Sabaudo Noviodunum, & Chaunium in potestatem redacta sunt. Quando propiori jam hieme Angli sub Penbrocho Duce, acceptis stipendiis, ad sua propugnanda remissi, facilem à Scotis victoriam retulêre, ut hi pacem pro gratiâ amplexi sint, ceteris etiam victoribus, hoste in præsidia ad solam defensionem intento, nimis præpropero victoriæ fructu, quies data est, cùm Gallorum ardor, in tanti exercitus conscriptionem impensus, nec brumali frigore, nisi insigni aliquo facinore, restinguendus videretur.

CXXIX. Ingenti quoque clade Galli in Belgio violatas luunt inducias.

Henricus acceptâ ad S. Quintinum clademm omni ope, revocato etiam Guisio, instaurare conatur.

Guisius, ubi in Italia mandata Regis accepit, Pontifici nihil consultiùs pace fore, ultimo discriminis impendentis metu, persuasit. Quare ne timore magis, quàm ratione amplexus oblatam toties ab Albano acceptare denique videretur, Venetis Florentiæque Duce conciliatoribus imploratis actum, ut Cardinalis Caraffa cum Albano, plena jam utrisque potestate illinc à Paulo, hinc à Philippo facta, Cavis convenirent, qui his legibus pacem conclusêre, ut singulari Philippi demissione, hic victus, Victor Paulus censeri posset, *Rex Philippus, aut ejus Legatus à Pon-*

CXXX. Guisius ante discessum pacem Pontifici persuadet, quâ benevolam ab Hispani impetrat.

1556 *Pontifice ante actorum veniam flagitet, foederi Gallico obnuntiet Pontifex, Regemque Philippum in gratiam recipiat. Vrbium arciumque possessionibus priores recipiantur Domini. M. Antonij Columnae, Ascaniique & Balnaei causa Pontificis Regisque arbitrio conservetur, Paliano interim* (quae occulta conditio erat, quod Paulus pro sua id familia speraret) *sub custodia utriusque servato, dum lis decidatur. Guisio cum exercitu Gallico liber abitus commeatusque ex Italia praebeatur.* His conclusis, Albanus postridie Idus Sept. Romam magnam populi applausu, (quod, licet victor, reverentiâ S. Sedis pacem implorasset) ingreditur, pedesque Pontificis, cum veniae deprecatione, exosculatus, praeter captivos opulento Hispaniae prioratu, pro filio Notho, donatus est. Carolus etiam Cardinalis Pauli Nepos, honorificâ ad Philippum legatione missus, Palianum suae rursum familiae, eliminatis Caraffis (quae prima fuit armorum causa) Philippi donatione vendicare conatus est, ut postulantis hanc audaciam mirati, quem summo honore exceperant, nullo dimissuri fuissent, ni Philippus munificentiae suae exemplum daturus, duodecim illi millium scutorum censum chirographo assignasset, quo tamen dono magis legato, quàm Pontifici satisfactum est. Hicque reprehensus, ceu mandatorum neglector est, quae prima fuit Pontificis offensa, quâ ab aliis sensim, ob morum in Nepotibus corruptelam, inflammatâ, severissimus exactor aequitatis Pontifex, & hunc, & Nepotes alios aulâ suâ proscripsit, justaque in se castigatione plexuit, quidquid sanguinis indulgentiâ peccârat.

Repulsam in Palianipetione passus Pontifex nepoti Legato indignatur.

CXXXI. *Carolus in Hispaniam classe appellit insignis pietatis specie, & Dei providentia cum praetoria eo exposito, mersa sit.*

Carolus inter haec superioris anni 56 mense Septembri quinquaginta facilè navium classe, ex Belgicis, Cantabricis, Anglicis septimo die è Zelandiae portu solvit, unà cum duabus sororibus, felicique provectus cursu, Laredum Cantabriae oram attigit: ubi cùm exspectatam diu terram attigisset, provolutus in genua eam tanquam brevi subiturus corpore, osculo libavit: &, *Salve*, inquit, *exoptata mater, nudus ego quondam de utero matris prodii, tu rursus nudum me recipies*. tum deprompta è sinu Crucifixi effigie: *Te*, ait, *bone Iesu, Duce tot hactenus expeditiones suscepi, quibus cum hoste non infeliciter pro reip. salute congressus sum: quare & hanc ultimam pro animae meae bono, felicique emigratione susceptam, sospitare digneris.* Vix abierat à classe Caesar, cùm mare, quod placido hactenus illum sinu tulerat, repente intumescere, tantaque collidi inter se vehementiâ naves, ut confracta, quâ vectus fuerat, praetoria, undis hausta subsideret, quasi ultimo honoratissimoque post tanti Caesaris vecturam, officio perfuncta. Ita absolutae navigationis felicitati applauserunt Superi, ut Caesari se parsisse ostenderent, etiam cùm nocerent.

Pontius Heut l. 14. Strada de bel. Dec. 1 l. 1 Surius in com. Godelev. in Ad. to. 2.

Promovit hinc iter Burgos, ubi minuendo comitatui, munerandisque quibusdam clientium intentus tantisper substitit. Explodendaque hic quorundam narratio est, qui pecuniarum promissarum indigentia haesisse, nec sine stomacho, quin etiam obortâ renuntiationis factae poenitentiâ, censent. Quis enim sibi persuaderi patiatur tot regnorum, tantarumque opum possessorem, post ingentem pecuniarum vim bello Germanico collectam, & Belgicos tot provinciarum census adeò nudum appulisse in Hispaniam, ut repentè indigens, nec ministris quidem solvendis par esset, atq; ad illam animi dejectionem, & tanta excelsitate subitò

CXXXII *Burgis clientes à se muneribus honora-*

1556 tos dimittit, nullumque omnino pœnitentis ob rerum tiat onem argumentum reliquit.

bitò deciderit, vir adeò firmi inconcussique in semel deliberatis animi, ut nec hominum, nec elementorum vis illam infringere hactenùs fuisset visa. Ridiculumque est, quod Philippum Caroli filium postea dixisse comminiscuntur, cùm Granvellanus monuisset: *anniversarium hunc esse diem, quo Pater Carolus regnis se abdicasset*; excepisse enim Philippum, & *anniversarium quoque esse, quo facti pœnituisset*. Certè qui ejusmodi fabellis assentiuntur, iisdemque, ceu probatis, chartas illinunt; hi mihi non in Carolo, sed in seipsis animi judiciique infirmitatem declarare videntur. Humilium enim ea labes mentium est, ut cùm tam altas cogitationes vix queant in se concipere, in aliis vix possint credere. Nullus sanè vel dignus tanti commenti autor, quo meritò ipse Philippus erubesceret, ceu patris opprobrio delectatus, vel umbra pœnitentiæ, tam illustre Imperatoris factum obscurasse comperta est. Qualis facilè invidorum quorundam, obtrectantiumque ejus gloriæ scriptorum oculis obversari potuit, qui ex desperatione inclinatæ felicitatis Carolum potiùs, post duram apud Metas repulsam, quàm ex virtutis salutisque impensius curandæ studio, cessisse imperio credunt, quin etiam hoc ipsum ambitioni gloriæ majoris imputant; ut cùm hanc desperaret imperando augeri abs se posse, non imperando occupare conatus sit, raritate facinoris Regum apices transgressurus. Quibus ut ego magis credam de recondita hominis mente conjectantibus, quam Carolo suæ causas abdicationis commemoranti, nunquam adducar: neque enim ad tam levem, quem sustinuerat, infelicitatis impetum nutare tam excelsi Principis animus poterat, quem extremi nunquam casus, vel in Africa, vel in Germania bellantem percellere, suaque deturbare constantia visi sunt. Jam verò ejusmodi impulsum gloriæ mortalis ambitione, qua ad animæ suæ salutem majoremque Dei gloriam enisus sit, omnemque humanæ dignitatis fastum calcarit, nec ipse quidem Momus in homine carpserit. Pauci tamen Principum, licet honoris gloriæque humanæ incrementis mirificè delectentur, hanc ambitionis Carolinæ viam consectantur, laudandumque in tanto Cæsare impensè suscipiunt; quod sibi non ducunt imitandum.

CXXXIII. Vallisoleti subsistit & coram Proceribus regnum abdicat, ac Nepotem salutat.

Certè Carolus Vallisoletum lecticâ vectus in frequenti Procerum Hispanorum consessu, abdicationem hujus regni in Philippum solenni ritu, probantibus optimatibus & acceptantibus, iteravit; ut quantùm à pœnitentia facti abfuerit, manifestè liqueat: tùm invisendi salutandique istic nepotis Caroli, ex prima Philippi conjuge Maria, non multò ante hujus mortem nati, cupidus, aliquantulùm substitit, suamque cum amplexibus indolem frustra insinuare conatus est, quòd nativam adolescentis minùs probaret, infelicibus postea ferocientis juvenis vinculis cohibendam.

CXXXIV. Ad Eremitorum Hieronymianum S. Justi d fines

Cæsar, ut potuit, ad pietatem virtutemque animatum unà cum sororibus reliquit, seque ad Provinciam Extramaduram, Lusitaniæ Castellæque fines inter, ad Monasterium D. Justi Eremitis D. Hieronymi in solitudine addictum, contulit, istic ab omni mundi & regnorum strepitu procul semotus, uni Deo salutique suæ ultimum ætatis consecraturus. Locus ille Sertorio fortissimo Romanorum Duci, Syllanâ proscriptione damnato, amatus olim, fugienti latebras, doloque morien-

1556 Caſtellæ; diſcedit, & anguſta cella habitat,

ti ſepulchrum præbuiſſe fertur. Octavo à Placentiâ Caſtellæque urbe ſitus lapide amœnitate non minori vallium, quàm collium, ita hiemis æſtatisque injurias têperare ſolitum, ut ſalutaribus ad inſignem moderationem auris perfruatur, quæ afflicto Imperatoris corpori, ad animum inter ruinas illius erigendum inprimis erat optata. Domus hic illi jam anteventuro excitata fuerat, illius Monaſterii appendix, talis ex Caroli ipſius præſcripto, ut ſex ſeptemve in ea numerarentur cœnobiticæ cellæ, viginti in latum longumque complexæ ſpatium pedes. Unde aſpectus egreſſusque pateret in hortulum fonte irriguum, & citris limoniisque conſitum. Hoc ſibi tot regnorum Dominus, & gentium Imperator maximus deſignaverat ſtadium vitæ ultimum, quod, ut faciliùs decurreret, anguſtis concluſum finibus, Herculeas quidem Carolini ſymboli metas, ac columnas; ſed mutata nonnihil inſcriptione, *non plus ultra*, admitteret, ubi metator ille caſtrorum, ultima ſibi ſtativa poſt tot gentium victorias, ad cœlum expugnandum felici conatu fixit, laudabilius nunquam auſpicatus bellum, quàm quo cœlites ipſos, jactis quibuſdam velut religionis vallis, obſideret, victurus etiam dum caderet.

An. 1557. Ceteros hic Miniſtros dimittit, præter 12 ad ſua domusq; miniſteria neceſſarios.

Huc igitur ſub exordium anni 57 è familia, quam ſecum duxerat, ſexaginta capitum; Scarandillam ad vicinum municipiũ omnes dimiſit, præter duodecim, quos ſecum ad domeſticum uſum ſervitiumque detinuit; uno ſolùm equo in uſum ſervato, quo nonnunquam ad vicinas ſilvas, aliquo ſatellitum comitante, animi gratiâ ferebatur. Victus alimentumque frugale adeò, ut è centum ducatorũ millibus, qui ex annuo cenſu obveniebant, vix quatuor ab ipſo millia inſumpta ſint, reliqua pauperum impenſa neceſſitatibus, & calamitoſorum hominum emolumentis fuerint.

CXXXV Quænã Caroli, in hoc ſeceſſu, mentis corporiſque occupationes fuerint.

Prima Caroli cura, quæ ſalutis in deceſſu regnorum erat, manſit in ſeceſſu. Solennis illi alias inter graviſſimas quoque bellorum curas occupatio fuit, in Canonicis Eccleſiæ horis Pſalmisque Davidicis matutino tempore evolvendis, hos deinde dùm valetudo pateretur, cum Monachis etiam pſallendo decurrere familiare, tùm illuſtria ſanctorum hominum, pietatis virtutumque aliarum decora è volumine aliquo, legendo, audiendove proſequi uſitatum. Ad hæc ſua erant labori, dùm poſſet, corporis, ſua ingenioſis quibusdam commentis ad exitum deducendis diſtributa tempora. Viſus eſt areolis in horto partiendis triumphales commodare manus, inſititiisq; pomorum ac pyrorum ſurculis infecundos aut amaros, fructibus maritare truncos. Quin etiam mathematicis nonnunquam indulgere, cum Janello Turriano illarum rerum peritiſſimo, artificiis, & nunc horologiorum moderandis rotis, quàm bellicorum olim tormentorum præeſſe jucundiùs: nunc aquis non minùs ducendis, quàm militibus olim peritam adhibere manum. Illius quoque experimenta Archimedis, ſui ingenii felicitate, ad novas quaſdam machinationes aquarum transferendarum exacuere. Ut quod deinde ab hac ſolitudine reverſus, poſt mortem Caroli, Turrianus opus molitus eſt, Tago amne ex Toletana valle in mõtem traducto (ut ſua non minùs arti, quam naturæ miracula ſuppetunt) id communicata mentis perſpicacitate Carolus, haud parùm promoviſſe exiſtimatus ſit. Et Turriano curæ erat, ut aliis aliisque præ-

ſes

sertim à mensa, dùm animus à severioribus avocandus studiis est, oblectatiunculis artis suæ distineret, ut nonnunquam evolantes de sinu artefactas aves depromeret, nonnunquam armatas interque se pugnantes educeret in mensam equitum peditumque fabrefactas phalanges, ubi & suis quæque tympanis tubisque præluderent. Quodque ad utilitatem non minùs, quàm oblectationem faceret, molas è ferro, suapte machinâ versatiles, tantæ condidit subtilitatis; ut sub Religiosi manica occultari; tantæ virtutis, ut triticum octonis hominibus alendis sufficiens, quotidie possent conterere, ne solas Archytæ columbas, aut Myrmecidis quadrigas ex antiquitate admiremur. Sed hæc à sanctioribus curis diverticula atque oblectamenta, principio crebriora, sensim eviluêre, animo ad inclinatæ jam ætatis reliquias uni Deo salutique dicandas magis intento, ut hic detrimenta corporis in suum indies emolumentum, divina sedulitate transferre videretur. Hinc crebra noxarum deploratione atq; expiatione mundare coram Sacerdote mentem, cœlestique eandem epulo reficere: quanquam interdùm, non jejuno ob imbecillitatem stomacho, facultate ejus rei sibi à Pontifice delatâ, quin etiam flagellis, exorbitantis quondam corporis voluptates, seriâ castigatione inflictis, vindicare, ac suo ad præterita etiam vitia cruore erubescere. Mansitque in manibus Philippi filii Regisque ejusmodi flagellum patrio respersum sanguine, quod moriturus Philippo III filio suo, cum avitæ virtutis commendatione, nec absque tenero pietatis sensu, transcripsit.

Suam huc ad S. Quintinum victoriam Carolo Rex Philippus per Legatum significavit, simulque rerum ex illius eventu agendarum consilia Patris oravit. Cui ita respondit Carolus, ut sibi gratum quidem ejusmodi nuntium, at minimè improvisum fuisse diceret; quod Deus tam apertos induciarum, & recentium quidem violatores, haud soleat ferre impunitos. Ceterùm quod ex se posceret consilium, id minimè à se, & præsenti in re, & secuturis in casibus requirendum esse. Habere illum penes se non minùs perspectæ fidei, quàm probatæ experientiæ viros, eorum auditis ponderatisque rationibus, ultimo ad Dei opem gratiamque implorandam confugiat, ac sic denique quod visum pluribus melioribusque fuerit, quodque ad majus reip. & divinæ gloriæ bonum faceret, hoc securus amplectatur. Ita sapientissimè Carolus, etiam cùm subterfugeret, optimum filio consilium reliquit.

CXXXVI. Philippo victoriam indicanti, poscentique consilium, respondet illud imposterum non à se, sed Consiliariis petendum.

Porrò dùm in hac solitudine eis animi corporisq; laxamentis piè indulget Carolus, intelligit se Romæ etiamnũ pro Imperatore summo haberi. Negabat enim Pontifex ei renuntiationi vim inesse, quæ autoritate sedis eam supremam dignitatem conferentis peracta non esset. Unde admiratus Carolus est, se post abdicationem licet invitum adhuc imperare. Legati ad Septemviros in Germaniam appulerant, sed plurium Electorum mors, aliaque impedimenta, comitiis in alterum annum dilatis, eosdem otiosè, non sine Nassavii Principis inter agnatos hæreticos morantis exitio, distinebant. Unde is, pro raro Legationis perfunctæ munere hæresin, eversionemque tot Provinciarum in Belgium reportavit.

CXXXVII. Trium Electorum m...

Porrò Electores ad Rhenum tres uno mors anno, nec sine ordine, velut cum flumi-

1557. flumine descendens, sustulit. Primus Fridericus Elector Palatinus 4 Cal. Martii ex hujus vitæ statione avocatus est, mutatæ religionis Patrum, rationes coram supremo tribunali editurus. Cujus utinam acta sicut & alterius Friderici Saxonici extarent ad exemplum mortalium, quos ille novandæ religionis pruritus incessit! At Superis id placitum non fuit Erit, cùm abundè cognoscentur; sed lubricis in ruinam, stantibus in gloriam. Nec multò post hunc Joannes Augustæ Trevirorum Archiepiscopus, inter postrema Isenburgicæ familiæ decora, Catholicæ religionis invictus defensor mortem oppetiit, subeunte in cathedram, Joanne à Petra, Adjutoris jam ante munere variisque legationibus, cum eximia prudentiæ laude, perfuncto. Cujus, dùm hæc recolo, pronepos Carolus Casparus à Petra eadem sede potitur. Denique Adolphus Archiepiscopus Coloniensis die 20 Sept. morte est sublatus, non illius solùm Diœcesis, sed Ecclesiæ Germaniæ adversus heterodoxos columen: cujus, seu metu, seu reverentia, Guilelmus Dux Juliæ, satis in religione frigidus, stetit tamen, licet contentionibus de jurisdictione Ecclesiastica (quam sibi Adolphus, Ducis in terris prisco more liberam vendicabat) subinde collisis. Alter ex Schawenburgica familia Comes Antonius, frater fratri raro exemplo, in Coloniensi infulâ successit. Hæc etiamnum superiori anno 56 mors in Germania perpetravit, cui hoc anno 57 Januarii 8 die insignem adjecit religionis novæ victimam Albertum Brandeburgicum illam Germaniæ totius, per tot bella, vastitatesque latè perpetratas facem incendiumque, qui denique in flore ætatis, desertus ab amicis & hostibus, Deo hominibusq; execrabilis, Phorcæ in Badensi ditione, computruisse vivus, & pediculari morbo inter summos cruciatus, extinctus memoratur. Illo fruitus mortis apud alios solatio, quòd cùm vivum deplorassent Germani, mortuum non lugerent. Alia Principum hujus temporis fata prætereo, cùm hæc ad memoriam jactatæ per funera magnorum Germaniæ comitiorum procrastinationem queant sufficere. Convenerant ordines Ratisbonæ superioris anni tempore, Ferdinandumque post Augustanam pacem urgebant ad finiendas religionis per imperium controversias, aut Synodo nationali (nam universalem aversabantur Lutherani, & Catholici quoque impediebant) aut colloquiis, vel denique comitiorum sententia. In his enim ubique se potiores fore credebant Protestantes; quanquam ipsi aliis aliisque inter se subnascentibus sectis, quotidianis pænè ministrorum conflictibus, non leviùs, quàm nuper cum Romanis luctabantur. Et validissimo quidem impetu Sacramentariorum, quorum hoc tempore Calvinus Bezaque Duces, Lutherani quatiebantur, præcipuis horum Magistris ad illorum sensim præcipitia (ut in semel impulsis facilè est) deviantibus, ut mox apertiùs prodendum est.

Et Alberti Brandeburgici infelix exitus.

CXXXVIII. Institutũ Wormatiæ colloquium magna dissensione & cõfusione Lutheranorum solutum.

Ferdinandus rei necessitate Romam perscripta, admisit inter eruditissimos quosque utriusque religionis, hinc atque hinc duodenos colloquium, idq; Wormatiam ad 13 Martii anni 57 constitutum est. Pontifex quanquam improbaret factum, misit tamen Petrum Canisium, validum ex Societate Jesu Romanæ antiquæque fidei, ut jam scriptis monstraverat, propugnatorem. Huic accessere Michael Episcopus Mersburgensis, Delphius Suffraganeus Argentinensis, Fridericus

cus Staphylus ex heterodoxorum traductùs castris, & duo Thologi Lovanienses. Nam Gropperus, Coloniensis illud Ecclesiæ lumen, ut hunc actum illustraret (quem aucturum potiùs religionis tenebras, quàm discussurum sentiebat) quantumvis orante Canisio, induci non potuit. Qui non multo post anno 59 Romam purpuræ gratiâ evocatus, hanc supplex evitavit, eodemque anno, gloriosiùs, sine illâ admissâ, ibidem juxta Adrianum Pontif. sepultus est. Ex altera parte in aciem producti antesignani duodecim Protestantium, quorum mox depromam nomina. Præfectus disputationi arbiter directorque controversiæ à Ferdinando Rege Julius Pflugius Episcopus Naumbergensis, jussique ante omnia de modo concordandi disceptare, ac de eodem ad Ferdinandum referre, cui per Carolum fratrem jam sæpiùs commonito, cautela erat, ne quid inconsultis priscæ religionis Theologis admitteret. Disceptatum primo igitur de concordandi methodo cùmque aliam Confessionistæ Augustani præter Scripturam S. eamque in dubiæ interpretationis locis, per non dubia Scripturæ loca exponendam assererent; cetera verò eo modo per Scripturam nō definita in fide acceptanda non esse statuerent: jussi edere exemplum, quo suos contra Romanos fidei articulos hoc pacto firmarent, accessuris ultrò Catholicis si id possent: cùm de originali peccato, quod in concupiscentia ponunt, id conarentur, repentè non exponendi solùm ratione; sed & opinionibus ex Scriptura haustis, inter se pugnare comperti sunt. Quod Catholicis jam sat fuerat prævisum. Quare prudenter Julius hanc quæstionem ingessit: cùm hæc religionis conciliatio, vi pacis, inter solos Catholicos & Augustanæ Confessionis homines instituta sit, declarandum ante omnia esse, ceterosne sectarios, ut Zwinglianos, Osiandristas, Anabaptistas, Synergistas, Adiaphoristas, aliosque ab Augustana Confessione dissentientes ipsi damnent, soliq; Augustanæ Confessioni decreverint insistere? Tùm contrahere humeros, inter se conferre sermonem, diffidere ac contendere, incerto sententiarum æstu, his asserentibus, illis negantibus, ut jam solius Scripturæ patrocinium ad hujus litis decisionem deficeret. Schnepfius, Strigelius, & Stosselius, Theologi filiorum Friderici Saxonis, & cum eisdem Morlinus & Sacerius assertè statuerunt: reliquos se omnes à Confessione Augustana dissentientes Sectarios damnare. Septem verò reliqui, ut Melanchthon, Brentius, Bullingerus, Illyricus, & Augusti Electoris Theologi negarunt hos, nisi causa ante legitimè cognita damnari posse, ceterosque à se rejecerunt; quod soli Augustanæ Confessioni adhærentes reciperent dissentientes ab eadem damnarent. Unde cum magna Protestantium inter se diffidentium confusione hoc colloquium abruptum est, patuitque, quis ex sola Scripturarum decisione fructus concordiæ, inter illos, ubi quisque sibi interpres optimus, sperari possit. Cùm, ut Sampsonis vulpes caudis colligatæ, in diversa capitibus abeant, uni Ecclesiæ Catholicæ adversentur, ipsi verò diversas sibiq; oppositas erigant. Et hi quidem septem, qui turpissimè hoc colloquio ab Augustana Confessione desciverunt, hujus erant religionis Proceres, ejusque conditor Melanchthon: ut duorum Nicolaorum Ambsdorffii & Galli Symmystarum scriptis acerbissimè jactati sint; quod constaret Sectarios ceteros in gravissimis, de

1557. Goldast. Const. Imp. to 3. Rover. l. 5. Sur. in com. Palav. l. 14. c. 6. Acta Imper.

Lutherani in hac quæstione, num Zvvinglianos aliasque sectas damnarent, hærent & dissentiunt.

1557. de lege, & Evangelio, de justificatione, bonis operibus, ac Sacramentis, controversiis dissentire, palamque jam contentiosissimis inter se scriptis, mutuâque in se invicem damnatione exarserant; ut Joachimum Westphalum, & Calvinum recentibus exemplis perpetrasse constabat. Unde apparuit nullum commune remedium hæreticorum ad sanitatem reducendorum, nisi vel iræ, vel miserationis divinæ reperiri posse; iræ, quâ bello calamitatibusque ad obsequium Ecclesiæ intrare compellat; vel miserationis, quâ per divina prodigia, aut infusum cœlitus gratiæ lumen, ad mentem nonnullos revocet, quod equidem in hac caligine versantibus ex animo precabor. Ex hoc tam infelici exitu, omnis deinde Protestantium ad colloquia aspirantium pruritus quievit, frenumque repertum est, quo possent indomiti illi spiritus, si non amore veritatis, confusionis certè metu contineri. Sive enim dissentiant à Sectariis aliis, confunduntur, quod suo se falli principio ac Scriptura Judice dissentire, non possint negare: sive consentiant, majori suorum opprobrio jam à cœpta religione discifcunt.

CXXXIX. An. 1558 *Belcar. l. 28. Nata. l. 11. Heuterus l. 15 in Philip.* Guisius in hieme Caletum improviso obsidet, expugnatque rarâ sui nominis gloriâ.

Bellis per Italiam compositis Dux Guisius ad Henricum novo jam exercitu instructum reversus in Galliam, mediâ hieme minimè quiescendum ratus, cùm, Monmorancio capto, summum ipsi exercitus imperium delatum esset, ut insigniori aliquo facinore contractam in Italia negligentiæ maculam, cladem que nuper ad S. Quintinum acceptam compensaret, ipsis Januarii calendis anni 58 Caletum Anglorum, in litore Belgico, portum aggressus est, postquam fluctuante aliquandiù exercitu alibi vim minatus, huc denique convertisset. Præmonuisse Philippus Anglos de periculo fertur, suumque etiam obtulisse ad firmandum præsidium militem; sed cum illis hoc parùm videretur tutum, hosti præ amico locum reliquerunt. Guisius enim tantâ violentiâ tormentorum muros impulit, ut illa tridui hinc itinere audita Antwerpiæ, septimoque die patefacto aditu, priusquam Angli aut Philippus subsidio adesse possent, victor nobilissimum hunc Anglorum portum, quo in Galliam potissimùm ducentorum annorum retro spatiis formidandi hostes effundebâtur, Guisius subiit. Anglos loci munitissimi fiducia securitasque perdidit, in quo se Galliam compedibus constrictam Angli tenere, aut, ut alii, claves Galliæ ex angulo se ferre suspensas jactabant, quemque Eduardus III Rex, anno pænè integro, terrâ marique pressum expugnarat, Guisius unius hebdomadis opus fecit, tantâ gloriâ, ut à totâ illi Galliâ, voce, stylo, triumphis applausum fuerit. Guinâ haud multò post ad deditionem coacta, & Hamâ ab Anglis profugis deserta, jam solo terrore armorum vicem fungente. Hinc Guisius per Arduennam exercitum deflectens, præter alia minoris momenti oppida, fortissimum ad Mosellam propugnaculum Theodonis villam occupavit.

CXXXX. Thermeus Galliæ Marescallus ab Egmondano ad Gravelingam prorsus ceditur.

Thermeus Marescallus Galliæ cum parte exercitus Caleto propugnator relictus, non infelicibus auspiciis, Dunckercam expugnavit, dum denique post tot clades, velut è somno Philippus evigilans, Emmanuelem Sabaudiæ Ducem adversus Guisium, Lamoralem verò Egmondanum Comitem adversus Thermeũ destinat, ipse postremò cum majoribus copiis, eò ubi res posceret, accessurus. Eg-

mondanus Thermeum haud procul Gravelinga, ad ostium fluminis Ha, prædâ gravem nactus; cùm, celeritate usus, præoccupasset iter, ad pugnandum coëgit, licet relictis ipse à tergo bellicis tormentis nudam hostilibus cogeretur aciem objicere. Quod eo ardore factum, ut primum horum impetum pluribus licet cadentibus, ipsoque Egmondani equo, sustinerent, tùm immisso equitatu tormentorum præfectos cum iisdem occuparent, ac subinde cum equitibus equites, cum peditibus pedites ancipiti diu marte dimicarent; donec casu allapsæ Anglorum naves bellicæ decem, æstuque marino in ostium fluminis illatæ, cùm Gallos pugnâ illic arctari intelligerent, re Egmondano significatâ, militarem è navibus tormentorum grandinem depluunt, ut dejectis postremò animis, quot ferro non ceciderant, victoris se clementiæ permitterent, vexillis, impedimentis, bellicisque machinis & apparatu in Belgarum manibus relictis, Thermeus in capite saucius, inter ceteros captivus fuit: ut alternante fortunâ bellorum, Gallis fortissimi cum milite Duces, Belgis urbes eriperentur. Illorum plures tribus cæsi millibus, totidemque captis: ubi vires accisæ essent, Rex Henricus quantis potuit copiis subvenit: nec segnis rerum Philippus triginta facilè peditum, equitumque millia quatuordecim Dorlanum, velut oppugnaturus ducit, contraque Rex Henrico haud procul Ambiano castra objicit. 1558.

CXLI. Accepta clade rursum Galli ad pacem inclinantur, sed mors Reginæ Angliæ hâc ob alia consilia differt. *Sander de Schism. Angl. l. 3*

Ubi cùm inter mutuas velitationes tribus ferè mensibus Reges hærerent, neutrâ partium ad decretoriam pugnam, suis è castris prodeunte, actum pro constanti pace acriter, Monmorantio, & Mariâ Anglorum Reginâ, incensis hanc studiis promovente; sed hujus inopinata mors, rem pænè confectam distulit. Variorum in hoc regnum affectionibus desideriisque tanquam ventis, hanc pacis biremem, in diversa jactantibus; cùm Rex Henricus Mariam Reginam Scotiæ regii Anglorum sanguinis puellam, quam nuper Francisco filio suo quindecenni Scotorum Rege coronato desponderat, Anglis nequicquam offerret, qui Elisabetham Henrici ex Bolena filiam, ex Patris testamento prætulerunt, cum quâ ne Philippus rursum sociaretur, metuenda Gallis conjunctione, spem Philippo & honestæ pacis, & nuptiarum tam Regi, quàm Sabaudo sua ex domo fecit. Unde bellorum utrimque aculei magnopere hebetati, in pace demùm conciderunt.

Palav. in Trid. l. 14 c. 8

CXLII. Elisabetha à Pôtifice repulsam passa, cũ regno rursum deficit.

Elisabetha Catholicæ magis religionis fronte, quàm mente regnum ingressa, ad Paulum Pontificem Legatum misit, qui à se tanquam Angliæ Regina Pontifici obedientiam deferret, sed negavit Paulus hanc se posse agnoscere, in successione, legitimam, cujus natales ceu illegitimi à Sede Romana damnati essent. Quem Pontificis rigorem, totius regni, nondùm satis per Cardinalem Polum (nuper quoque à morte Reginæ defunctum) in Catholica religione stabiliti, obversante ante oculos discrimine, sunt qui accusent; sed contra alii, æquitate, ajunt, etiam mundo pereunte, non esse decedendum, Et certè Anglia, hoc iterùm casu, apud veros Judices, periit, cùm in desertos errores (ut ad deteriora proni sumus) uno impetu, favente nobilitate ac vulgo prolapsa rediit, non tam facilè à recidiva hac febri, licet expertissimi non desint Medici, nec profligatæ omnino indolis natio sit, ad sanitatem reditura.

1558. *Godelevaus de abdicat. Caroli tom 2. hist Ger. Palav. sup.c.6.*

CXLIII. Legatorum Cæsaris abdicatio cunctanter ab Electoribus admissa, à Pontifice rejicitur, frustra aliis obnitentibus.

Hæserant in Germania hucusque Legati Caroli Imperatoris, neque ulla in comitiis facta renuntiatio, quod nec Ferdinandus, nec Septemviri hac magnoperè delectarentur. Ille quidem ultro cum morte Caroli brevi obventuram videbat dignitatem, quæ citra controversiam esset; ideoque non existimabat, muneribus apud Legatos, precibusque apud Pontificem, cùm tantillâ temporis, quo Carolus victurus esset, usurâ, operosè redimendam; hi se quoque inconsultis abdicasse Imperatorem minùs esse probandum censebant. Cùm, ut in generatione à primis causis ad ultimas, ita in resolutione ab ultimis ad primas redeundum videatur. Nassavius tamen, cum Seldio & Hallero in comitiis Francofurtensibus ad Mœnum mense Februario anni 58 auditi sunt, & 24 die, qui S. Matthiæ Apostolo sacer est, singularique semper Caroli felicitate notatus fuit, renuntiatio Cæsaris, quanquam non sine obmurmuratione, acceptata est, imperiumque solenni cæremoniâ, pridie Idus Martii, in Ferdinandum fratrem quinto & quinquagesimo ætatis ipsius anno translatum, fidesque & obedientia, ut Imperatori, præstita. Sed consultius facturum fuisse Ferdinandum, si mortem ante Fratris expectasset, quàm imperium, mox patuit. Nam Pontifex rebus Austriacorum, atq; iccirco etiam singulariter Ferdinandi offensus, quod is inconsultâ Romanâ sede multa in comitiis colloquiisque de religione tractasset, pacemque huic iniquissimam Passavii Germanis indulsisset, utriusque in Eucharistia speciei usum permitteret Austriis, Maximilianum filium pænè in consortio & familiaritate hæreticorum educasset, ut ex illa contagione nihil adhærere, vix credibile appareret. Quare, cùm negaret Pontifex Electoribus aliam, quàm à morte Cæsaris, eligendi Imperatoris facultatem competere, hanc in Concilio Cardinalium irritam esse electionem, uti & ante Caroli abdicationem, declaravit, multoque id maximè alio etiam statuit ex capite, nempe hæreticorum Principum irritâ ad Romanum Imperatorem designandum potestate. Hac enim non minùs affirmabat, quàm Romana fide excidisse; cùm non nisi illius virtute niteretur, ut ex Carolinæ Bullæ legibus compertum sit. Hinc Martino Gusmanno, ex Hispanica nobilitate Romam, legationis munere à Ferdinando destinato, missus obviam, qui significaret: abstineret Româ, ubi pro Legato Cæsaris accipiendus non esset. Unde is ad Tiburtinum digressus agrum substitit, dum Ferdinandi hoc in casu decreta acciperet. Pariter Philippi Regis hac in causa Orator exclusus est, & quamvis privatim Gusmannus admissus auditusque, Gropperus etiam tùm Romæ apud Pontificem, de Germaniæ rebus erudiendum, ageret, omni eloquentia, & Ferdinandi incorruptam in fide mentem, & necessitatem admissorum, sine quibus funditus omnis religio evertenda fuisset, Paulo ante oculos proponerent; is tamen, quâ erat animi, in semel conceptis obfirmatione, nullis se deduci à proposito rationibus passus est; sed Gusmanno respondit, Legationem à se ad Carolum Imp. missum iri, cum quo tantæ rei deliberationem suscipiat, ut fallendi magis negotii, quàm absolvendi consilia spectasse visus sit. Nam nec morte Cæsaris quidem, post trimestre nuntiata, hac sua opinione dejici potuit, donec anno vix postea decurrente spatio, mors cum vita obstinationem eripuit, Pio IV successore omnia ad votum Ferdinando largiente,

1558.

Sol-

Sollicitabant hoc eodem tempore Ferdinandum Imp. Livoniæ periclitantis casus, istic enim Archiepiscopus Rigensis è Brandeburgica gente libertate religionis admissâ, haud levi hanc gentem discrimini objecit, cùm domi hæresis, foris Moscus oppugnaret. Sed duo laudatissimi Ordinis Teutonici Magistri, è Westphalica inferioris Saxoniæ nobilitate, & Moscorum se insultibus prisca contra hanc gentem æmulatione decertantibus opposuêre, & religionem orthodoxam tutati sunt. Donec gemino externo juxta domesticoque hosti fuit succumbendum. Prior horum (quod in utriusque familiæ hoc tempore tam Paderbornensem, quam Monasteriensem principatum obtinente, laudem commemoro) Henricus à Galen fuit, qui Magistratus Teutonici clavum, strenuâ adversus Moscos operâ, & injuriarum vindicatione sustinuit, gloriosaque superioris anni morte defunctus, in manibus successoris Guilelmi à Furstenberg reliquit. Hic civili ab hæreticis passim invalescentibus & sacra profanaque violantibus, hostilique bello à Joanne Basilide ferocissimo Moschorum oppugnatus Duce, (quod suorum eversa ab hæreticis templa, interversumque solenne tributum quereretur) cùm impar tot hostibus esset, ad Germanici imperii Proceres sub cujus clientelâ Magistri erant, pro auxilio confugit. Sed Nerviâ Torpatoque in Moscorum potestate relictis, cùm difficile esset adversus tam potentem hostem patrocinium, nec in sequentibus Augustæ comitiis aliud præter centum aureorum millia Germani Legatis Furstenburgii deferrent, hic fœdere cum Sigismundo Polonorum Rege inito auxilia contra Moscum pactus est, translatoque in Gothardum Ketlerum Magisterio, ad quietem, senio gravis, concessit. Quanquam hanc illi Moscorum arma & captivitas inviderint. Porrò Ketlerus denique Alberti Brandeburgici exemplo à fide & imperio ad Polonorum clientelam perfidè transgressus, ostendit quàm potens regnorum transformatrix discordia sit hæresi religionis animata.

App. Scard. Operum histor. to. 3 Chron. Livon.

CXLIV. Livonia bello ac hæresi afflicta, ab imperio deficit.

Pontus Heuter. in vita Philip. l. 15 hist. Belg. Haraus. hist. Ger. Godla.

Et certè hujus imminentis mali timore, quod intimis jam regni Galliarum visceribus gliscere Henricus Rex, externis hæreticorum Principum temerè auxiliis è Germanis Helvetisque in regnum admissis, seriùs quàm par animadverteret, pacem diu agitatam cum Philippo Hispaniarum Rege Cambrisii, haud procul Cameraco (unde Cameracensis dicta est) conclusit. Priùs tamen cum Elisabetha pactus, quingenta aureorum millia se persoluturum, si post octennium, Caletum non restituat. Inter Reges igitur 3 Nonas Aprilis anni 59 convenit primò, Ferdinando Rom. Rege faces subjiciente, *ut ad religionis dissensiones tollendas Concilium generale impulsu omnium urgeatur. Deinde ut restitutio utrimque omnium fiat locorum quæ octennio integro vi dolove occupata sint. Quâ lege S. Quintini fanum, Chastelletum, Hama, Francis: Theodonis villa, Mariæburgum, Ivodium, Danvillerium, Monmedium Belgis reddita. Terovvanus ager, vetita arcis instauratione, Gallis relictus, parte Ecclesiasticorum bonorum Audomarensibus addicta, Hesdinum illique conjuncta Regi Philippo maneat, cum Charloij comitatu, sed jure clientelæ penes Henricum persistente. Comitatus fani D. Pauli Dominæ Tutevillæ, Marchionatus Monferratensis Mantuano Duci, Mediolanensibus Valentia, Genuensibus adempta in Corsica restituantur. Tertiò Rex Philippus Elisa-*

CXLV. Pax Cameracensis denique inter Henricū & Philippum stabilis inita, qua & Sabaudus restitutus & geminum conjugiū celebratum in cujus ludis Henricus interiit.

1558. *bethan Regis Henrici filiam uxorem cum dote quadringentorum millium aureorum liliorum ducat: Emmanuel verò Philibertus Sabaudiæ Dux Margaritam Regis sororem cum dote trecentorum millium & restitutione Sabaudiæ & Bressæ Ducatibus conjugem habeat. Cui dono accedent comitatus novem, principatus Pedemontanus, Marchionatus Cheuræ, reliquaque à Patre olim possessa, exceptis quinque locis, in quibus Turinum & Pinerolum in potestate Henrici relinquendis, dum vetus de finibus controversia, intra triennium, ut curæ erit, finiatur. Philippus vicissim Sabaudo abs se possessa, Vercellis & Asta demptis, donec Henricus ceteris cedat, statim restituat.* Unde factum memorant, quod Gallis hac pace nonaginta & octo urbes arcesve suis præsidiis custoditæ, Philippo, Sabaudo aliisque, non sine querimonia decedentium, & hanc pacem describentium reliquerint. Qui profectò patriâ cæci affectione, non expenderunt, illa, quæ injuria fuere, Sabaudo præsertim, adempta, jure fuisse restituenda. Actum quoque ut de Metensium, Tullensium, & Virdunensium Episcopatibus Germaniæ ademptis, cum Ferdinando Henricus pacisceretur, quo nomine utriusque partis Legati Augustam Vindelicorum ad comitia mense Martio celebrari cœpta, destinari. Sed hic nihil effectum, quod Galliæ Rex expensas in Germaniæ bellum factas, ante sibi rependi postularet; ubi frustra ad justitiæ titulos recursum, cùm expensæ hæ in rebelles contra legitimum caput parùm æquè censerentur. Porrò celeberrima hæc maximèque constans inter utramque gentem Camaracensis pax tertio Nonas Aprilis sequentis anni 59 conclusa, & quatriduo post Lutetiis Parisiorum incredibili hominum gaudio plausuque est promulgata: aspirantibus ad quietem universis. Hanc tamen hæresis, non multò post, primùm Gallis, deinde & Belgis funestiori multorum intestino dissidio, quam externo bello, eripuit. Nuptialia Philippi (cujus pronubus Dux Albanus) cum Elisabetha incredibili apparatu celebrata sunt, omnibusque lætitiæ institutis peracta, sed funerali Henrici Regis exitu terminata, cùm is in hastiludiis fortissimos quosque provocaret, & ex Comitis Mongomerii dissilientis hastæ fragmento, dextero gravissimè oculo, per hiatum galeæ, transfixus undecimo post die, 6 Iduum Julii, occubuit, magno hæreticorum, quibus persecutionem instruebat, solatio atque incremento.

CXLVI. Carolus in sua eremo, post funebria matri & sibimet novo exemplo celebrata piè moritur.

Hujus ex pace gaudii, ex morte Regis doloris sensum, præverterat sua jam morte Imperator Carolus. Ille enim postquam in Hieronymiana sua eremo inter Religiosos viros, anniversaria Matri funebria persolvisset, cupiditate easdem quoque funeris exequias sibi appositè ad animæ suæ expiationem persolvendi captus, postquam illius loci Religiosum Joannem Regulam, quo ad conscientiæ moderationem utebatur, consuluisset, neque is, licet insolitum pietatis opus, affectanti Carolo prohiberet: apparatum sibi funebrem, tumulumque ceu jam mortuo mediâ jubet æde exequialem surrigi. Tùm sacrificium in solatium morientis consuetâ Monachorum psalmodiâ rituque peragi. Pullo circum habitu parietes vestiti, funaliaque juxta tumulum totoque templo collucentia, interque hæc mæstus concentus, lugubresque familiarium vultus, vocesque requiem iterùm iterùmque precantium. Spectabat Carolus etiamnum vivus, mortis

1558.

tis suæ haud procul absentis imaginem, sibique non minùs beatam hanc, felicemque ad vitæ immortalis transitum, ceterorum votis immistus, nec sine lacrymis, exposcebat. Facem demùm, quâ suo ipse præluxit funeri, persolutis exequiis, ad aram Sacerdoti supplex obtulit, Deum precatus, ut quemadmodùm hunc sacrificans è manu sua oblatum cereum, ita commendatam ipse morientis animam benevolè excipere non gravetur. Tùm prostratus humi, pullaque ac defluente sub veste, ceu mortuus, procumbens, omnium lamentatione quietem ultimam apprecantium deploratus est. Nec vanâ ostentatione morti prælusum est, altera namque ab exequiarum apparatu die, febricula lethi prodroma debile corpus incessit, quâ sensim invalescente, ad extremum sese agonem, quanto potuit pietatis sensu, composuit, supervenit adhuc spiranti præsentique sibi Archiepiscopus Toletanus Bartholomæus Caranza ex ordine Dominicano presbyter, qui ut Carolo in vita æstimatus, ita in morte gratus solatio ad benè sanctèq; moriendum fuit. Nam & expiata Confessione salutari ultimò anima, & viatico Eucharistico ex illius manibus suscepto, pientissimè se ad mortem postridie composuit, siquidem Crucifixi imaginem manu complexus, Servatoris nostri patientis confisus meritis, pronuntiatis ejusdem exspirantis verbis: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: inter religiosorum circumsistentium preces gemitusque placidissimè, XXI Septembris anni 58 exspiravit. Natus ultimo superioris seculi quingentesimo, Apostolico D. Matthiæ die, denatus alterius S. Matthæi festivitate; ut quam sub Apostoli patrocinio sæpiùs propitio vitam acceperat, hanc sub eodem securus anno ætatis suæ quinquagesimo nono deponeret. Laudatissimus Rex & Imperator, minus tamen habiturus laudis & admirationis: nisi cum imperare adhuc posset, desiisset, idque non salutis tantùm suæ gratiâ, sed & alienæ; suæ quidem, quod hanc nisi per seipsum mundo subductum aptiùs curare non posset: alienæ, quod hanc in valentiorum filii fratrisque humeros inclinatam, non desereret, sed fulciret. Mortem illius & cœlestia illustrarunt sidera, & terræ flores.

CXLVII
Mors illius signis prodigiosis eminuit.

Cum morbo enim Caroli ostentare sese per Hispaniam in cœlo cometes, & sensim per incrementa febris, suis accrescere radiis, donec funerea in Hieronymianam sedem versa cuspide, tanquam ultimo mortis jaculo, Carolum mundo sublatum docuit, cùmque illius vita, ex oculis evanuit. Et tellus hujus mortis sensum hausisse visa est, quando in horto Carolinæ vicino cellæ, candentis lilii bulbus verno tempore duos profuderat stylos suis calycibus protuberantes, sed impari germine; siquidem alter eodem vere dehiscens foliis sese latè explicabat: alter toto vere æstateque, ceu propinquo tumens partu, nunquam suo se evolvit folliculi complexu, nisi eâdem, quâ Carolus nocte, animam corporis integumento, tanquam flos novus, cœlo natus, explicaret, tùm enim repentina germinatione patulum calycem, stipantibus per orbem expandit foliis, summamque exposi- tus templi aram, inter Caroli iterata funebria, novo spectaculo exornavit. Sepultus denique est Granadæ, urbe Bæticæ primaria, juxta matrem Joannam atque Ferdinandum. Cujus tamen postea funus à Philippo II Hispaniarum Rege, Caroli filio ad Monasterium amplissimum, basilicamque magnificentissimam

Spond ad an Chr. 1557 & 1558. n. x.

1558. mam, quam in Escuriali ad D. Laurentii honorem Rex excitarat, translatum est. Quod ingentibus hunc locum sumptibus Patrisque memoriâ nobilitatum vellet: cùm festo illius Sancti die celeberrimam illam ad Santquintinum contra Gallos victoriam obtinuisset, quâ cum Francica nobilitate spes illorum accisæ sunt paxque Hispanis gloriosâ ad omnem posteritatem obvenit.

CXLVIII. Exequiæ illius in Hispania Belgio, Romæ & Germania solenni ritu celebratæ, à diversis Europæ Principibus mox secutis.

Exequiæ diversis Europæ regionibus amplissimo ubiq; honore peractæ sunt. Philippus etiamnum in Belgio præsens, regiâ illas magnificentiâ, geminis Caroli columnis, Symbolo *plus ultra* consignatis, aliique simulacris victoriarum circumlatis, multo nunc in morte justiore titulo, quàm ille in vita illustravit. Mors enim Carolum verè *plus ultra,* & supra omnia victoriarum monumenta, postremâ hac mortalitatis victoriâ extulit, semper utique sine pugnâ victurum. Mirus Caroli excessus utramque sororem, Eleonoram ante se mense Martio, Mariam post se hebdomnade tertia obeuntem traxit. Illius vix funus tanquam Galliæ Reginæ, Henricus Rex munificè curarat, quando & alterum Caroli accessit, nescius idem sibi obsequium mox ab aliis præstandum, quod cupidiùs aliis deferimus, quàm ab illis exspectamus. Pontifex eidem Romæ Carolo, tanquam Imperatoris in munere defuncto, ut publico decreto contestatus est, Decembri mense anni 58 parentavit, & ipse brevi consecuturus. Ferdinandus verò frater comitiis Augustæ frequentissimis Martio mense sequentis anni collectis, augustissimâ exequiarum pompâ ejusdem Caroli fratris funebria prosecutus est, quinquennio post à Maximiliano filio successore, (quando videlicet mense Julio anni 64 in feriis S. Jacobi Apostoli vivere desiit) idem beneficium accepturus, qui inter illam Europæ totius à diversis hæresibus infectionem incorruptus steterat Princeps, & cum solo penè fratre labantem in Germania religionem sustinuerat. Ite nunc stulti mortales & vitæ opibusque fidite, quando tot Principum coronis à morte nulla securitas.

CXLIX. Statura & corporis dotes.

Carolum siqua felicitas Europæ diutiùs incolumen præstare potuisset, hæc optanda sanè fuerat. Cùm & natura, & gratiæ dotes in hunc planè eximias Deus contulisset. Staturam corporis, inter proceros brevesque mediam, membrisque, quàm aptè firmatam, tam robustam sortitus erat. Color in flore ætatis lacteus, leni per genas aspersus purpurâ, ampla serenaque frons, glauci oculorum orbes, in cœruleum decus inclinati, nasus aquilino more assurgens, veterum insigne heroum, & Austriacis, cum turgescentibus aliquantùm labris, & hiatu modico oris familiare, dignitatem conciliabat. Barba, & supercilia capillis densa, comæque à mento ad utramque aurem assurgentes, quarum flavus in fuscedinem transibat color. Humeri pectusque latum, nervosum collum, venterque, ad habilem armorum usum subactus, lacerti validi, fortem animosumque, & cum majestate venerandum cuique ostentabant Principem. Tibiæ tamen paululùm, sed extra deformitatem, vox, sed citra autoritatis jacturam, gracilior.

CL. Virtutes ac vitia.

Humanitate, etiam obviis prompta tenebat omnes; facundia & facultate non minùs dicendi, quàm rationum pondere rapiebat. Iræ obnoxius, præsertim molestis podagræ doloribus stimulatus; potens tamen animi & dissimulator injuria-

rum

rum cùm opus, rursùmque cùm opus earundem ſtrenuus exactor. Ambitionis tam alienæ accuſator, quàm defenſor ſuæ, cùm, ut amore, ſic judicio plerumque nobis faventiores ſimus. Mens excelſa & ad ſuprema quæque gloriæ ornamenta connitens; quam, ut Cæſari olim evenit, Alexandri magni æmulatione ſuccenſo, non mediocriter inflammarat Ludovici XI Galliarum Regis illuſtris apud Cominæum memoria. Illum ab hoc fomite in Chriſtiani nominis hoſtes, juratos olim Ludovici inimicos ardorem concepit, quo deinde, tanquam belli fulmen, victos fugatosque ſæpiùs perculit. Bellorum nec tam amans, ut per injuriam quæreret; nec tam fugiens, ut per deſidiam aut metum declinaret. Ad laborem patientia, ferro in hoſtem armatus, contra omnem fortunæ durabat impetum; horror tamen non rarò perlevis perſtringebat artus primùm arma occupantis, qui velut tremulæ nubis murmur ad ingentia præluderet tonitrua. Ita futura cautè æſtimabat pericula, præſentia fortiter contemnebat; *tam indignum bono Duce* exiſtimans *nihil timere, quàm exanimari timendis*. Interriti illud animi in ceteris argumentum, quod adverſus federatos Germaniæ populos Ingolſtadii inter frequentiſſima hoſtium tela dedit, ubi globum tormento vibratum, atque ante pedes deciduum, immoto vultu ac corpore ſuſtinuit, attonitisque cùm ſuo, tùm Cæſaris periculo adſtantibus dixit, *confidite, raros Imperatorum tormenti globus oppreſſit*, penè quod alter olim expalleſcenti ad naufragii diſcrimen Navarcho; *Confide, Cæſarem vehis*. Verùm nobilioribus in ipſo pugnantium ardore hæc ipſius bellica virtus exemplis eſt illuſtrata, quando nec hoſti uſpiam, nec adverſitati minor compertus eſt ſuccumbere, vitam antequàm victoriam deſerturus. Quanquam à fortuna nonnunquam, ab animo nunquam deſtitutus ſit, invictâ verò animi fortitudine illud obtinuerat, ut famâ ſimul ac virtute adverſarios proſterneret, atque ad victoriam aliquando ſufficeret, pugnare Cæſarem, certè Saxo vincula proſtratus captusque non induiſſet, niſi majori illum Carolus nomine, quàm milite debellaſſet. Ornabat hanc fortitudinem cura æquitatis, rara latè imperantium virtus, quam multi laudant, pauci ſequuntur; cùm ſupra æquum non pauca ſibi arrogent, & cupiditatis expletæ menſuram, vocent æquitatem. Verùm hic Caroli ſenſus non erat, prædicare ſoliti; totum ſe Galliarum regnum ſuis manibus victoriisq; conceſſum, redditurum ultro, modò patriis ſibi poſſeſſionibus frui tutò planeq; liceat: aliena tot bellorum impendiis regna non quærere, ſed propria: his timidè cedere, neque injurias juſto marte propulſare, imbellis ignavique Imperatoris fore. Hoc ſe nomen ad poſteros contra exultantem protervè hoſtem nolle traducere: ne adverſariis ſuas vires, nepotibus infamiam relinquat. Ceterùm optare rationem ſe, alteram, quâ fœdæ diſſenſiones inter orthodoxos conſanguineosque Reges dignâ firmâque pace abſolvantur; alteram quâ lites ac controverſiæ forenſes, tot præciſis juris ambagibus, quibus ad publicam uſque injuriam propagantur, brevi certâque methodo definiantur. Quod Philippo filio inter ultima reliquit monita, ut imperii curam, ſine cura æquitatis non deponeret. Regem Soli non inſcitâ comparatione conferre ſolitus, quod, *ut ille inter aſtra medius lumen ex æquo in ſingula partiretur; ita deceret Regem æquali in ſubditos favore, cauſas amplecti omnium, & pari lance Iuſtitiæ appendere; ne ad immeritos pœna, ad indignos ſpectent* pra-

1552.

Patientia in adverſis.

Fortitudo in bellis & nominis terror.

Aequitas

1558 *præmia, neque ut aliter administretur, nisi per injuriam.* Clementiæ ac severitatis in tot gentium regnorumque moderatione gratum aliquod temperamentum reperit: ne vel nimiâ remissione provocaret flagitia, vel indignatione spem veniæ aberrantibus præcluderet: ita punire solitus, ut irasci vitiis potiùs, quàm hominibus videretur. Qua in re serius argutè visus est, cùm Neapolim, Siciliæ Metropolim, invectus fortè in portarum aditu, Insignium loco, exultantem sine freno equum contemplatus, intelligeret libertatis Neapolitanæ Symbolum esse, subjiceretque: *Frenum huic equo necessarium videri.* Nec multò post urbi, ejusdem rarò Principis diu patientis, arcem imposuit, quam *la briglia*, id est frenum dixêre, ita deinde hic populus Carolo, seu timore, seu amore semper obnoxius, pertinaci seditione nihil adversùs Dominum suum molitus est, quanquam breviori nonnunquam æstu, tanquam mare, concitatus, ad officium tranquillitatemque ultrò sese receperit. Aliud severæ humanitatis exemplum pari sermonis argutiâ ornavit, cùm Gandavensium rebellionem ulturus, ex Albano strenuo austeroque Duce sciscitaretur, Quâ dignam animadversione crederet rebellem suo Domino patriam? ille cùm ex suo ingenio liberè pronuntiaret, *ultimum illam excidium promeritam*, aversatus hominis asperitatem Carolus, indignante animo ac vultu; *age*, inquit, *atque ad hanc turrim, quæ summa erat basilicæ, enitere, tecumque, in hujus urbis contemplatione, æstima, quot pellibus* Hispanicis *ad ejusmodi chirothecam (quam gand nomen Gallicè designat) conficiendam egeas.* Ad quæ Albanus non obscurâ severitatis reprehensione perstrictus conticuit, docuitque Carolus, illi sese urbi quæ nascentem excepisset, provinciæque instar suâ obtineret frequentiâ, majorem debere amorem, quàm unius delicti odiis pœnisque obliterandum, neque æquum esse, ut pauci seditionis autores tot secum immerentes in ruinam devolverent. Quâ moderatione, ita sui timorem injecit omnibus, ut simul amaretur; ita amorem, ut simul timeretur, certissimo diuturni imperii munimento.

Clementia severitati admista.

Porrò suorum civium militumque ita amans fuit; ut, in expeditione Tunetana, quorundam militiam periculosam suadentium vocibus responderit: *Unum se malle servare Christianum, quàm mille Turcas profligare.* Nullus, ex infimo licet grege, tam ipsi vilis erat, quem loquentem non admitteret, placidoque, cùm vultu, tùm oratione non erigeret. Par vulgari plerumque habitu gregariis, Proceribus etiam inferior, ac illo majestatis fulgore timidiorum perstringeret oculos, aut aliam, quàm à virtute dignitatis speciem occuparet, popularem externo se etiam cultu profiteri maluit, &c, vel tacitus, humanitatis præ se ferre imaginem, ut antè polliceri benevolentiam miseris, quàm rogari videretur. Visus tamen nonnullis est, isto, quod ab Herculeis columnis usurparet symbolo, arrogantiæ aliquod dare argumentum: cùm illud à Veteribus Herculi cum lemmate, *non plus ultrà*, tributum, ita sibi vendicaret, ut mutatâ epigraphe, *plus ultrà*, inscriberet, quasi Herculei roboris felicitatisque metam prætervectus, heroes ceteros, post se despiceret, elati supra sortem animi magnitudine. Et Rex quidem Galliarum Franciscus memoratur in Hispaniæ palatio, quo captus diverterat, illud non sine stomacho primùm adspexisse, ratus in illo sibi adversantis fortunæ termino nondum acquiescere Carolum, verùm ultra inexplebili desiderio ferri. Subjecisse igitur hæc

CLI. *Militum amor.*

Modestia in cultu.

Epigra

Epigraphen: *Hodie mihi, cras tibi.* Denique admonitum facti, ita conclusisse Cæsarem: *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Cujus equidem sententiæ non infrequenter meminisse Carolum mihi persuaserim. Laudes enim suas submissè audire sæpiùs, quàm superbè sentire visus est: nam & ejusdem postea Regis in Gallia hospes, cum oratione illustri magnisque encomiis, ad gentis illius ingenium, elevata ornaretur; ita respondit; ut diceret, *Oratorem scitè declarasse sibi, non qui sit, verùm quis esse debeat, ad boni officium Imperatoris explendum.* Alius inter Belgas Orator, eodem honoris obsequio Carolum veneraturus, post hæc verba: *Alexander ille Magnus*, voce atque animo obstupefacto immotus hæsit, dum Carolus, humana compellatione, *ut video*, inquit, *Alexandro Magno conferre me decreveras, quæ laus, ut est immerentis, ita rectius silentio præteritur.* Delectabatur inprimis Doctorum hominum consuetudine. Quare Appianum sibi, atque ante omnes Turrianum, Mathematicorum id ferè temporis Principes, familiares habuit. Ex iis rerum etiam agendarum consilia rationesque scrutari solitus. Augustinum Niphum, eruditionis per Italiam fama celeberrimum, Neapoli in solius consuetudinis gratia accersierat, ex quo dum in ceteris quæreret: *Quâ potissimum ratione Princeps optimè regnum administrare possit?* veteris ille Philosophi consilium revocasse dicitur, respondisseque *Si tales, qualem me esse autumas, consiliarios & regni administros delegeris.* Verissimo pronuntiato: nisi *eruditio virtute nonnunquam destituta tam facilè everteret, quàm firmaret Imperia. cupiditatibus impar, ubi justæ voluntatis adminicula defuerint.* Ad ingenium tamen Caroli hæc erat Niphi sententia; cum illam, quam sibi deesse eruditionem doleret, in aliis velut præstantissimum humani generis, post virtutem, decus amplecteretur; quæ non, ut cetera mortalium ornamenta, fortunæ ludibrio subjecta esset; sed in arce rationis extra omnem corruptionis aleam collocata, suâ hominem dignitate reliquis anteponeret, tantò aliis rectè moderandis aptiorem, quantò *faciliùs est videntem, quàm cæcum rectâ alios viâ deducere.*

1558. Et in moribus. Doctorũ amans

Carolus tamen quod à literis præsidium, ad æquam facilemque Reip. administrationem defuit, à singulari in Superos pietate multò est certiùs mutuatus. Nihil sese in rebus gerendis arduum offerebat, quod ille cæco quodam animi impetu ac destinatione aggrederetur; antè in cubilis sui recessu abditus, mentem à negotiorum occupatione ad Deum avocabat: coram illo rerum momenta ponderabat, explicabat consilia, atque ad rationis æquitatisque exigebat præscriptum, ne quid conscientiæ divinisque legibus adversum statueret, ac temerè cœpta cogeretur abrumpere, *turpe homini ratus*, suis hunc secum pugnare actionibus, *nec rectè quidem seipsum moderari, qui ceteris imperet.* Graviores adversus hostem expeditiones, conceptis ad præcipuas necessitates precibus, quæ Pœnitentium magnitudine æquarent Psalmos, Deo quotidie commendabat. Has suis ipse manibus exaratas, non antè recitare aggressus, quàm ab Sacerdote, qui à confessionibus ipsi aderat, lectas probatasque: eratque hic precum novarum, atque ex animi sui sensu profectarum, usus attentæ orationis haud leve adjumentum: cúm propriæ sententiæ affectionisque pondus magnoperè ad pietatem incitaret. Divertebat non rarò ab ipso proficiscentium agmine, ne quem erectæ ad Deum mentis interpellatorem haberet; ut jam vulgi sermone ferretur: *Carolum cum Deo sæpius, quàm hominibus*

CLII. Virtutes Caroli Theologicæ, & inprimis conjunctionis cum Deo. Precum frequentia.

1558. *nibus colloqui*.Sunt qui hunc Principem asserant,ternis quaternisve indies facilè horis Superis inter preces consuevisse. Horam unam Canonicis manè Psalmis præcipuè impendisse, binas à cœna aliis ad Deum commentationibus traductas. Quod nec gravissimus ipsius hostis ad Calvinum Bucerus dissimulat;per ludibriũ asserens : Cæsarem anilibus superstitionibus inhærentem,prolixas quotidie de
Apud Calv. Epist. 51. & 54. genibus preces, atque orationum quæ vocant Rosaria ante D. Virginis iconem evolvere.Quæ prolixiùs in illa Eremi cultura facilè præstita fuisse concessero; in reliquis difficillimi,quod gessit,imperii occupationibus humanum vix existimẽ, sub tam arduo negotiorum onere,tantùm loci temporisque pietati tribuere.Ille tamen Virginis Deiparæ cultus, illustre devotarum mentium argumentum,Hallis Belgarum oppido etiamnum hoc in Principe extat,quo cùm illius venerandę
Amor D. Virginis. suæque huic Matri consecrandæ militiæ gratiâ accessisset , inter cetera,quæ detulit munera villoso ex serico chlamydem auro intertextam suspendit , monumentum pietatis Austriacæ, quâ vestitus Sacerdos, primâ Septembris Dominicâ quotannis Deo ad aram immolat:adjecit viri armati ex argento simulacrum ante Virginem genibus subnixum,ut per absentiam quoq; supplex præsensq; tantæ Patronæ pedibus accumberet, ac quam corpore non posset, illâ, quâ liceret, corporis imagine,animiq; veneratione prosequeretur.Notam aliquam castitatis incurrisse adolescentem & viduum Principem,ut quidem illius,sic magis corruptæ aulicorum licentiæ imputatur,quando oblatam ultro,in tanta libertate occasionem defugere,nondum sat firmata virtute didicerat. Unde Margarita Austriaca,in Belgio nata,adolescenti; Joannes verò Austriacus Augustæ viduo prodiit. Quanquam nec egregia continentiæ laude Carolus omnino destituatur, ut
Castitatis cura. cui inviolatæ leges matrimonii fuerint:solitus deinde periculosa mulierum devitare consortia,facilè in flagitio tantis *Principibus* obsequentium,quibus *licere nõ rari credunt,dum lubet*.Prætereuntes, aut oculis aversis, aut clausis speculis est visus excipere;ratus *cupiditatem,ut flammam,citius nascentem opprimi , quàm adultam; & anteverti faciliùs hoc incendium,quàm averti.Pestilenti libidinem morbo similem,cujus semel in venas ac viscera recepti,difficillima sit curatio*.Quocirca & improbam hospitis illius humanitatem aversatus dicitur,qui peregrino in Galliis Cæsari,sese ad cõclave quietis gratiâ recipienti,latentem in cubili venalis pudicitiæ feminã obtulit.Quod Carolus beneficium maleficii loco habuit , atq; eliminatâ quamprimum muliere,nobiliori,quàm apud Ticinum victoriâ,Gallos vicit;cùm hic non alienâ,sed propriâ virtute,nec hostem modò,verùm & seipsum superaverit.

Valuit ad tot tantasq; virtutes,quibus singulis non lubet immorari , frequens mortis consideratio,quæ usq; adeò familiaris Carolo fuisse memoratur ; ut avũ
CLIII. Mortis frequenti meditatione mentem ad cælestia erexit. Maximilianum imitatum dicant,& quinquennio(uno amplius , quàm Maximilianus anno)ante supremum diem,mortualem instruxisse loculum,quem aulâ ignorante,inter supellectilia reconditum unà secum,quocunq; incederet, deportabat:magnum animi ad suprema intenti testimonium,quâ etiam meditatione potissimùm inductum credam,ut tam insolitâ regnorũ abdicatione præclaræ in hac vita felicitatis cursum abrumperet;& exemplum illustre moriendi, Principibus inprimis viris,daret,qui rectè vivendi pulcherrimũ dederat.Et certè erant , quæ

sapien-

sapientissimo Principi mortalis vitæ sufficerent memoriam, Isabella feminarum decus morte sublata, adeò multis tristi deformiq; post fata spectaculo, ut Francisco Borgiæ attonito mentē à rebus caducis prorsus aversam injecerit, atq; ad vitę religiosæ solitudinē deniq; traduxerit. Carolo hujus facti causas rationesq; neq; ignorante, neq; improbante. Sunt etiam, qui & suorum domesticorum fata altâ mente excepisse afferant, atq; illius comprimis aulici, cujus cum non minùs fidelitatem, quàm vitam amaret, sciscitatus ex illo fertur, *numquid beneficij posceret?* qui *cùm ad duas tresve horas vitam sibi prorogari postularet*, negaretq; Carolus sui hoc esse arbitrii ac potestatis. *Heu me* igitur *insanum*! exclamasse ferunt, *qui alteri hactenus Domino, æternā mihi vitā pollicenti non servierim, certiora digniora q; nunc præmia expectarē.* Vox hæc fuit, quæ nō impii omnino Principis animū poterat occupare: sanè Caroli pervaserit, ingenio, ad summa & optima quæq; aspirantis. Ut mirū non sit, mori illum in hujus vitæ, & vivere rectius in mortis consideratione didicisse. 1558

Vidit duos orbis Christianus in Romano imperio Carolos. Illum Primum, hūc Quintum; utrumq; Magnum. Septem ille seculis annisq; quinquaginta secutus Christum; hic seculis annisq; totidem Carolū; quę velut gemina Europæi imperii sidera, inter astra Principum radiant. Uterq; eadem propè regnorum fortuna, eisdem domi militiæq; virtutibus claruit: ille Longobardorum Regem Desideriū Italiæ gravem armis victum Papiæq; inclusum mœnibus, cum urbe intercepit: hic Franciscum Regem Galliarum pari marte ac sorte propemodum ad Papiā in vincula abstraxit. Uterq; sub Romanis Pontificibus Leone atq; Adriano pro Italiæ possessionibus depugnavit, utriq; à Pontifice imperii corona imposita est, utrique Romana sedes amissas per Insubriam urbes debuit, Parmam inprimis ac Placentiam. Uterq; ex ejusdem voluntate Præsulis, Florentinæ urbi, novam Reip. formam, leges novas, Magistratusq; tribuit, uterq; multas in Cantabria reliquisq; Hispaniæ partibus urbes suo imperio armisq; coërcuit. Uterq; in Bavariam exercitus duxit; ille adversus Tassilonem ejus regionis Principem: hic contra federatos Protestantium Duces. Uterq; victori milite Saxoniam domuit; ille Widikindo, hic Friderico Saxonum Principe ad obsequium redacto. Paucis, ea fuit utriusq; fortuna ac indoles, ut non modò in virtutibus, sed & vitiis quibusdam participaverint, eadem penè vivendi moriendiq; sorte ad vitam imperiumq; accesserint, decesserintq;, non ad hanc dignitatem nati, sed sua virtute delecti, neq; mortis necessitate amoti, sed tanti honoris titulis ultrò aut translatis, aut communi ætatis cùm alter vivens Ludovicum filium imperantem; alter Ferdinandum admiserit fratrem; uterq; imperio dignissimus, quod posset contemnere, cùmque illud gloriosè administrasset, gloriosius deferere.

CLIV. Carolo Magno in regno & vita perquam [illegible] Carolus V. fuit.

Neq; tamen, ut *Magnum* illum Carolum, ita hunc nostrum, quem Paulus Pontifex, sub victoriam de hæreticis reportatā, *Maximum* dixit, ab omni vitio removemus. Quidam & in hoc notata levitas, (quanquam non in matrimonio, quo illibato, major illo fuit Maximo) sed tamen geminæ testimonio prolis, Joannis & Margaretæ Austriacæ, cognita est, exemplo parum laudando; quod facilius posteri, quàm virtutes ejusdem imitantur: adeò in plerisq; mortalium prona est ad malum via. Immensa etiam pænè gloriæ, imperandiq; latè cupiditas animum inflamma-

CLV. Carolus suis etiā vitiis obnoxius fuit.

flammaverat, quâ cum eodem tempore Galliarum Rex Franciscus raperetur, æmulatione inflammati, & vix placabili bellorum ardore collisi, pacem cum infestissimis Ecclesiæ hostibus, quàm (consanguinei licet Reges) colere invicē maluerunt. Nimirum exitialis hæc est, deplorandaq; Christianorum Regum cœcitas, quod intestinis collisi odiis, quæ vertere in Turcas religionisq; orthodoxæ hostes possent arma, in proprios fideliumq; populorum jugulos malint distringere, quàm fixis inter se terrarum pacisq; inconvulsæ limitibus (quod omni industria agendum stabiliendumq; esset) sub unius Christi, vicariiq; Pontificis disciplinâ, concordes stare. Qui si gloriosa imperandi cupiditate ducerentur, illa citra injuriam regna sociatis quærerent viribus, quæ iniqua Turcarum tyrannide occupata, sub infame non modò hominum, sed & diaboli abstracta jugum servitutē serviunt, Christiano tot seculis nomini ignaviæq; meritò exprobrandam. Ita Carolus dum suum interpretatur dedecus, quicquam Gallo de Insubria Burgundiaq; concedere, ideoq; bella bellis nectit, Hungaria Fratri credita, inter manus Turcarum potissimâ sui parte destituitur, Germanorum prisca religio cum mille Ecclesiis per hæreticos dissipatur, Italia vastatur, Roma, capto Pontifice sacrisq; violatis, diripitur, Anglia consanguineum Imperatoris thorum, fidemq; orthodoxā prostituit. Ubi Carolus, immortali sui nominis honore, bellandi vincendiq; materiam occupare potuisset. Nec dubium, quin hunc deniq. errorē suum, jam mortalium regnorum satur, instabilemq; fortunæ lusum perosus, agnoverit, ac lacrymis, quantumvis seris, in eremo sua diluerit: correcturus multa, si pristinam, cum regnandi sorte, ætatem Superi restituissent. Ita plerumq; sapere tū primùm mortales incipimus, cum vivere desinimus; illo tamen posteritatis bono, quod hæc errata in se Majorum corrigere, &, nisi pariter desipiat, cognitos offensionū scopulos queat devitare. Quod ut fiat, nostroq; hoc labore ac Caroli vitâ quàm plurimi ad suam utilitatem fruantur, inprimis opto. Cumq; omni hanc elucubrationem ætati ac ordini, suis hinc exempla moribus, tam ad politiam, quàm ad religionem pietatemq; reperturo, offeram; tùm præcipuè studiosæ juventuti: cui illas, præter historiam, dissertationes, nunc vibratas strictius, nunc longius circumductas, nec stylo minus, quàm materiâ varias, servire ad eloquentiæ (quam, dum hæc scriberem in scholis docui,) exercitationem desidero; ut lingua simul animusq; idoneis reip. Christianæ disciplinis, inter sublimia magnorum Principum consilia, & illustria rerum gestarum monumenta, ad sapientiam erudiatur.

Utantur fruanturque benevoli Lectores, nec doctiores hinc solùm, verùm & meliores discedant. Ita suus & scribenti quem optat, & legenti, quem spectat, fructus laboris constabit.

FINIS.

INDEX

RERVM, PERSONARVM, AC LOCORVM memorabilium hujus Historiæ.

NB. *Numeri paginam significant, litera A. quærendum esse in libris quatuor prioribus, B. in posterioribus.*

Regis

C.

Philip.

G.

H.

pecuniâ

Philipp

I.

K.

L.

Mau-

Iterum

S.

Aprilis

V.

W.

X.

Z.

FINIS.



APPRO-



APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.



EGo infraſcriptus Societatis Ieſu per inferioris Rheni tractum præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ, à R. P. N. Ioanne Paulo Oliva Societatis noſtræ præpoſito Generali, facultatem tribuo Ioanni Wilhelmo Frieſſem Bibliopolæ Colonienſi, juxta Cæſareum privilegium eidem Societati conceſſum imprimendi librum, per deputatos Cenſores Lectum approbatumque, qui inſcribitur: ANIMA HISTORIÆ hujus temporis, in juncto CAROLI V. & FERDINANDI I. *Fratrum imperio repræſentata*, per IACOBUM MASENIUM ejuſdem Societatis Sacerdotem. In cujus rei fidem haſce, manu mea ſubſcriptas, & conſueto officii ſigillo munitas dedi, Treveris Anno MDCLXXI. ad III. Cal. Aprilis.

Matthias Merrhem


Errata ſic corrige. Parte prima.


Pag. 2. lin. 16. tetegit l. detegit. ib. l. 23. acqueſcerem l. acquieſcerem. p. 14. l. 11. exeras l. exteras. p. 36. l. 12. lenocino l. lenocinio. p. 5. l. 6. à fin. occrret l. occurret. 51. l. 5. à fin. annuſſet l. annuiſſet. p. 67. l. 18. ſeditoſæ l. ſeditioſæ. ibid l. 21. ſuit l. luit. ibid. diſplomata l. diplomata. 68. 10. à fin. ſuplicii l. ſupplicii. pag 72. in marg. ſub fin. Auſtria l. Hiſtria 73. l. ult. virlbus l. viribus. 84. in med. cuiræ l. curiæ. 93. crerum l. certum. 96. in marg. fin. exbeptus l. exceptus. 106. ante fin. deſeerant, uſus l. deſeruerant, uſus. 107. in marg. Ducis l. Ducis. ib lin. 9. Tramulum l. Tramullium. ib. in marg. expugnationum l. expugnatum. ibid. l. 18. millte l. milite. l. 13. à fin. muneratu l. muneratus. p. 115. l. 5. galliem l. galeam l. 7 eluctnaetem. l. eluctantem. p. 115. l. 10. ab bac tantm l. ab hac tanta. l. 15. fuens l. furens. ibid. in marg. ſpei l. ſpe. p. 119. in marg. in Piſcarius l. Piſcario. ib. l. 14 caepſſeret. l. capeſſeret. p. 139. in marg. ſoluior l. ſolutior. p. 141. l. 5. à fin. da l. ad. p. 153. l. 13. à fin. juvente l. juventute. p. 176. l. 1. cadeum l. cadenum. 191. in marg. articuld. l. articulo. p. 195. in marg. præpoſite l. præpoſitâ. ib. l. 7. à fin. ſucicoque l. ſuecoque, & in ſeq. lin. Neluus l. incluſus. ibid. mitratione l. miſeratione. 196. in marg. piræ l. Spiræ.


Parte altera.


Pag. 3. l. 12. à fin. antæ l. ante. 35. l. 11. à. fin. codicivis l. codicillis. p. 81. l. 3. à fin. noandam l. novandam. p. 113. in marg. Cæſari l. Cæſar. p. 114. in marg. canguit l. elanguit. ibid. curctatone. l. cunctatione. 117. l. 7. à fin. ductè l. ductâ. p. 119. in marg. Moſchus l. Moſcus. p. 126. l. 16. Lipſienſem. l. Lippienſem. 162. l. 7. Atenæo l. Aſtenæo. 176. l. 9. à. fin. captam l. cæptam. p. 202. l. 10, 68. l. 38 Cætera benevolus lector ipſe facile corriget.


261






Mei




Mei

